


2
6
296

















APOLOGEMA RETORTVM

SEU

RETORTA DISPVTATIO


APOLOGETICA

DE

IGNORANTIA INVINCIBILI

ET

OPINIONUM PROBABILITATE.



APOLOGEMA RETORTVM

SEU

RETORTA DISPVTATIO APOLOGETICA

DE IGNORANTIA INVINCIBILI, ET OPINIONUM PROBABILITATE

Pro Illustrissimi ac Reverendissimi Domini

D. PROSPERI FAGNANI

DOCTRINA AD CAP. *NE INNITARIS*

Contra Illustrissimi ac Reverendissimi Domini D. JOANNIS CARAMUELIS adversus illam APOLOGEMA pro antiquissima, & universalissima, ait, doctrina de probabilitate.


AUTHORE

R. P. F. FRANCISCO BONÆ SPEI *Ord. FF. B. M. Virg. de Monte Carmelo Provinciæ Flandro-Belgicæ Exprovinciali & in florentissima Univers. Lovan. iterum S. Theolog. & S. Scripturæ Professore.*

Ad Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum D. PROSPERUM FAGNANUM.



ANTVERPIÆ, Sumpt. ENGELBERTI GYMNICI, M. DC. LXV.



ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
DOMINO
D. PROSPERO FAGNANO,
PRIDEM
Sacrarum Congregationum Concilii,
& Episcoporum, ac Regularium,

NUNC VERO

Super reformatione Regularium è Congregatis, S. Visitationis Apostolicæ à Secretis, S. Pœnitentiariæ Apostolicæ Sigillatori, utriusque Signaturæ

REFERENDARIO, &c.



EN Lucubratum hoc *Apologema Retortum*, Illustrissime ac Reverendissime Præsul, suæ fronti inscriptum gestat nomen, quô velut à sole lumen accipiat Eminentissimum, dum Fagnanum: aliud quæri non debuit, nec justè potuit, dum ipsâ fronte Fagnanum inscribitur, dum ipsô corpore ex Fagnano propemodùm solo integratur: pro Illustrissimi ac Reverendissimi D. Fagnani doctrina di-

citur; sed hac ità firmatum & confirmatum, ut veriùs ipsa, quàm pro ipsa debeat dici *Retortum Apologema*. Igitur Tua TIBI sisto, ILLUSTRISSIME AC REVERENDISSIME PRÆSUL, id est, Tuam *de probabilitate morum* doctrinam TIBI refero; claritate lucidam, candore *cygnæam*, soliditate stabilem, ut omnia dicam, Tuam. Ut gentilitius TIBI *Cygnus* est, ità genius, ità ingenium. *Candidus* ille est: innatus TIBI *candor*. Morum ille probitate, ait Aristoteles (a), insignis: Tua innocuos passim indicat mores probitas, & mores probitatem. *Altivolans* ille Hesiodo (b), Tuum in omni scientiarum genere altivolans notat ingenium. Fluminum ille scrutatur profunda; Tu Jurium, Legumque arcana. Apollini Musari Præsidi ille Sacer (c) ipsius accinere Sacris (d) & vaticinandi dote insignitus (e) olim habitus est: Tu Summo in terris Præsuli dicatus totus, multis illius in Urbe Congregationibus assistis, ac Visitationis Apostolicæ à Secretis sancta mundo pandis oracula. Indefesso alarum remigio, scribit Ælianus (f), trajicit mare: Tu plurimos jam annos plura Sacrarum functionum onera indefessô sustines labore. Pugnam, nisi lacessitus, iterum Aristoteles (g), non infert: Tu Christianâ patientiâ fortior, nec lacessitus. Aquilam, addit, (h) si pugnam cœperit, repugnans vincit: major Tua est victoria; vincis, dictum aliàs à me (i) *Aquilam*, nec pugnando. Hîc Tuam impetere doctrinam, id est; suam affricare fuliginem, suam tentavit allinere nigredinem:

—— Ve-

(a) *De Histor. Animal. lib. 9. cap. 12.*
(b) *In scuto Hercul.*
(c) *Homerus.*
(d) *Ælian. lib. 11. cap. 1.*
(e) *Socrates, Cicero apud Aldrovan.*
(f) *Lib. 3. variar.*
(g) *Loco citato.*
(h) *Ibidem.*
(i) *In mea ad ipsum Noctua.*

— *Veluti nigrantibus alis.*
Audiretur Olor [k]

(k) Claudian. lib. 9.

Tentavit, non potuit: nescit CYGNUS *nigredinem*, nescit doctrina Tua falsitatem. Minus dico; fucum nescit, ab omni tinctura prorsus aliena. Qui hoc volet, volet ut sit, quod canit Poëta:

Rara avis in terris, nigroque *simillima* CYGNO. [l]

(l) *Iuvenalis.*

Sed lacessivit ille, pugnam intulit: nec pugnas? Non pugnas, & vincis. Ut si quis CYGNO *Candorem* deneget, solâ sui ostentatione *Candoris* refellit & vincit injurium; ità TU Tuæ ostentatione doctrinæ. Sophisticis pugnat armis falsitas, seipsâ munita vincit veritas. Verùm quod Tua sui secura detrectat pugnam modestia, assumere audeo, & vel in Gigantem parvulus David pugnare Ipsa est propugnanda victoria. Davidem imitor: calami fundâ argumentorum jaciens lapides, sua hosti extorqueo tela, [m] suis ipsum armis impeto, suô gladiô jugulo, cogoque ipsam, quam impugnat, profiteri victoriam. Exurgat, & quam, latentem in nomine [n], ut aliàs tetigi [o], toti Orbi litterario *curam aluit*, *malè curatam* noscat, ac vel à CŒCO discat veritatem. Sic ego, ILLUSTRISSIME AC REVERENDISSIME PRÆSUL, pro ipsa pugnare audeo victoria. Audeo? Et debeo. Tuum ME, Tuum totum CARMELI Ordinem fecisti, & beneficiis Tuis æternum devinctum. Juvit *Candidum* *Can-*

Libri huius titulus
(m) Apologema retortum.
(n) *Caram.* Anagram. *Curam ale. Male cura.*]
(o) *In dedicat.* Noctuæ.

Candor Tuus, & ME in duobus successivè Comitiis Generalibus, admisisti facilè, audivisti humaniter, protexisti fortiter. Sensit & hæc Flandro-Belgica Provincia nostra, bonumque, quô fruitur, TIBI se debere, gratanter fatetur. Grata esse desiderat; sed illa Tua est sublimitas, ut, quod optat, esse non possit; nisi beneficium agnoscere, promptamque redhostiendi voluntatem habere, gratum esse eximia Tua vocet humanitas. Hoc sperat, hoc fidit, & ut *Cygnæos* feliciter, *Illustrissima ac Reverendissima Dominatio vestra* vivat annos Deum est precatura, omnesque in ea Tuum, id est, TE in illo,

(p) *Virgil. Æglog.* 9.

Cantantes sublime ferent ad sidera CYGNUM[p].

Ego autem novum putabo beneficium, si quod referre jam audeo, sub *Candidi* CYGNI alis digneris admittere. Quid ni admittes, si tuum? Tuum est, doctrina tua. Sed dum gentilitiæ Tuæ tesseræ CONCHAS aspicio, timere incipio. *Margaritam* (cui, teste Plinio[q] *major cœli, quàm maris est societas*) concipiunt & alunt CONCHÆ. Timeo, ut undique lucidam doctrinæ tuæ defenderim *Margaritam*. Sic est, talem defendi. Erro, non defendi; nullus in ea nævus: sed talem, id est, veram sinceramque *Margaritam* esse ostendi. Hoc facto *bonam spem* sumo, & cum sit,

(q) *Lib.* 9. *cap.* 35.

(r) *Æmilius apud Isidor.*

CYGNUS *in auspiciis semper lætissimus ales*[r],

Tuo

Tuo à CYGNO, quem ituro in publicum libro præfigo, auſpicium capio, omninò confidens, Adverſarium, quam Cygneæ doctrinæ Tuæ ſuſpicionem *nigredinis* (ipſam non potuit) malè feriatis tot injuriarum penicillis affricuit, maturâ meditatæ palinodiæ ſpongiâ tandem reſipiſcens detergat.

Sic voveo & ſpero

Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ
Dominationis Tuæ

Minimus Famulus

F. FRANCISCUS BONÆ SPEI.



PRÆFATIO.



Um Illustrissimus & Reverendissimus D. Caramuel toti Orbi litterario suas proponeret quæstiones, mihi, inter alios, honorem exhibuit, dum anno 1653. Pragâ sic ad me scripsit: *Hanc quæstionem propono amicitiæ & confidentiæ tesseram: si dignetur aliquam aliam proponere, respondebo, quà potero, & hanc habebo gloriam, quòd à V. Reverenda Adm. Paternitate doceri & institui meruero.* Deesse nolui, satisfeci, & Quæstioni nodis gordiis plenæ, scriptô, quà potui, respondi rogatus. Quid ille? In secunda Theologiæ fundamentalis parte *Epist.* 5. respondit impressis: *Magnam ingenii aciem ostendis, dum nodos addis: orabam quidem, ut nonnullas controversias dissolveres, & superaddis novas, ut difficultas secunda sit intricatior priori &c. Hæc volui, Pater eruditissime, uberius persequi, ut occasionem dem, ut respondeas, ingeniòque tuô positas difficultates dilucides: non novas tertiò reponendo, sed solvendo, & à me positas, & à te repositas, ut Lectores nostrô communi studiô juventur.* Sic denuò & acriùs provocatus, dissolvere aggressus sum, & dissolvi, librumque (quem NOCTUAM *Belgicam ad* AQUILAM *Germanicam* appellare placuit) Lovanii *typis Cypriani Cœnestenii* impressum emisi, & misi. Volavit NOCTUA, vidit AQUILA. Quid illa? Despexit? Suspexit? Respondit? Hactenùs nihil. Quarè? Nescio, nisi quod multorum, uti amicissimi illius D. Dianæ, suspicio esset, *Moralium suorum demandatam correctionem impedire responsum.* Ità mihi Romæ anno 1660. ipse Diana. Correxit Moralia, in lucem dedit; sed NOCTUÆ oculos non apèruit, uti in integro cursu nostro Theologico, anno 1662. Antverpiæ impresso, sparsim ostendo, & premo. An hoc est facere, quod ultrò obtulit, *Respondebo, quà potero?* An hoc *Lectores nostro communi studio jovare* est? Quid dicam? aut non posse, aut non velle? Neutrum: posse, quàm plurima ostendunt edita doctrinæ monumenta: velle, vult ab ipso lacessitus totus Orbis litterarius. An fortè segnem

&

& cessantem vult jam calamum? Nec istud: testis, nuper editum contra Illustrissimi D. FAGNANI in Caput *Ne innitaris* doctrinam *de opinione probabili in materia Fidei & morum non sufficiente ad conscientiæ securitatem* Apologema.

Sed quod & quale Caramuelis Apologema? Quæ & qualis FAGNANI doctrina?

Doctrina, suis rationum ponderibus librata, veritatis insistens basi, firmô jacta fundamentô. *Apologema* ab Em. Card. Congregationi Sacræ Indicis præfectis Ann. 1664. Jan. 15. damnatum & prohibitum, ut sequitur. *Sacræ Indicis Congregationis decreto damnatus ac prohibitus fuit infra scriptus liber, ubicumque, & quocumque idiomate impressus, imprimendusvè. Nemo cujuscumque gradus, & conditionis, eum imposterum, vel imprimat, vel legat, vel retineat. Si quis interim habuerit, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis, à præsentis decreti notitia tradat, sub pœnis in Indice librorum contentis.*

LIBER EST

Joannis Caramuelis Apologema pro antiquissima & universalissima doctrina de probabilitate.

IN quorum fidem manu & sigillo Eminentissimi & Reverendissimi DD. Cardinalis Ginetti Episcopi Sabinensis, supra-dictæ Sacræ Congregationis Præfecti, præsens decretum signatum & munitum fuit. Datum Romæ in Palatio Apostolico Quirinali, die 15. Januarii 1664. *M. Episcopus Sabinensis Cardinalis Ginettus Præf. Fr. Hyacinthus Libellus S. Congregationis Indicis Secretarius.* Loco † Sigilli

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1664. Indict. secunda 26. mensis Januarii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri divinâ providentiâ Papæ VII. anno ejus nono, supra dictum decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Lateranensis, ac Principis Apostolorum de

Vrbe, & in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Vrbis, per me Jacobum Cornelium, Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem. *Hilarius Centellius Curs. Mag.*

Apologema, inquam, instabili arenæ inædificatum, levibus nixum argumentis, non tam dogmatibus, quàm, quod mirêre, scommatibus refertum. Non miror, si mireris, LECTOR: ut verò stupeas, vix (quod posteà ibimus probatum) scomma est, quod non in ipsum retorqueatur Authorem; vix argumentum, quod non ipsum destruat Caramuelem, FAGNANIque, & nostram, magis solidet sententiam. Sic incipit, *Est opus Apodicticum, insistens demonstratæ dialecticæ*, sic finit, *Quod non potest ullô modô legitimam responsionem habere*. Initium falsum, finis similis: Orationis Rethoricæ demonstrationem habet, demonstrationis dialecticæ ne umbram quidem, totque legitimas responsiones accepit, quot D. FAGNANUS congessit rationes & authoritates, quibus ità succubuit, ut ne vel uni legitimè responderit. Quamobrem non minus verè quàm eleganter Wendrochius art. 5. *Ingentem rationum, authoritatumque numerum congerit* FAGNANUS. CARAMUEL *omnia dissimulat, & vix unam aut alteram attingit: vociferatur, clamat, syllogismos texit, de respondendo non cogitat. Quid de illo homine facies, qui plenis buccis adversarium se obtriturum minatur, & illum ne adoritur quidem*; sed, quod mirum, addo, suis contra se D. FAGNANUM propugnat armis, nec aliis se certò tueri potest, quam FAGNANIS; totiusque tandem in ejusdem, quem sibi finxerat hostem, munimenta abit & sensa; adeò ut seipsum deserere, manus dare FAGNANO, illiusque doctrinam cogatur vel invitus amplecti, nec modò plus ab eo exigi possit, quàm ut, mutatâ sententiâ, mutet sibi arrogatum, scribatque, *est* D. PROSPERI FAGNANI *Opus* in Cap. ne innitaris, *Apodicticum, insistens demonstratæ Dialecticæ, quod non potest ullô modô legitimam responsionem habere: meum* Apologema è contra *Sophisticum, insistens demonstratæ Rethoricæ, verbis & Paralogismis, convitiis & injuriis, quod* facilè *responsionem habeat legitimam*. Non cessat ergo Caramuelis calamus, sed irrequietâ scribendi actus

pru-

prurigine, solidam ILLUSTRISSIMI DOMINI FAGNANI (quem multas ob causas ipsi notas meum agnosco, & veneror Patronum) sententiam oppugnans, meumque per ipsum D. FAGNANUM latus impetens, ad retorquendum telum, seu *Disputationem hanc Apologeticam* coëgit. Do igitur contra Caramuelis *Apologema*, pro D. FAGNANI doctrina *Apologema retortum*, quô obtusa prioris tela, ictusque patebunt evanidi; posterioris non aberrantis, ut spero, recta videbitur tactio veritatis. Injurias (quis indè fructus?) & magis scommata, relinquens, ubique solâ *retortione* ero contentus, id est, ab ipso emissum regeram telum. An non justè? Certè sic jus habet, *l.* qui cum major 14. *§.6.ff.* de bonis libert. *Si ab eo petitus retorsit in eum crimina, ignoscendum est ei, si voluit se ulcisci provocatus.* Provocavit, & *non erraturum* (sic passim scribit) *misit telum*: sentiat in se retortum, eô certiori ictu, quò minus erraturum. Jansenium dum movet, immotum relinquo: quod sciam Superioribus *pro* & *contra* hodiè non gratum.

Habes tamen amice Lector, D. Sinnichii, Facultatis Theologicæ Lovaniensis ornamenti eximii, P. Ludovici de Schildere Societatis Jesu eruditissimi, PP. Vincentii Baronii & Joannis Baptistæ Gonettii, Ordinis Prædicatorum, in Caramuelem Apologistarum nuperrimorum, & aliorum emeritorum Theologorum, hinc inde inserta principia, interdum explicata, interdum refutata, ut moris & juris est, etiam inter ipsos Sanctos Ecclesiæ Doctores; quia æquitatis & humanitatis ratio jubet, etiam in amicis minus tuta, vel saltem minus placentia, si quæ insint, à veris secernere, eaque improbare, aut etiam fugere, si parcant veritati, dum sic præfatur Vincentius Baronius, *æquitatis & humanitatis ratio jubet, in hostibus bona, si quæ insint, à vitiis secernere, eaq; probare, aut etiam imitari, si nobis conveniant.* Et ipse suas Theologiæ moralis contra D. Caramuelem, hôc titulô, eidem dicat dissertationes, *Quamvis enim insolens sit, ac penè absurdum videatur, ut illum tibi in patronum assumas, qualem tutandum & impugnandum suscepisti* &c. *Tanta est tua in omnes humanitatis & æquitatis opinio, ut*

nihil dubitem, te beneficii locô repositurum, si meas aperiam, tuisque oculis subjiciam cogitationes, etiam de iis, quæ minus in te probo; hâc etiam re te imitatus, qui soles Epistolis & libris editis tuas opiniones & censuras ad Dianam, aliosque Scriptores transmittere, illæsô amicitiæ jure.

Igitur si illæsô, uti volo & spero, quorumcumque amicitiæ jure in reformandis moribus nimium indè laxatis, nimium hinc restrictis, verum medium quæris, studiosè nostræ *Retortioni* intende; Resolutionem difficillimæ & obscurissimæ Quæstionis [quæ inquit P. Joannes Gonettius *Dissert. Theol. de opinionum probabilitate artic.* 4. in fine, *nuper in Galliæ nostræ Civitatibus tantum rumoris ac diffidii inter doctos excitavit, ut dici possit, non minus acriter pro defensione probabilitatis his temporibus pugnasse recentiores Theologos, quàm olim Græci & Trojani pro Helenæ possessione certarunt. Laudabilius tamen pro veritate* (cum D. PROSPERO FAGNANO, cœcô quidem oculorum visu; sed perspicacissimô mentis intuitu, & qui in probabilitatum tenebris meritò *hujus sæculi luminare majus* dici possit) *quàm pro probabilitate pugnassent, cum de illa, non verò de hac Augustinus in Epistola ad Hieronymum dixerit*, incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum, quam fuerit Helena Græcorum *&c.*] maturè perpende: & pro totius moralis Theologiæ basis veritate, justitiaque pugnantem boni consule.

SERIES

Dubiorum & aliorum titulorum totius Operis ac

SYNOPSES

Textuum D. Caramuelis & Responsorum Authoris ante Singula dubia.

SYNOPSIS PRIMA.

D. Caramuel suæ præsumptionis, Elogii & Principii, quod in moralibus sequi oporteat, copiam adfert. *p.1. num. 1. ad 5..*

Author Præsumptionem evanidam, & proprium elogium fœtens, ex P. Vincentio Baronio & Apostolo remittit, & cur de isto Principio hic iterum agat, rationem reddit. *pag.2.num.5.*

DUBIUM PRIMUM.

An tota moralis Theologia & Sacramentalis specialiter suadeat, oportere de moralibus moraliter philosophari, sicut de realibus realiter? Resolutio unica.

SYNOPSIS SECUNDA.

D. Caramuel se demonstraturum promittit, D. Fagnanum sibi contradicere, & in credendorum fide multa malè confundere, quia rem non capit, & nodum difficultatis non penetrat. Quærit, quò D. Fagnanus Petrum baptizatum mittet, si moriatur antequam ignoret vincibiliter Deum, & aliquod committat mortale? Et addit, D. Fagnanum à Jansenistis haurire, quod ignorantia invincibilis à peccato non excuset, idque tanquam firmum fundamentum substruere, ut suum pseudolemma succollet.

Author imprimis evidenter probat D. Fagnanum docere ignorantiam invincibilem excusare à peccato, & solvit ea, quæ ex ipso oppositum insinuant. Deindè D. Caramuelem arguit, quod id non demonstret, quod promisit. Denique ostendit D. Fagnanum in credendorum fide nihil malè confundere, quæstionem allatam ipsi impertinenter proponi, & D. Caramuelis calumniam patere. *pag.8. num.8. ad 23.*

DUBIUM SECUNDUM.

An dari possit ignorantia invincibilis, sive inculpabilis unius Dei & legis naturalis? Resolutiones quatuor.

SYNOPSIS TERTIA.

D. Caramuel asserit hæc verba, *peccant omnes, qui in materia conscientiæ sequitur opinionem probabilem*, dialecti Jansenianæ esse, & complecti omnes hæreses, quas anno 1653. pridiè Kalendas Junias Apostolica Sedes ultimâ sententiâ condemnavit. Probat hanc propositionem, *ut actio quæpiam sit peccaminosa, oportet, ut procedat ab homine, qui noscit & percipit, quid boni malive in ea sit, & antequam id videat, aut animum reflectat, actio neque bona est, neque mala*, esse evidentem & fide Orthodoxa tenendam, invehiturque in DD. Lovaniensium super illa Censuram tanquam Jansenianam, & D. Fagnanum Jansenistis aggregat.

Author ostendit, illam D. Caramuelis assertionem esse puram calumniam, & quod in oppositum alibi docet, *ignorantiam invincibilem in omni opinione probabili inveniri*, certò falsum esse. Demonstrativè probat hanc D. Fagnani doctrinam, *omnes peccant, qui in materia conscientiæ sequuntur opinionem probabilem præcisè*: hinc D. Caramuelis in D. Fagnanum insultationem in ipsum Caramuelem retorquet: quamque injustè allatæ propositionis Censuram D. Fagnano tribuat, alia ei appingat, & Jansenistis aggreget, manifestum facit. *pag.* 26. *num.* 3. *ad* 10.

DUBIUM TERTIUM.

An omnis ignorantia invincibilis excuset à formali peccato? Resolutiones quatuor.

SYNOPSIS QUARTA.

D. Caramuel docet, ignorantiam invincibilem à culpa excusare, D. Fagnanum à Jansenistis oppositum haurire, Parochorum Parisiensium eò devenisse delirium, ut asseruerint, non debere Confessarium sequi opinionem pœnitentis. Item Catholicos affirmare, defessum ex labore illicito, v.g. cum fœminis commixtione, liberari à lege jejunii;ècontra Jansenistas negare, dicentes, hoc esse falsum & castis auribus horribile. Tandem liberi in causa duas adfert definitiones, quarum unam dicit esse *Catholicam*, & alteram *Hæreticam*. *pag.*67. *num.*1. *ad* 10.

Author arguit, D. Caramuelis doctrinam esse in istis penè omnibus suâ generalitate indefinitâ & confusione periculosâ nimis crudam & indigestam. Ad singula respondet, & probat, D. Caramuelem valdè turpiter errare in definitione *liberi in causa*, ac *evidenter falsum* ab eo vocari *Catholicum*, ipsumque tandem id amplecti, quod dixit *hæreticum*. *pag.*7. *num.*10. *ad* 27.

DU-

DUBIUM QUARTUM.

An liberum in causa, quod, si contra legem sit, est peccatum formale, rectè vocetur illud, quod oritur necessariò à causa, quam hîc & nunc tollere possum? Resolutio unica.

SYNOPSIS QUINTA.

D. Caramuel prætendit, in omni opinione probabili ignorantiam invincibilem reperiri, & ideò probabilitatem à peccato excusare. *pag.*81.*nu.*1. *&* 2.

Author utrumque negat intellectum de opinione probabili præcisè, & P. Vincentium Baronium in D. Caramuelis impugnationibus, ab ejusdem mente & veritate aberrare fusè probat. *p.* 82. *num.*3. *ad* 12.

DUBIUM QUINTUM.

An in omni opinione probabili præcisè detur ignorantia invincibilis veritatis, bonitatis &c.? Resolutio unica.

SYNOPSIS. SEXTA.

D. Caramuel totius Jansenianæ Hæreseos ideam & catenam septem annulis annectit. Hæresim Jansenianam mutatâ larvâ in Orbem litterarium reverti probare conatur, si vel unus istiusmodi catenę annulus non fractus & integer retineatur. Affirmat iterum hanc propositionem, *peccant omnes, qui in materia conscientiæ sequuntur opinionem probabilem*, dialecti Jansenianæ esse, & complecti omnes hæreses, quas anno 1653. pridiè Kalendas Junias, Apostolica Sedes ultimâ sententiâ condemnavit. Analysim & Sintaxim adfert, quibus probet, eum, qui istam propositionem rejicit, totam hæresim Jansenianam condemnare, qui admittit, Jansenii errores revocare, excusare Lutherum ac Calvinum, & reum agere Spiritum Sanctum &c. *p.*88.*nu.*1.*ad* 9.

Author hìc & ubique abstrahit à discussione Hæreseos Jansenianæ, quod id putet Superioribus ingratum: attamen D. Caramuelis fallax in catena figmentum aperit; eumque, aut eàdem, aut pejori dialecti Pelagianæ catenâ concatenari demonstrat. *pag.*92.*nu.*9.*ad* 21.

DUBIUM SEXTUM.

An hæc propositio. Peccant omnes, qui in materia conscientiæ sequuntur opinionem probabilem præcisè, *defendi possit sine Hæreseos Jansenianæ periculo? Resolutio unica.*

SYNOPSIS SEPTIMA.

D. Caramuel definit opinionem probabilem

bilem abstractim sumptam: Lectori cavendum dicit, ne dubium cum probabilitate confundat. Asserit, formidinem esse quendam erroris timorem, qui in objecto opinionis probabilis communiter reperitur, non in actu; quia hæc præsuppositio, *materia existit existentiâ formæ*, est probabilis, & Dominicanus illam defendit cum formidine objectiva, non cum formali. Addit certitudinem honestatis esse duplicem: formalem videlicet & objectivam; in omni autem opinione probabili reperiri certitudinem honestatis formalis, & incertitudinem honestatis materialis, sive objectivæ. Subdit etiam, malitiam esse duplicem: absolutam videlicet & hypotheticam, arguitque D. Fagnanum tanquam hujus divisionis ignarum. Concludit tandem. 1. Sanè in omni opinione probabili dari ignorantiam invincibilem, & hâc unicâ lineâ toti libro D. Merendæ, toti libro D. Fagnani responderi. 2. Agens morale, ut licitè operetur, debere de sui actus honestate & bonitate formali dumtaxat, non de materiali, certitudinem habere. *pag.*110.*num.*1. *ad* 21.

Author comprobat 1. Opinionem probabilem à D. Caramuele abstractim definitam non esse tutam. 2. Opinionem formalem secum trahere formidinem formalem in intellectu, sicut opinio objectiva secum trahit formidinem materialem in objecto. 3. D. Caramuelem in exemplo materiæ, quam sine formidine tuentur Dominicani, inconsequenter saltare ab opinione probabili præcisè ad scientiam. 4. Eundem Caramuelem malè distinguere objectum formidinis formalis ab objecto dubii positivi formalis, & probabilitatem à dubio positivo, quæ benè confundit D. Fagnanus. 5. D. Caramuelem, docentem, in omni opinione probabili reperiri honestatis formalis certitudinem, falli. 6. D. Fagnanum agnoscere divisionem malitiæ in absolutam & hypotheticam. 7. Aut D. Caramuelem velle, ignorantiam invincibilem non excusare à peccato, aut sibi contradicere. 8. Falsum esse, in omni opinione probabili dari ignorantiam invincibilem, cum in nulla detur; cui unicæ lineæ D. Caramuel totô sui Apologematis librô nequidem apparenter satisfacit: unde in ipsum patet retortio. 9. Falsam esse similiter conclusionem pro secunda parte. *p.*115. *nu.*21. *ad* 36.

DUBIUM SEPTIMUM.

An in materia conscientiæ, sive fidei & morum, liceat sequi opinionem probabilem præcisè, sive sine addito invincibilis ignorantiæ legis *moraliter certificante? Resolutiones duodecim, & Quæstiunculæ tres interjectæ.*

SYNOPSIS OCTAVA.

D. Caramuel D. Fagnanum culpat, quasi Catholicos Doctores & Ecclesiæ Patres, & Sacrorum Canonum locos pro sua doctrina neglexerit, & intereà septemdecim paginas expenderit, ut Jan-

Jansenistarum dogmata referret, haud secus, quàm si hoc modô argumentaretur, *Doctrina Jansenistarum est regula morum: at doctrina de probabilitate, quam tuentur Theologi, doctrinæ Jansenistarum est contraria; ergò est contra Regulam morum. Ergò est perniciosa. Ergò est abyssus, quæ abyssum invocat. Ergo homines in infernum propellit, &c.* Deindè dicit, quod sanè periissent Doctorum Jansenistarum Censuræ, vel ad paucorum devenirent manus, nisi voluisset illas D. Fagnanus in suo Opere perennare. Denique adstruit, fieri non potuisse, ut Jansenistæ aliter istas Censuras exhiberent, quàm in aliquibus illarum suam hæresim protruderent; quod ut probet, duas propositiones eligit, quas dicit esse *hæreticas*, quarum una, *ut actio quæpiam, &c.* *p.* 257. *nu.* 1. *ad* 4.

Author recenset propositiones, quas D. Caramuel ut Jansenianas in D. Fagnano malè culpat. Deindè asserit, D. Fagnanum tot Doctorum Catholicorum, Ecclesiæ Patrum & Sacrorum Canonum authoritatibus suam roborasse doctrinam, & D. Caramuelem onerasse, ut ipsum quasi fulmine tactum obruisse videatur: Denique notat, D. Caramuelem valdè injuriosè Archiepiscopum Mechliniensem, Episcopum Gandensem & modernos Facultatis Theologicæ Lovaniensis Doctores fecisse hæreseos Jansenianæ Principes. Finaliter autem sanum D. Fagnani argumentandi modum subdit, bonamque rationem addit, cur illas cum suis Censuris propositiones suo Operi inseruerit. Ad ultimum per inadvertentiam in corpore omissum est Responsum, sed patet ex dictis *dub.* 4. *nu.* 30. propositionem istam habere posse verum & sanum sensum. *p.* 281. *nu.* 140. *ad* 144.

DUBIUM OCTAVUM.

An D. Caramuel justè sententias, suprà à Domino Fagnano relatas, ut censuratas de Jansenismo criminetur? Resolutio unica.

SYNOPSIS NONA.

D. Caramuel dicit. *Primò*: se D. Fagnanum necessariò debere cum Jansenio componere, omninoque desiderare, ut ex libris ejus in Decretales doctissimo calamo scriptis, & in praxi maximè necessariis, expunctâ minus necessariâ quæstione de opinione probabili, aut eâdem ad fidei Orthodoxæ & rationis Theologicæ limam rescriptâ, primus tomus recudatur, ne propter unicam Resolutionem cæteræ aliæ solidissimè decisæ careant applausu, quem merentur. *Secundò*: hanc propositionem, *in materia fidei & morum ad securitatem conscientiæ non sufficit opinio probabilis* ostendi universaliter acceptam esse hæreticam, pro quo remittit ad catenam hæreseos Jansenianæ, & Censuram demonstrat, ex eo, quod alioqui millenis casibus homo necessariò peccaret, uti & dilemmate hôc, *vel est de fide, vel scientifica, vel probabilis, vel dubia, vel improbabilis, vel evidenter falsa.* *Tertiò*: D. Fagnanum ista propositione omnia Tri-

bunalia & bella justitiæ & iniquitatis appellare, Medicos & medicam artem condemnare, omnem Ecclesiasticam & sæcularem authoritatem tollere, pleraque, quæ ipse D. Fagnanus resolvit, destruere, & explicando *cap. Firmiter num.* 15. varia distinguenda confundere, & tenebras offundere. *Quartò*: rescire vult à D. Fagnano, in quo libro hanc exorbitantiam & implicantem quæstionem, *si Adam non peccasset, utrum Christus incarnatus fuisset.* proponi legerit. *Quintò*: redit ad prædictam propositionem D. Fagnani, & subdit, si obtineret, omnes ad unum homines, adeoque ipsummet D. Fagnanum perturbaret, demonstraretque clarissimè, mentitum fuisse illum, qui dixit, *jugum meum suave est, & onus meum leve. Sexto*: ostendit, Em. DD. Cardinalibus licuisse in regimine Ecclesiæ uti sententiis probabilibus, & addit, præcitatam propositionem D. Fagnani accusare sceleris innumeras Sanctissimorum & prudentissimorum Summorum Pontificum operationes, dispensationes, leges, &c. imò etiam sceleris & nullitatis Bullam Sanctissimi D. N. Alexandri VII. de Immaculata Sanctissimæ Virginis Conceptione, ad instantiam Regis Hispaniarum nuper editam. *pag.* 285. *nu.* 1. *ad* 45.

Author notat. *Primò*, injustam valdè D. Fagnani cum Jansenio compositionem, doctissimumque ejus calamum, tam in quæstione de opinione probabili, quàm cæteris laudat, & addit in catena Jansenianæ hæreseos palpabiliter nimium calumniari D. Caramuelem, cum D. Fagnanum non tangat, & ipse D. Caramuel illâ, aut dialecti Pelagianæ fortiori catenetur; tantumque absit, ut D. Caramuel suam Censuram demonstret, quin potius monstrificet. *Secundò*: remissivè probat, D. Fagnani propositionem esse scientificam, sive demonstrativam, eâ ratione, quâ D. Caramuel demonstrationem sumit. *Tertiò*: omnes allatas D. Fagnani accusationes clarè justificat, & ab omni specie temeritatis alienas ostendit, ac subdit, D. Fagnanum sua propositione omnem authoritatem Ecclesiasticam & sæcularem, non tollere, sed fulcire; ac proindè D. Caramuelem indigere profundiori ratione, ut de tota D. Fagnani doctrina benè judicet. *Quartò*: efficaciter refellit, id quod de *Christo incarnato* non satis consideratè D. Fagnano objicit. *Quintò*: evincit, D. Fagnani propositionem dictam neminem perturbare, & veracem fuisse illum, qui dixit *jugum meum suave est, & onus meum leve.* Perturbationes à D. Caramuele prætensas sedat, & centenas ejus accusationes, tanquam injustas & inutiliter congestas diluit. *p.* 299. *n.* 45. *ad* 64.

DUBIUM NONUM.

Quid evincant Resolutiones D. Caramuelis pro doctrina de probabilitate? Resolutio unica.

SYNOPSIS DECIMA.

D. Caramuel D. Fagnanum contra Fagna-

gnanum assumit, & duo parella deducit, quæ totam destruunt doctrinam Fagnani. Infert *primò*: Ergo si in casu, quo homo evidenter non scit, quid Deus jubet credi, amari & operari, sed laborat ignorantia invincibili, ratio gravis sufficit, ut sine peccato oppositum credat, amet & operetur, quàm Deus jubet, modò paratus sit aliter credere, amare, & operari, si aliam esse fidem, amorem & operationem ipsum doceat Ecclesia. *Secundò*: ergo etiam à fortiori, si ratio gravis in præceptis divinis de credendo, amando, & operando habet locum, habebit in præceptis humanis. *Tertio*: ergo stat ex ipso D. Fagnano stabilita communis totius Orbis conclusio, videlicet, *in Fidei & morum materia ad securitatem conscientiæ sufficit opinio probabilis*, quæ ex natura sua, & ab intrinseco est universalis. Deindè pronuntiat naturæ humanæ statum & laudabilem probabilium opinionum usum coætaneos esse; hincque in Adamo & Eva, Melchisedech, Pharaone, Isaaco & Apostolis fuisse contendit, imò & hanc suam doctrinam existimat Canonicam fecisse Apostolum, dicentem, *quod non ex fide* id est saltem ratione probabili sub ignorantia invincibili, *peccatum est*. Itē Gregorium, Augustinum, & alios Patres in materia Fidei & morum multa sensisse, dixisse, scripsisse, fecisse, quæ merè probabilia sunt, potuisse & debuisse dictamini probabili, licet falso, insistere, &c. Denique probat in Cœlo Emphyreo Opinionum probabilitatem apud Angelos locum habuisse, & exorbitare, quicumque existimat, velle Deum homines perfectiùs intelligere, amare & operari, quàm Angelos.

AUTHOR clarè probat. *Primò*: D. Caramuelem fingere Fagnanum contra Fagnanum, & affectu Apologematis, noluisse ipsum intelligere, cum posset: fingere usum probabilitatis præcisè, sive per ignorantiam invincibilem oppositi non certificatæ, in Adamo & Eva, Melchisedech, Pharaone, Isaaco & Apostolis, qui soli per hanc certificantem ignorantiam invincibilem à peccato, ut vult, excusari potuerunt. *Secundò*: solam D. Fagnani doctrinam de usu probabilitatis per ignorantiam invincibilem certificatæ esse veram, hujusque solius usum esse antiquissimum; nec magis *bonam fidem* cum *Opinione probabili præcisè* conjungi posse, quàm cum timore actuali de opposito, ignorantia vincibili, &c. *Tertiò*: D. Caramuelem sibi contradicere, si de *probabili præcisè* loquatur, dum ait, *quod non fit ex fide*, id est dictamine probabili, quandò defectu luminis laborat ignorantiâ invincibili, & solum probabili ratione ducitur, *peccatum est*. Dum tamen ibi videtur loqui de probabili, non *præcisè*, sed jam per ignorantiam invincibilem certificato, uti aliquoties posteà, ad saniorem mentem accedit, & tandem D. Fagnani doctrinam amplectitur, cujus lumen ante excussit, non defectu lectionis, sed affectu Apologematis. Quia verò omnia exempla, quæ profert, consequenter intelligi debent, de probabili ut sic certificato, D. Caramuel in istis pro D. Fagnano studuit, ejus doctrinam probavit & confirmavit; & quidem apertè in exemplo de

Angelis his verbis: *Sed cur non peccarunt Angeli? Quia definitivam illam Dei voluntatem invincibiliter ignorabant.* Et iterum, *Et in his, quæ invincibiliter ignorant, probabilibus argumentis ducuntur.*

DUBIUM ULTIMUM.

An & quantum dissideat D. Caramuel à D. Fagnano? Resolutio unica.

MONITUM CHRISTIANUM.

In fine adjeci MONITUM quoddam CHRISTIANUM ob varios rumores, qui hîc spargi dicuntur, contra nostram Operi *De Visione Eliæ, &c.* nuperrimè adjectam *Appendicem Apologeticam* adversus P. M. Lupum. Primò: quod acrior sit, quàm injuria mereatur. Quasi verò mitiùs tractari debuisset privatus Doctor, quàm ipse integrum Ordinem tractarit, absque ullo fundamento, sive ratione, vel authoritate, ejus per octingentos circiter annos Legislatorem uni Martino Luthero & Joanni Calvino Hæresiarchis comparando, & hinc totum Carmelitarum Ordinem alteri Luthero & Calvino octo circiter sæculis subjiciendo: profectò, si quæ, hæc omnem injuriam superat, non solum toti Carmelitarum Ordini factam, sed & Ecclesiæ Romanæ, dum tales Hæresiarchas, è converso æquè commendat, ac Joannes 44. totô ante MONITUM præsuppositô commendatur: ac proindè, quod sicut Joannes 44. irrefragabilibus testimoniis fuit ante & post mortem habitus Sanctus, ab omni suspicione erroris purgatus, & talis, in cujus operibus nusquam sit inventus error ante aut post mortem ab aliquo Pontifice aut Concilio damnatus, idem dici debeat de Martino Luthero & Joanne Calvino; quô certè, ipsô factô, pro his insignem Apologiam componit, quam pro Joanne 44. & Lucifero in Ecclesia sub beneplacitô S. Sedis declaratione habitis Sanctis, componendam solis ingeniis libertinis & noxiis relinquit. Quid ad hæc? Quantumvis benignè excusari posset P. M. Lupus à malitia, nullatenus tamen potest ab illata Ecclesiæ & toti Ordini nostro injuria, quæ in ipsius libris, per totum Orbem dispersis, continuò serpit, ut cancer, nisi citò medicina paretur: ubique enim legitur, quod scripsit, & non occurrit inconsideratio, in re tanti momenti, & operibus gravissimi ponderis, insolita Doctori, quâ Ecclesiæ & toti Ordini nostro injuriam fecit. Secundò: quod Facultas Theologica Lovaniensis, cujus ipse membrum est, judicarit, injuriam istam non esse tantam, ut P. M. Lupum ad respondendum aut retractandum obliget. Quis hoc de sapientissima Facultate credat. Ego similia nullatenùs credo, talesque rumores pro falsis habeo; quia tamen, licèt falsi, injuriam fovent, quam totus Carmelitarum Ordo sentit gravissimam, persuasum est, per MONITUM quoddam CHRISTIANUM, motiva opponere, quibus dispellantur, & injuria resarciatur: nam alioqui *consentire videtur erranti,*

qui

qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non occurrit. Gregor. VII. dist. 83. cap. 5. Et *facientis culpam procul dubio habet, qui, quod potest corrigere, negligit emendare. Scriptum quippè est*, non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, *participes judicantur*. Joannes VIII. dist. 86. cap. 3. Addunt aliqui tertiò: viros quosdam emeritos ex nostra *Appendice Apologetica* contra me offensos. Dolerem sanè vehementer: sed viri emeriti esse non possent, qui contra me offenderentur, eò quòd vim vi repellam aggressus, incomparabiliter minus lædens, si lædens, quàm læsus; bonum commune totius Ordinis nostri præferens privato P. M. Lupi sponte suâ injuriantis, & ipsum urgens, ut faciat, quod ultrò debet, ut injuriam tollat, quam absque ulla ratione toti Ordini nostro intulit, voluntariè infert, & inferet, quamdiu ejus durabunt libri, nisi indè notoriam retractet, cum debeat, & possit.



INDEX

INDEX PRÆCIPUORUM IN HOC TOMO CONTENTORUM.

A.

B.

C.

Cardinales.

Censura.

Certitudo.

Inconsideratio.

P. Joannes Baptista Gonettius.

Con-

Jugum.

L.

Lex.

Liberum.

P. Ludovicus de Schildere.

N.

Neceſſarium.

O.

Prudentia.

T.

Theologia Moralis.

constitutione & effectibus philosophari : errores & hæreses inducit. *pag.6.n.19. ad 24.*

V.

Via.

P. Vincentius Baronius.

Z.

FACUL-

APOLOGEMA RETORTVM

SEU

RETORTA DISPUTATIO APOLOGETICA

De ignorantia invincibili & Opinionum probabilitate.

D. CARAMUEL.

Apologematis pro doctrina de probabilitate Epist. IV.

1 NVm.311. *Sic suum Apologema concludit:* Hæc, Lector mi, ut scias, quam inire viam debeas, si contradicere velis, sufficiant: ex quibus colliges, hæc pauca folia non posse ullô modô legitimam Responsionem habere. Interim, aut acquiescere placeat, aut respondere libeat, vale, & dum te Ego, tametsi indevotus & negligens, Tu Me etiam infinitæ & æternæ veritati commenda.

2 *Fol.*209. *Suum Elogium subdit:*

Quidquid Caramuel docet, benè docet.
Quidquid Caramuel dicit probabile, est probabile.

3 Si alii aliter sentiunt, vel non legerunt, vel non penetrarunt Fundamenta Caramuelis, cujus gloriamur esse.

Humillimi famuli, ac perpetui Discipuli
Theologi Carm. Discalc. Collegii Lyciensis.

4 *Ut autem huic aperiendæ Disputationi materiam accommodam habeamus sic loquitur in curiosa ad Authorem quæstione impressa:* Oportere de moralibus moraliter philosophari, sicut de realibus realiter, tota moralis Theologia & Sacramentalis suadet.

AUTHOR.

5 QUàm vanè præſumat, quàm præſumens evaneſcat D. Caramuel, notavit è celeberrimo Ordine S.Dominici P.Vincentius Baronius *diſp.2.ſect.1. Exam.Epiſt.Caram.* his verbis, *quas in Card.Palavicinum congerit ingentes laudes, præ viri meritis modicas cenſeo: ſed optaſſem parcior ſuarum fuiſſet. Apoſtolus æmulorum inſectationibus, ad ſui Apoſtolatus commendationem coactus aliquid ſcribere, non audet inſipientis titulum à ſe deprecari, aliô nomine, quàm quod inimicorum calumniæ ad id ſe adegerint,* inſipiens, *inquit,* factus ſum, vos me coëgiſtis. *Adeò aliena eſt à ſapiente ſui laudatio, ut vix neceſſariâ defenſione maculam inſipientiæ poſſis abſtergere.* Sed maximè notatur, dum ſuum Apologema concludens, altô ſic ſuperciliô ſcribit: *Ex quibus colliges, hæc pauca folia non poſſe ullô modô legitimam reſponſionem habere.* Cujus adhuc ſub Judice lis eſt, & ex dicendis in hoc *Apologemate retorto* à *dub. 2. ad finem* conſtabit: quibus *paucis*, an ipſe è contra *ullô modô legitimam poterit reſponſionem adhibere*, videre eſt in votis. Quàm etiam ſibiipſi palpum faciat, & inverecundè adulatorium iſtud jactet *elogium*, ea, quæ *Curſus noſter Theologicus*, nuperrimè Antverpiæ impreſſus, ſparſim acervans diruit, & ex profeſſo noſtra ad ipſius *Aquilam Germanicam Noctua Belgica* enervat, ſatis omnibus teſtatum faciunt. Verum ut, quàm non ſibi blandiri debeat, uſquequaque præſentiat, *Dubium* ſequens, quod in *Noctua* eſt *ſecundum*, ſuô probabilitatum Caramuelicarum baſim, ſicque ſuperſtructum qualecumque ædificium, evertere nitimur, hôc locô judicavi reſumendum.

DUBIUM PRIMUM.

An tota moralis Theologia & Sacramentalis specialiter suadeat, oportere de moralibus moraliter philosophari, sicut de realibus realiter?

RESOLUTIO.

6 DIco. Tantum abest, ut tota Moralis Theologia & Sacramentalis id specialiter suadeat, ut potiùs oppositum persuadeat.

PROBATIO I.

Quoad Theologiam Moralem.

7 PRobatur 1. Tota Moralis Theologia ad vitæ spiritualis ædificationem & morum reformationem ordinatur: atqui hæc persuadent, sic *Oportere de Moralibus philosophari*, ut ea, quæ de *Moralibus* dicimus, aut scribimus, vitam spiritualem ædificent, non evertant; & mores reforment, non laxent: ergo tota Moralis Theologia non suadet, *Oportere de Moralibus moraliter philosophari*, *sicut de Realibus realiter*. Major & minor per se patent. Consequentia probatur: quia ex illa sicuteitate, paritate & analogia *Moralium cum Realibus*, & *Moraliter cum realiter*, plane sequitur oppositum: quod ut evidentiùs appareat, contra sit

Sequela prima.

8 Sequitur 1. Opiniones verè probabiles speculativè, non posse condemnari practicè: atqui id factum probant quàm plurimæ leges Ecclesiasticæ, quæ, vel ipsô teste Caramuele, 2. p. suæ Theol. fund. n. 78. *Omnes sunt ad reformationem & ædificationem morum*; imò idipsum fieri fatetur *ibidem* n. 45. ubi ait, *nam quotidiè videmus, opiniones verè probabiles condemnari. Ergo primam propositionem* (quæ erat, *opinio probabilis condemnari potest*) *ità admitto*, *ut existimem opiniones verè probabiles speculativè*, *condemnari practicè*: cujus bonam rationem præmittit, aiens, *homines etiam rebus bonis abuti: abutuntur cibis*, *abutuntur vestibus*, *abutuntur elementis*, *abutuntur cœlo*; &, *quod miserabilius est*, *etiam Dei misericordia abutuntur*. Ergo &c. consequentia patet.

9 Probatur minor: quia Ecclesia prohibet 1. lectionem Bibliorum linguâ vulgari. 2. Affirmare, D. Virginem esse conceptam in originali. 3. Decretum Congregationis anni 1653. PP. Carmelitarum reformatorum Provinciæ Belgicæ, illis vetat tueri, *cessante fine legis in casu particulari, in eodem obligationem legis cessare*. Et sic de multis aliis, ut insinuat D. Caramuel, præmissis verbis, *quotidiè videmus*, *opiniones verè probabiles condemnari*.

10 Probatur major: quia imprimis eôdem jure, quô D. Caramuel dicit: *Oportere de Moralibus moraliter*, *sicut de Realibus*

realiter philosophari: dico ego, *Oportere de speculativis speculativè, sicut de practicis practicè philosophari.* Ac proinde, si per ipsum: *Oporteat de Moralibus sicut de Realibus, & moraliter sicut realiter philosophari; Oportebit* consequenter *de speculativis sicut de practicis, & speculativè sicut practicè philosophari.* Ergo sicut per eumdem opiniones verè probabiles practicè condemnari non possunt; neque verè probabiles speculativè condemnari poterunt, quod negat. Imò opiniones speculativè tutæ, erunt practicè tutæ contra Theologorum communem sensum: est enim in praxi transgrediendæ legis periculum, quod non est in speculatione; unde D. Caramuel Apologematis sui *Epist.* 4. sæpius à speculativis ad practica malè argumentatur.

Sequela secunda.

11 Sequitur 2. *Oportere in Moralibus de tempore Morali, sicut in Realibus de tempore reali & Mathematico philosophari.* Atqui id evertit multarum legum observantiam ac mores bonos, ad quæ ædificandum & promovendum ordinantur; imò idipsum est contra Caramuelem 2. *P. suæ Theol. fund. n.* 55. ubi ait, *qui res practicas volunt ad Mathematicum tempus reducere, possunt confundi breviter; nimirum, si jubeantur significare momentum, quod est hora talis aut talis v. g. & tempore nocturnô præsipuè.* Quídni etiam contra rationem? nam *oportere in Moralibus de tempore morali, sicut in Realibus de reali seu Mathematico, philosophari,* est, *oportere in Moralibus de tempore sumpto cum latitudine & divisibilitate, sicut in realibus de tempore sumpto sine latitudine & divisibilitate, philosophari.* Quod evidenter contra rationem pugnat: Ergo, &c.

12 Probatur minor pro 1. Parte: (ad 2. & 3. ex præmissis patet) sicut moraliter impossibile est, nosse momenta seu instantia Mathematica; ità & leges Pontificias quàm plurimas observare, si obligent primô instanti Mathematicô post duos menses à sua Romæ facta promulgatione; & nominatim legem de abstinentia, ab infantibus doli capacibus, si eos primô post septennium momentô obliget: unde meritò D. Caramuel 1. *P. suæ Theol. fund. nu.* 242. ait, *Hodiè, qui mediam noctem Mathematicè observari juberet, impossibile observari juberet.*

Sequela tertia.

13 Sequitur 3. Nulla entia in Physica distingui modaliter, seu accidentaliter tantùm, quæ in Ethica distingui debeant substantialiter: atqui hoc mirabiliter turbat & confundit Theologiam moralem, ac per consequens impedit morum ædificationem & reformationem, ad quam ordinatur: imò id evidenter militat contra ipsum & Caramuelem 2. *P. suæ Theol. fund. n.* 68. *in fine*, ubi ex præmissis infert: *Ergo multa distinguuntur modaliter aut accidentaliter in Physica, quæ in Ethica distingui debent substantialiter:* ergo *similiter multa distinguuntur in Physica essentialiter & substantialiter, quæ ejusdem sint speciei moraliter considerata. Prior Corollarii pars patet ex dictis: posterior verò; quia qui dicunt aurum, argentumq́; distingui specie; non tamen dicunt furtum auri à furto argenti specie morali differre.* Ergo, &c.

14 Probatur major ex jam sæpè allato D. Caramuelis fundamentali principio, *Oportet*

Oportet de Moralibus, ac proindè de Ethicis, *moraliter*, *sicut de Physicis*, *physicè philosophari*. Sic nempè, ut sequatur à pari dicendum. 1. Entia, quæ in physica modaliter aut accidentaliter tantùm distinguuntur, & non substantialiter, in Ethica distingui debere modaliter, aut accidentaliter tantùm, & non substantialiter. 2. E contra entia, quæ in physica distinguuntur essentialiter & substantialiter, ac ideò diversæ speciei dicuntur in Ethica distingui debere essentialiter & substantialiter, ac ideò esse diversæ specie in Ethica; alioqui fallit D. Caramuelis præcitatum fundamentale principium.

15 Probatur minor pro prima parte (quæ sola probanda restat) quia inde fieret. 1. Quod, sicut parum & multum auri v. g. in furto; parum & multum panis vel piscis in jejunio, parum & multum horarum in horis Canonicis, furari in templo & extra templum, fornicari cum voto ut matrimonio ligata & cum libera, &c. in Physica modaliter & accidentaliter tantùm distinguuntur, & non specie; ita in Ethica modaliter & accidentaliter tantùm distinguantur, & non specie, cujus falsitatem *Cursus Theol. tom.* 4. ni fallor, demonstramus. 2. Quod, sicut in die abstinentiæ, ova & lacticinia comesta in Belgio, à seipsis comestis in Italia, essentialiter & substantialiter, prout licitum & graviter illicitum, ac proinde specie secundum Ethicam distinguuntur (& idem est de sue comesta in veteri testamento, à seipsa comesta in novo, ac collo bovis ab iliis, comestis Sabbatho in Hispania) ità in Physica specie distingui debeant: quæ, & alia sexcenta, unò die licita, & alterò sub mortali prohibita, non solum, si principium illud subsistat, moralem Theologiam turbant, sed & Physicam, ut attendenti patebit: Ergo, &c.

Sequela quarta.

16. Sequitur 4. Doctis esse argumentandum à pari; non tantùm in his, quæ ab hominum, sed & in illis, quæ à libera Dei voluntate pendent: atqui hoc multarum legum observantiam, ac per consequens mores, laxat & solvit: imò id etiam est contra propriam ipsiusmet Caramuelis professionem 2. P. *suæ Theol. fund. nu.* 101. ubi ait: *Si ex voluntate Ecclesiæ, paritas claudicat: in iis enim, quæ à libera hominum voluntate dependent, docti non argumentantur à pari.* Ergo, &c.

17. Probatur major: quia moralia pendent à libera Dei præcipientis aut prohibentis, & hominum obedientium aut prævaricantium voluntate: at D. Caramuel, non tantum in *Moralibus*, quæ sunt inter sese similiora *Realibus* & *Moralibus* inter se: sed in *Moralibus* & *Realibus* argumentatur à pari, sive à *Realibus* ad *Moralia* paritatem trahit, juxta hoccè ipsius sæpè repetitum principium: *Oportet de Moralibus moraliter, sicut de Realibus Realiter Philosophari*.

18. Probatur minor: quia attentâ præcisè rationis paritate, eximerentur 1. à jejunio omnes, qui post vigesimum primum annum, non essent vegetiores & fortiores vegetissimis & fortissimis, qui ante illum annum non obligantur. 2. Non privilegiati, prout privilegiati, à Communione annua in propria Parochia. 3. Diœcesani à celebrandis suæ Diœcesis Festis, quæ in alia non celebrantur. 4. Ab horis

Canonicis Pastores, prout Custodes in sacris non constituti, item Clerici Religiosi, prout Laici: & sic de infinitis aliis, quæ sunt perabsurda: devoranda tamen à D. Caramuele, si suo principio insistere velit; quia non video majorem distinctionem inter illos, qui ad vigesimum primum annum nondum pervenerunt, & alios, qui superaverunt, inter non privilegiatos & privilegiatos, &c. quàm sit inter *Moralia* & *Realia*, in quibus D. Caramuel argumentatur à pari. Attendat igitur, an inter hæc, paritas, quam per præcitatum suum principium, vult esse majorem illâ (quæ significatur esse inter *Moralia* & *Chimæras*, per hoc, *oportet de Moralibus moraliter*, *sicut de Chimæris chimæricè philosophari*) non sit vana & chimærica, & non meritò dixerim D. Caramuelis principium *videri falsum supponere*, quod dici se non passurum scribit Authori in litteris in *Noctua* nostra *Belgica* ad ipsius *Aquilam Germanicam* relatis.

PROBATIO II.

Quoad Theologiam Sacramentalem.

19. PRobatur. Tota Theologia Sacramentalis de Sacramentorum constitutione & effectibus, aliter quàm de Realium constitutione & effectibus, philosophandum suadet: ergo tota Sacramentalis Theologia non suadet, *oportere de Moralibus moraliter*, *sicut de Realibus realiter philosophari*; sed oppositum.

20. Probatur antecedens pro prima parte: quia alioqui, sicut partes Physicæ corpus naturale physicè constituunt, si physicè, etsi non moraliter, existant; ità partes morales compositi moralis seu Sacramenti, Sacramentum moraliter constituere deberent, si moraliter, etsi non physicè, existerent: sic nempè, ut sufficeret has, aquam v. g. in Baptismo, & sic de aliis, mente & voluntate intendi, nec aliter, quàm in mente & voluntate ministri existere; cum sufficiat partes Physicas, ad corpus naturale physicè constituendum, physicè sive in re existere, etsi non moraliter, sive in mente & voluntate: sequela autem omnium Orthodoxorum confessione est hæretica, & damnata in Florentino *in Decreto Eugenii*, ubi materias septem novæ legis Sacramentorum physicas, esse à Christo, saltem alias aliis generalius, determinatas definit, uti & Tridentinum à *Sess. 7. de Sacramentis in genere ad 15.* ergo &c. minor & consequentia patent: sequela majoris clarè deducitur ex allato fundamentali D. Caramuelis principio, *oportet de Moralibus moraliter*, *sicut de Realibus realiter Philosophari.*

21. Adde tamen consequenter ad præmissa: probationem etiam hôc modô formari posse. Alioqui sequeretur, quod sicut in Realibus, seu Physicis, ad compositum reale, seu physicum, sufficit partes ejus in re, etsi non in mente & voluntate, seu intentione, existere; ità & in Moralibus, seu Sacramentis, ad compositum morale, seu Sacramentum, sufficiat partes ejus in re, etsi non in mente & voluntate, seu intentione, existere; quia juxta allatum principium, *oportet moraliter*, *sicut realiter philosophari.* Hoc autem, utpotè excludens intentionem ministri contra Florentinum suprà, & Tridentinum *Sess. 7.*

de Sacram. in Gen. can. 11. similiter est hæreticum: ergo, &c.

22. Probatur antecedens pro secunda parte: quia alioqui, sicut salvatur causa physicè causans, independenter ab omni causâ morali moraliter causante, ut patet in generatione Filii in Divinis, ità causa moraliter causans salvari posset independenter ab omni causa physica physicè causante: quod planè in-intelligibile est, & sicut D. Caramuel, pro præsenti rerum statu, vult servandam proportionem inter causam physicam & moralem; nunc salvari posset causalitas moralis Sacramentorum nostrorum per solam imputationem moralem justitiæ Christi, imò etiam sine hac & diffusione physica gratiæ inhærentis, quod damnatur in Tridentino *Sess. 6. de just. can.* 11. Ergo, &c.

23. Adde iterum consequenter ad præmissa: probationem etiam hôc modô formari posse; alioqui sequeretur, quod sicut causarum physicarum, ut talium, effectus debent physicè produci; ità & moralium, ut talium, debeant physicè produci: nam juxta principium Domini Caramuelis, *oportet moraliter, sicut physicè philosophari, quod omninò falsum est.*

Colliges ex præmissis: non licere sequi D. Caramuelis sententias in isto, aut simili principio fundatas, quantumvis velit illas esse probabiles & licere sequi opinionem probabilem præcisè: nam illarum probabilitas rejici debet, uti jam rejectum ipsius principium, in quo fundantur: non licere autem, sequi opinionem probabilem præcisè, infrà probamus.

D. CARAMUEL.

Apologematis *pro doctrina de probabilitate* Epist. 4.

1 NVm. 124. Eadem D. Fagnani doctrina, destruit pleraque, quæ resolvit D. Fagnanus. Demonstraturus sum, sibi passim D. Fagnanum contradicere: & quia rem non capit, & nodum difficultatis non penetrat; eadem ipsa interdum affirmare & negare.

2 Explicans Caput Firmiter. *num.* 5. ait: *Extra controversiam est, cuilibet usum rationis habenti, necessarium esse ad salutem, Articulos fidei credere, ut symbolo Athanasii, &c. quia sine fide impossibile est placere Deo.* Et hîc in Assertione, fidem expressam cum implicita; necnon necessitatem medii cùm necessitate præcepti; & in probatione, fidem actualem cum habituali confundit: nam Apostolus de habituali loquitur, non de actuali. Si dubites, lege Leandrum *part. 6. tract. 6. disp. 2. quæst.* 4. ibi enim agens de fide explicitâ ait, *certum est, quòd fides omnium mysteriorum non sit ad salutem consequendam necessaria, necessitate medii.* Jubetque

betque legi Sanchez *lib.2. in Decal. cap. 2. num.2.* Valentiam 2. 2. *disput.1. quæst.2. punct.3.* Suarium *disp.* 12. *de fide sect.* 3. Arriagam 2. 2. *tract. de fide disp.* 12. *sect.* 2. *num.* 7. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 2. & alios, qui de hoc argumento scripserunt.

3 Posteà *num.* 18. D. Fagnanus hanc conclusionem statuit. *Omnes adulti, etiam simplices, tenentur explicitè credere Deum esse, & Remuneratorem omnium bonorum.* Sed tu hunc casum considera.

4 *N.* 125. Nascitur Petrus; baptizatur: antequam loqui sciat, capitur à Barbaris, in sylvam inducitur, & Atheïsmum positivè docetur. Ad usum rationis pervenit: posse invincibiliter nescire Deum, saltem ad tempus, Theologi nobiliores affirmant. Moriatur igitur hic, antequam ignoret vincibiliter Deum, & aliquod committat mortale.

5 Quò Petrum D. Fagnanus mittet? non ad infernum, quia originali ille & actuali mortifero caret: ad cœlum ergo. Ergo expressa & actualis fides non est ad salutem necessitate medii necessaria.

6 *N.* 81. Ignorantia invincibilis, est naturalis & necessaria, quam hîc & nunc homo superare non potest.

7 Nota illud hîc & nunc. Licèt enim Petrus heri potuerit veritatem addiscere: & licèt fortè illam heri non addiscendo peccaverit; si nunc caret mediis, ut possit ad notitiam veritatis venire, nunc illam ignorat invincibiliter. Hæc ignorantia, vel invitis Lutherô, Calvinô, Jansenio, &c. etiam in Jure divino à culpa excusat. Oppositum à Jansenistis haurit D. Fagnanus, & tanquàm firmum fundamentum substruit, ut suum Pseudolemma succollet.

AUTHOR.

8 Ante omnia: certum omninò est, D. Fagnanum profiteri, ignorantiam invincibilem juris, aut Ecclesiæ determinationis, in spectantibus ad fidem & bonos mores, excusare à peccato formali erroris. Primò: quia in *cap. ne innitaris num.* 401. sic habet: *Quibus nunc addimus illud Proverb.* 6. Est via, quæ apparet homini recta, sed novissima ejus ad inferna deducunt: *Ubi sapientia divina non loquitur de via mala secundum se, & à parte rei, quæ tamen certò & invincibiliter apparet recta: alioqui conscientia erronea ex ignorantia invincibili non excusaret,*

ret, contra id, quod docent communiter Theologi cum D. Thoma 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. Quid expressius ad destruendum firmum fundamentum, quod D. Caramuel à proprio cerebro haurit, D. Fagnano calumniosè *num.* 7. affingit, & suo Apologemati ubique substruit, ut hoc suum Pseudolemma, *D. Fagnanus à Jansenistis haurit, & tanquam firmum fundamentum substruit, quod ignorantia invincibilis &c. etiam in Jure divino à culpa non excuset*; *ergo hæc ejus verba*, peccant omnes, qui in materia conscientiæ sequuntur opinionem probabilem, *Dialectice Janseniana sunt* &c. (vide *num.* 1. ante *dub.* 3.) succollet. Undè dum P. Vincentius Baronius in suis ad D. Caramuelis Apologema Responsis, ubique istam difficultatem fundamentalem sejungens, D. Fagnanum ab ista calumnia non expurgavit, pro D. Fagnano parum fecit. Vide *dub.* 5. *num.* 21. *ad* 48.

9 Secundò: id ipsum confirmat Responsis ad objectionem, quam *num.* 426. sic proponit: *Nec prædictis*, nempe. Opinio unius Doctoris, quantâlibet sanctitate, & doctrinâ præditi, tutâ conscientiâ teneri, & ad praxim deduci non potest, si ab Ecclesia sit reprobata, aut sit contra Ecclesiæ determinationem, nec talis opinio ullatenùs est probabilis, sed potiùs improbabilis, & falsa. *Hanc Object. prosequitur, subdens.*

10 Hæc conclusio est S. Thomæ *d. quodlib.* 3. *art.* 10. ubi docet, in spectantibus ad fidem, & bonos mores neminem excusari à peccato erroris, si sequatur opinionem alicujus Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, aut contra id, quod publicè tenetur per Ecclesiæ authoritatem. Et eum sequuntur S. Antoninus in 3. *p. tit.* 5. *c.* 3. §. 9. Angel. Sylvest. & alii Summistæ in verb. *Opinio.* Idem tradit Suarez in 1. 2. *disp.* 12. *sect.* 6. *num.* 11. ubi ponit exemplum in opinione illa de absolutione absentis, reprobata à Clemente VIII. Sanchez in *Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 11. ubi ponit pro conditione opinionis probabilis, ut non contineat errorem, quod est dicere, ut ab Ecclesia non sit rejecta. Castr. Pal. *part.* 1. *disp.* 2. *n.* 4. & alii Recentiores. Quibus adjungi possunt Adrianus & Corduba suprà citati *num.* 404. dum tradunt opinionem singularem unius viri, quantumvis docti & probi, nullam facere probabilitatem in his, quæ sunt contra jus divinum. *Adversatur, quod sufficiat consilium unius sapientis, & probi viri, ut illud sequi possit: ergo & docto sufficere debet.*

11 Respondet primò n. 426. *Primò enim respondent nonnulli, apud Azorium* Instit. moralium *tom.* 1. lib. 2. cap. 7. q. 5. *negando consequentiam, & benè judiciô meô* (nota rationem sequentem:) *quia jus ignorare* (utique invincibiliter) *licet indoctis ac rudibus: non autem eis, qui suâ prudentiâ instructi sunt.* l. regula *ff. de jure & facti ignorantia.* Undè D. Fagnanus iterum clarè agnoscit *ignorantiam invincibilem excusare* &c.

12 Respondet secundò n. 427. *Deindè responderi potest: negando antecedens; nam si ille indoctus dubitat de veritate opinionis, aut habet rationem dubitandi, eò quòd audiverit alios aliter opinari, potest illos consulere, imò & debet: quia, ut inquit S. Thom. d. quodlib. 3. art. 10.* in dubiis oportet non citò credere: *alioquin ex juris ignorantia non excusatur, ut est text. in d. l. regula, §.* Sed juris ignorantiam. *Et in c.* Non omnis 137. dist. *& tradit Corradus* de contract. quæst. 100. *dicens:* [*illiteratus inquirat à litteratis timentibus Deum, & sicut faceret, imminente sibi periculo corporalis vitæ, aut rerum, sic etiam & multò magis in periculo animæ.*] Quibus D. Fagnanus solum probans, *ignorantiam vincibilem non excusare* &c. confirmat id, quod *de invincibili excusante* præmisit.

13 Respondet tertiò n. 428. *Aut tali indocto nullum occurrit dubium de veritate opinionis; & nihilominus non excusatur ex ignorantia juris, ut est textus clarus in c.* Per tuas, i l. 3. de Simon. *Ubi ordinatus in Subdiaconum, qui prius præsentatori suo promisit, quod nil ab eo peteret, in suscepto ministrare, vel ad Superiores Ordines ascendere, sine dispensatione non potest, etiamsi peccare non crediderit, ut ibi est casus secundum Jo. Andr. Card. Abbatem, & omnes in Summar. & Gloss.* 1. *exponens illa verba textus,* nec se in hoc illicitum egisse aliquid intellexit, *reddit rationem dicens:* propter hoc non excusatur, ut benè sequentia notant; quia potuit consulere peritiores. *Et concordant ibi Host.* num. 2. in *ver.* illicitum. *Joan. Andr.* num. 5. *& alii communiter.* In istis autem ponderandum, D. Fagnanum solùm excludere dubium de veritate opinionis; non verò formidinem de veritate opinionis; cùm, ipsô ubique docente, ac nominatim *ibidem* n. 22. dicente: *Opinio autem dicitur, cum intellectus declinat in unam partem contradictionis, cum formidine tamen alterius.* ipsa sit de ratione opinionis: hæc autem formido excludit ab isto indocto ignorantiam invincibilem juris, de quo in *Respons* 1. dixerat, *& benè meô judiciô; quia jus ignorare* invincibiliter *licet indoctis.* Et propterea ratio-

rationem reddit ex Glossa 1. *propter hoc non excusatur, ut benè sequentia notant; quia potuit,* ab ista formidine sufficienter motus, *consulere peritiores.* Alioqui certè malè dicere *potuit*, cum aliundè *nullum dubium occurrerit de veritate opinionis.* Undè etiam hîc, ut patet, solum vult, *ignorantiam vincibilem non excusare,* secus *invincibilem.*

14 Nec refert primò. Quod in eodem responso addat: *Nec subsistit, quod dicebat quidam Theologus, illum textum non habere locum in foro conscientiæ: quia nulla ignorantia invincibilis est peccatum, ut inquit S. Thomas in* 1. 2. *q.* 76. *art.* 2. *in Corpore.* Quia, admissâ ratione istâ ex doctrina D. Thomæ, præcisè dictum istius Theologi benè rejicit, hôc modô, *Imò enim illa decretalis expressè loquitur de eo, qui credidit se non peccasse, seu illicitum aliquid commisisse, & ità communiter exponitur à Doctoribus, & imponit pœnam, quæ afficit animam, & ideò dubitari non potest, quin habeat locum etiam in foro interno.* Supple ratione *formidinis,* de qua statim in *Resp.* 3. *n.* 13. Non verò, *non obstante ignorantiâ invincibili, quarum nulla est peccatum, ut inquit S. Thomas in* 1. 2. *q.* 76. *art.* 2. *in Corpore.* Primò: quia immediatè post ad istam rationem pergens, illam non impugnat ut falsam, quod alioqui fecisset; sed ut ab isto Theologo ibi intervenire falsò suppositam, subdens: *Neque verò talis dici potest ignorantia invincibilis, sed potiùs vincibilis, ut egregiè declarat S. Thomas locô proximè citatô, seu crassa, & supina, quæ neminem excusat.* c. 1. *de ordinat. ab Episc. qui renunc. Episcopat.* c. penult. *de Cleric.* excom. *Gloss.* in c. 1. *in ver.* Nescire. *& in ver.* Pro hujusmodi negligentia, de Cler. per saltum promoto. *Dicitur enim crassa, & supina ignorantia, quando de facili potuit quis scire, & non indagavit. Gloss.* 2. in d. c. penult. *Ad hoc bonus textus in l.* Si aviam, *ibi.* Si cum peritioribus tractatum habuisses, facilè cognosceres, c. *de ingen. & manu.* Secundò: quia hanc suam doctrinam corroborat ex eodem loco D. Thomæ, in quo explodendus foret, nisi locum D. Thomæ pro utraque parte verum judicaret, aut nisi istius Theologi dictum præcisè refelleret. Tertiò: quia, ut vidimus *n.* 8. id expresè docet ex S. Thoma.

15 Nec refert secundò: quod *n.* 432. addat: *Demùm hæc doctrina est ipsius S. Thom. in præallegato* quodl. 3. art. 10. *cujus hæc sunt præcisa verba:* [*in his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus magistri, in talibus enim ignorantia*

 non

non excusat. Et infrà: *Nec potest excusationem habere propter simplicitatem, si in talibus erroneam opinionem sequatur: in rebus enim dubiis non est de facili præstandus assensus*, &c.] *loquitur ergo S.Thom. de indocto, qui per simplicitatem, & juris ignorantiam sequitur opinionem errantis magistri, nec dubitat de illius veritate; imò credit, eam esse verã: & tamen S.Doctor concludit talem ex simplicitate, & ignorantia hujusmodi in spectantibus ad fidem, & bonos mores à peccato erroris non excusari: & concordant S. Antonin. & alii suprà citati num.*425. Quia D.Fagnanus semper supponit *formidinem,* quæ est de ratione opinionis, excludere *ignorantiam invincibilem;* includere autem *potentiam proximam* ad consulendum peritiores, & *negligentiam vincibilem*, ut sequitur ex his verbis textus, *in rebus enim dubiis*, ac sic *ignorantiam culpabilem,* quod non impedit, ne agnoscat, prout agnovit in præmissis *n.* 8. *ad* 15. *ignorantiam invincibilem* à peccato excusantem.

16 Nec refert tertiò: quod *pag.* 103.*n.*339. hanc propositionem, *ut actio quæpiam sit peccaminosa, oportet, ut procedat ab homine, qui noscit, & percipit, quid boni malíve in ea sit, & antequam id videat, aut animum reflectat, actio, neque bona est, neque mala,* inter propositiones à facultate Theologica Universitatis Lovaniensis censuratas, referat. Quia illas refert: non quod omnium veritatem profiteatur; sed quod faciant, ut probet, *esse effrænatam opinionum probabilium multitudinem*, uti dixit *n.*330. Neque D.Caramuel respondere potest: *Hanc Apologiam, nec esse veram, nec ad rem, & à solo homine Logicæ nescio formari posse*, uti respondet cuidam instantiæ, quam sibi effinxit *n.* 43. Nam vera est, & ad rem sensu datô, licèt D.Fagnanus allatæ propositionis censuram, à facultate Theologica Lovaniensi latam, non profiteatur, uti ad *dub.* 3.*n.*8. dicetur: non quod, sensu dandô *dub.* 4. *n.* 30. propositio illa censuram non mereatur; sed quod Catholicum *dub.* 3. *n.*13. *ad* 40. allatum patiatur, quem ipse, ut sequitur ex dictis à *n.*8. Catholicè amplectitur.

17 His igitur de mente D. Fagnani assertis, D. Caramuelis ratiocinia falsa rejiciuntur. Contra primum ex *num.*124. Doctrina D.Fagnani, & nostra, est hæc: *In materia fidei & morum ad securitatem conscientiæ non sufficit opinio probabilis præcisè* (addo *præcisè*, quia, uti *dub.* 6.*n.* 39. patebit. D. Fagnanus ità intelligit, & attentô ly non sufficit, ac dicendis contra P.Vincentium Baronium *dub.*7. *resol.*12. debet.) Item in

Cap.

Cap. *Ne innitaris* ejusdem hæc. *Nulla ignorantia invincibilis est peccatum, ut inquit S. Thomas.* Vide dicta n. 8. 11. & 14. Addit autem n. 432. ut probet, *Opinionem unius Doctoris, quantalibet sanctitate & doctrina præditi, tuta conscientia teneri, & ad praxim deduci non posse, si ab Ecclesia sit reprobata, aut sit contra Ecclesiæ determinationem, nec talem opinionem ullatenus esse probabilem, sed potius improbabilem & falsam.* Verba D. Thomæ ex quodlib. 3. art. 10. *In his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus magistri.* Et infrà: *Nec potest excusationem habere propter simplicitatem, si in talibus erroneam opinionem sequatur, in rebus enim dubiis non est de facili præstandus assensus.* Igitur

Fallit D. Caramuel, non sine injuria D. Fagnani, viri præclarissimi, nisi *demonstret* in istis, Dominum Fagnanum sibi contradicere: nisi, inquam, id ex præmissis certis & indubitatis inferat: nam dicit, *demonstraturus sum.* Et infrà *n.* 311. Postquam dixit, *demonstratio peripathetica est impossibilis.* Addit; *Demonstratio, quæ hodiè in mundo formatur, illa est, quæ in legitima forma constituitur, habetq; certas & indubitatas præmissas.* Nullam autem talem demonstrationem ibi adfert: *At dicet, se rationes dedisse.* Sed in ipsum retorquetur hîc, quod ibi D. Fagnano, ut irrideret, affinxit, dicens: *Et ego rideo: & ubi sit Logica, interrogo, si verborum colluvies indigesta, & elumbis* ratio *debeat* fundamentum (hîc demonstratio) *vocari.* Undè patet ad Objecta *n.* 1.

18 Contra Objecta verò *n.* 2. Adde: D. Fagnanum locis objectis ex *cap. firmiter*, solùm intendisse referre generaliter ea, quæ sunt ab Ecclesia ità determinata, aut reprobata, ut contra, *Opinio unius Doctoris, quantalibet sanctitate & doctrina præditi, tuta conscientia teneri, & ad praxim deduci, non possit, nec talis opinio ullatenus sit probabilis, sed potius improbabilis & falsa.* Quod clarè colligi videtur.

19 Primò ex his, quæ habet in *cap. Nè innit. n.* 19. ajens: *Secundum membrum principale est, cum versamur in his, quæ spectant ad fidem, aut mores; & tunc subdistinguere oportet duos casus. Primus est, cum* articuli sunt determinati à lege, aut publicè tenentur secundum Ecclesiæ authoritatem: *Et habet locum, quod Augustinus ait* in lib. 3. *de Doctrina Christiana* [consulere debet quis regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & de Ecclesiæ authoritate percepit.] *Et quod ait Hie-*

ronymus in Parabol. [prudentiæ ſuæ innititur, qui ea, quæ agenda, vel dicenda videntur, Patrum decretis præponit.] *ut hîc in littera. Ad idem ſunt textus in c.* Si inter, 6. qu. 4. *& in c.* Summopere, 11. qu. 3. *cum multis concordan. Undè ſecundum D. Thomam* d. quodlib. 3. art. 10. *qui aſſentit opinioni alterius Magiſtri, contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, ſive contra id, quod publicè tenetur ſecundum Eccleſiæ authoritatem, non poteſt ab erroris vitio excuſari. Itaq; ſemper præferri debet opinio, quæ habet pro ſe legem, vel probatam conſuetudinem, ut ait Sylveſt. in ver.* Opinio, *eod.* num. 2. *Et idem eſt, ſi intellectus moveatur ab ipſo objecto; ſive quia ſit per ſeipſum cognitum, ut in primis principiis, quorum eſt intellectus; ſive per aliud, ut patet de concluſionibus, quarum eſt ſcientia, ut idem D. Thom. declarat* in 2. 2. qu. 1. art. 4. *Sed hic non eſt caſus noſter; quia verſamur in opinione. Opinio autem dicitur, cùm intellectus declinat in unam partem contradictionis, cum formidine tamen alterius; nam ſi id fieret cum certitudine, non eſſet opinio, ſed fides, ut per D. Thom.* d. art. 4. *& Sylveſtrum* loc. cit. *Secundus caſus eſt,* cùm articuli non ſunt à lege determinati, nec publicè tenentur ſecundum authoritatem Eccleſiæ. *Et tunc quæſtio eſt ardua noſtris temporibus.*

20 Secundò ex præmiſſis *in Caput Firmiter* de ſumma Trinitate n. 54. *Sed hæc meſſis Theologorum. Quocirca nos Canoniſtæ decidamus quæſtiones noſtras, & Theologi decidant quæſtiones ſuas; quia non eſt ſine culpa ponere falcem in meſſem alienam, ut de Legiſtis, & Canoniſtis dicebant* in c. fin. infra de condit. appoſ. *Butr.* n. 8. in fin. *& Alex. de Nævo* n. 26. Undè mirum eſt, quòd Caramuel D. Fagnano improperet, ipſum in iſta aſſertione, *fidem expreſſam cum implicita, necnon neceſſitatem medii cum neceſſitate præcepti, fidem actualem cum habituali confundere.* Cum *diſtinguere*, velit eſſe *Theologorum meſſem* in ſimili, ut patet ex loco ſtatim citato; & hunc locum referat Caramuel *n.* 112. Vide retortionem ad dub. 9. n. 57. Et attende Auguſtinum etiam ſæpè confundere peccata, quæ moderni Theologi, juxta dicenda *dub.* 3. *n.* 10. *&* 11. quintupliciter diſtinguunt.

21 Contra ſecundum ex *num.* 125. Non reperio iſtam doctrinam à D. Fagnano negatam: ſed potiùs aſſertam; quia conſequenter loquitur ad ea, quæ præcitavimus *num.* 8. 11. *&* 14. & nos confirmamus infrà.

22 Con-

22 Contra tertium ex *num.*81. Opus non eſt clariùs aperire calumniam; quia patet, attentâ doctrinâ D. Fagnani expreſsâ & expreſsè oppoſitâ *n.*8. *ad* 15. ſtatim citatis. Igitur ſit

DUBIUM SECUNDUM.

An dari poſſit ignorantia invincibilis, ſive inculpabilis unius Dei & Legis naturalis?

RESOLUTIO I.

23 Dico primò. In nullo homine, quantumvis rudis & hebetis ingenii, ſi ratione utatur, dari poteſt inculpabilis unius Dei exiſtentis ignorantia poſitiva, quâ ſcilicet, excitatis de Dei exiſtentia ſpeciebus, poſitivè inculpabiliter dicat, *non eſt Deus*, ſive *Deus non exiſtit*, etſi ſit pravâ Athei inſtructione præventus.

24 Ratio primæ partis eſt: quia, illis ſpeciebus excitatis, per ipſum ſtat ulteriùs & ulteriùs indagare Dei notitiam, neceſſariam ad talem errorem removendum, juxta illud Auguſtini tract. 106. in Joan. *Hæc eſt vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali ratione utenti*, puta in exiſtentiæ Dei inquiſitione, *non omninò ac penitùs poſſit abſcondi.* Et Damaſceni lib.1.de fide Orthod. cap.1. *Nemo eſt mortalium, cui non hoc à Deo naturaliter inſitum ſit, ut Deum eſſe habeat perſpectum.* Quarè Apoſtolus ad Rom. 1. *quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis* &c. *ita ut ſint inexcuſabiles.* Ideoque Minutius in Octavio, *illos meritò torqueri, qui Deum neſciunt, ut impios, ut injuſtos, niſi profanus, nemo deliberat, cum parentem omnium, & omnium Dominum non minoris ſit ſceleris ignorare, quàm lædere.*

25 Ratio ſecundæ partis clarè ſequitur ex præmiſſis *num.* 24. Unde non ſatis apparet, quomodò ſubtiliſſimus Atheus rudem aliquem & hebetem ruſticum de *Dei exiſtentia* inquirentem, ità fallere poſſit, ut inculpabiliter credat, *Deum non exiſtere*, qui notoriè exiſtit: etſi Atheus ille ſagax hujus motiva, con muniter levia (cum hebes ſit & rudis ruſticus,) facilè eludere poſſit, & ei ſubtiliora contra *Dei exiſtentiam* proponere, quæ ipſe ſolvere non poſſit; quia equidem retinet potentiam proximam ad non credendum, *Deum non exiſtere*, & ulteriùs indagandum, prout debet.

RESOLUTIO II.

26 Dico ſecundò. In homine, rudis & valdè hebetis ingenii, ſibi relicto, dari poteſt, ſaltem ad breve tempus, inculpabilis (puta culpâ formali novâ, ab alia perſeverante, in qua fuerit actu, & ſit habitualiter voluntaria, condiſtincta, ob dicenda dub.3.Reſol 1.) unius Dei exiſtentis ignorantia negativa, quâ ſcilicèt meram cognitionis Dei privationem habeat, per puram de Deo exiſtente incogitantiam & inadvertentiam, diſtractio-

ſtractionibus ad alia impedientibus, ne ulla ſpecies de Deo exiſtente excitetur. Ità multi, quos *tom.* 1. *diſp.* 1. *de Deo num.*42. citavimus.

Ratio eſt: quia videtur certum, pleroſque infideles, & nonnullos fideles, ſaltem ad modicum tempus, in iſto ignorantiæ negativæ ſtatu conſtitui, & à fortiori educatos in ſylvis à pueritia, inter beſtias, vel Atheos, ut conſideranti patebit; præſertim, cum hodiè multos experiamur fideles, qui magno, cum Paſtorum, tum Religioſorum labore inſtructi, facilem doctrinam ſibi ab eis traditam, ingenii defectu, non percipiant.

27 Nec obſtant Scripturæ ac SS. Patrum authoritates: quia nihil plus evincunt, quàm quod *Reſolutione* 1. dictum eſt, aut etiam quod Deus à ſimilibus ad longum tempus invincibiliter negativè ignorari non poſſit. Auguſtinus autem *lib. de gratia & lib. arbit. cap.* 3. dicens, *Aliud eſt neſciſſe, aliud ſcire noluiſſe, voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur,* noluit intelligere, ut benè ageret; *ſed & illa ignorantia, quæ non eſt eorum, qui ſcire nolunt; ſed eorum, qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſi proptereà non credidit, quia non audivit omninò, quod crederet; ſed fortaſsis, ut minùs ardeat: non enim ſine cauſa dictum eſt, effunde* iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, *& illud, quod ait Apoſtolus, cum venerit in flamma ignis dare vindictam in eos, qui ignorant Deum.* Solùm vult infideles, & non baptizatos, in ſempiternum arſuros, ratione peccati originalis & ignorantiæ Dei in originali perſeverante, modò *dub. ſeq.* explicandô, culpabilis: non verò fideles baptizatos, qui per puram incogitantiam naturalem Deum negativè ignorant, & in hac unius aut alterius momenti v. g. ſine ullo alio peccato, moriuntur: certè benignior eſt Deus, & magis miſericors, quàm ut obindè ſuos amicos tam crudeliter tractet. Unde (ſalvô meliori judiciô) hîc audiendus non eſt D. Sinnichius, dum in ſuo *Saule Exrege* § 379. ità pronuntiat, *planum proindè eſt, notitiam Dei ità omnibus hominibus eſſe à natura inſitam, ut adultorum nullus eâ carere, niſi fortè vincibiliter & culpabiliter, poſsit. Ex quo ulterius fit, ut ipſa ejus carentia pœnam promereatur ut culpabilis.* niſi ad ſenſum primæ Reſolutionis loquatur, quô intelligi debent authoritates, quas *ibid.* opponit, Tertulliani *in Apolog. cap.* 17. & Cypriani lib. de vanitate Idolorum. *Atque hæc eſt ſumma delicti, nolle agnoſcere, quem ignorare non poſsis.* Quia iſtud *nolle* ſupponit rationis uſum & ad Deum advertentiam.

28 Objicies tamen. Adultus in infantia baptizatus, laborans Dei ignorantiâ inculpabili, & in illa moriens, ſalvatur, vel non? Si primum: ergo malè definitur neceſſarium neceſſitate medii (uti eſt adulto cognitio illa, ſive de Deo fides actualis,) *id, ſine quo in re vel voto, etiam inculpabiliter omiſſo, nullus ſalvari poteſt*; quia talis adultus Dei cognitionem, nec in re, nec in voto haberet, & tamen ſalvaretur. Si ſecundum: ergo homo exiſtens in gratia non ſalvabitur; quorum utrumque eſt abſurdum; ergo &c.

29 Reſpondeo: talem adultum, ſi poſtmodum ſub Dei nolitia vel illius ignorantia culpabili mortaliter non peccet (quod alióqui Deum invincibiliter ignorans, uti *dub.* 3. probabimus, non poteſt,) ſalvandum: neceſſarium ſiquidem neceſ-

sitate medii ut sic præcisè non rectè definitur; sed definiri debet, *id sine quo, in re vel voto, etiam inculpabiliter omisso, nullus impius, quibuscumque aliis positis, salvabitur;* aliàs cum iste adultus ex baptismo supponatur, per Dei ignorantiam invincibilem supponi deberet fieri impius, quod non est Catholicum, uti *dub* 3. probabitur.

30 Ratio igitur, cur in definitione addiderim, *nullus impius*, verò *nullus pius*, non est, quod aliquis pius, potius quàm impius, sine aliquo necessario necessitate medii salvari possit. Sed

31 Primò: quod pius habeat in gratia sanctificante, tamquam voto, omne necessarium necessitate medii; illam autem non habet impius.

32 Secundò: quod aliòqui infans baptizatus ad partes infidelium translatus, sub Dei ignorantia inculpabili ad unum v.g. usus rationis momentum educatus, & in illa mortuus, omissione fidei actus de Deo moraliter impossibilis, non liberâ, & ideò inculpabili, gratiâ & salute privari deberet; quod crudele videtur, & directè contra amorem Dei Patris Filio suo adoptivo debitum. Quid, obsecro, aliud est, fidem de Deo actualem, necessitate medii necessariam facere adulto justificato, pro eo tempore, quô Deum invincibiliter, seu inculpabiliter, ignorat; quàm adultum illum, jam per baptismum justificatum, & Filium Dei adoptivum, ad impossibile pro tempore illo, sub æternæ damnationis pœna obligare, contra Trid. *sess.6.cap.* 11.? Eô nihil crudelius, & à paterno in Filium adoptivum affectu magis alienum.

33 Tertiò: quia non est tanta ratio dicendi, quod communiter docent Theologi, aquæ baptismum, non esse in re per se determinatè necessitate medii necessarium, sed disjunctivè in re vel voto, sive martyrio aut contritione perfecta, ne aliòqui penè innumeri, defectu baptismi aquæ, perire debeant, licèt in priori ipsi sint Dei ob Originale inimici, quàm sit dicendi, fidem de uno Deo actualem, respectu adulti non esse in re per se determinatè necessitate medii necessariam, sed disjunctivè, in re vel voto, sive gratia baptismali, ne valdè multi, qui in priori sunt amici Dei, defectu fidei actualis sibi moraliter impossibilis, in æternum perire debeant; cum sit incomparabiliter plus, unum Dei amicum perire, quàm infinitos Dei inimicos damnari.

34 Quartò. Quæro, cur adulto, jam per baptismum justificato, fides de Deo actualis potiùs necessitate medii necessaria *in re precisè* dicatur, quàm baptismus aquæ *in re præcisè* adulto, jam per contritionem perfectam justificato? hic enim per se est magis necessarius, quàm fides illa actualis; quia (præterquam quod infantes justificet, non verò fides actualis,) per se confert gratiam, quam fides actualis per se non confert: & aliundè ideò solum baptismus in re non est huic necessitate medii necessarius, quia hic de facto antecedenter est in gratia; ille autem in priori casu etiam supponitur esse antecedenter in gratia: unde ex hoc capite est inter utrumque paritas. Si verò dicas: ad Dei providentiam spectare, ut talis adultus sine fide actuali unius Dei non moriatur. Adstruis specialem providentiam sine necessitate, cum is fidem habitualem habeat, in qua sola, sine actuali (nam actualem esse in instanti mortis & perturbati ex agone animi necessariam necessitate medii, quis

credat ?) omnes justi moriuntur : aliunde verò istius providentiæ necessitas videtur supponere obligationem mortalem ad actum fidei actualis, pro eo tempore, quô obligatio illa invincibiliter ignoratur, quod suppositum esse erroneum, *dub.* 3. probabimus. Dicitur quidem. Joan. 1. *Erat lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sed manifestum est, subintelligi debere *habitu* vel *actu*, proportionaliter ad modum, quô 1. ad Timoth. 2. *Omnes homines vult salvos fieri*, disjunctivè; vel *habitu* gratiæ sanctificantis, fidei, spei & charitatis sine actualibus meritis, uti certum est de baptizatis, mortuis in infantia, aut Dei ignorantia invincibili, vel *actu prævio*, actualis meriti, sive ad istum habitum dispositionis aut cooperationis personalis, ut patet, præsertim in mortale actuale committentibus.

RESOLUTIO III.

35 Dico tertiò. Nullus adultus, ratione utens, positivè, sensu datô *Resol.* 1. (secus rudis & valdè hebes negativè, sensu datô *Resol.* 2.) inculpabiliter ignorare potest legem naturæ, quoad duo generalissima principia, in quibus cætera omnia radicantur, videlicet, *quod tibi vis fieri, alteri feceris*, & *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Si enim *Deo non feceris, quod à Deo pati non vis*, in eo radicantur tria præcepta primæ tabulæ. Si verò *proximo non feceris, quod à proximo pati non vis*, in eo radicantur septem præcepta secundæ tabulæ, uti colligitur ex Augustino *in lib. de decem chordis cap.* 20. ubi post multa, sic, *omnia enim peccata hominum, aut ad corruptelam pertinent flagitiorum, aut ad facinora nocendi : quia Deo nocere non potes in facinoribus, in flagitiis eum offendis, in corruptelis illum offendis : in te illi facis injuriam; facis enim injuriam gratiæ ipsius, domui ipsius.* Præmiserat autem ex Apostolo 2. ad Corinth. 3. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? si quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus.* Sed quid ad præceptum Christi Matth. 7. *Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Respondet Augustinus lib. 2. de Serm. Domini cap. 22. ? *Videtur hoc præceptum ad dilectionem proximi pertinere, non etiam ad Dei; cum alio loco duo præcepta esse dicat*, in quibus tota lex pendet & Prophetæ. *Nam si dixisset, omnia quæcumque vultis fieri vobis, hoc vos facite, hâc unâ sententiâ utrumque illud præceptum complexus esset; citò enim diceretur, diligi velle unumquemq;, & à Deo, & ab hominibus.* Duo autem hæc præcepta sunt, *diliges Dominum Deum tuum, & proximum sicut teipsum.* Duo verò legis naturæ generalissima. *Quod tibi vis fieri, alteri feceris*, quod est affirmativum, & *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, quod est negativum. Sed quid de hoc legis naturæ principio negativo (& consequenter positivo,) generalissimo dicit Augustinus? Accipe ex tract. 19. in Joan. *Omnes habent in corde fixum*, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. *Numquid hoc de paganis dicitur, & non in natura ipsa quodammodò legimus? furtum vis pati? utique non vis. Ecce lex in corde tuo*, quod non vis pati, facere noli. In Psal. 57. *Scripsit Deus naturæ legem in cordibus hominum, quam non sinitur ignorare, ut esset, unde judicarentur.* Et concion. 25. super Psal. 118. *Nullus enim est, qui faciat alteri injuriam, nisi qui fieri sibi nolit, & in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur*

finitur ignorare, dum id quod facit, non vult pati. Deinde *ibidem* statim inquirit. *Numquid lex ista naturalis erat in populo Israël?* Respondet, *erat planè, quoniam & ipsi homines erant: sine lege autem naturali essent, si præter naturam humani generis esse potuissent.* Quamobrem Gratianus in cap. *turbatur* 1. q. 4. *Ignorantia iuris naturalis omnibus damnabilis est.* Unde

36 Probatur Resolutio pro prima parte. Tum authoritate Augustini statim citati. Tum Hieronymi in Epist. 28. ad Algasiam q. 8. *Nullus hominum est, qui hanc legem nesciat. Idcirco iustum judicium Dei est, scribentis in corde humani generis. Quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris.* Tum D. Thomæ 1. 2. q. 94. art. 4. in Corp. *Sic igitur dicendum est, quod lex naturæ, quantum ad prima principia communia, est eadem apud omnes, & secundum rectitudinem, & secundum notitiam: sed quantum ad quædam propria, quæ sunt quasi conclusiones principiorum communium, est eadem apud omnes ut in pluribus, & secundum rectitudinem, & secundum notitiam: sed ut in paucioribus potest deficere, & quantum ad rectitudinem propter aliqua particularia impedimenta (sicut etiam naturæ generabiles & corruptibiles deficiunt, ut in paucioribus propter impedimenta,) & etiam quantum ad notitiam: & hoc propter hoc, quod aliqui habent depravatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturæ: sicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum (cum tamen sit expressè contra legem naturæ) ut refert Julius Cæsar in lib. de bello Gallico.* Et ibidem art. 6. etiam in Corp. *Ad legem naturalem pertinet. Primò quidem quædam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota. Quædam autem secundaria præcepta magis propria, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principiis. Quantum ergo ad illa principia communia, lex naturalis nullò modò potest à cordibus hominum deleri* (puta per oppositum errorem positivum, ne habitualiter sit; secus per negativam ignorantiam, ne influat,) *in universali: deletur tamen* (per ignorantiam negativam, sensu datô) *in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur, applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem. Ut suprà* quæst. 77. art. 2. *dictum est.* Videlicet, *Considerandum est, quod nihil prohibet, aliquid sciri in habitu, quod tamen actu non consideratur: potest igitur contingere, quod aliquis etiam rectam scientiam habeat in singulari, & non solum in universali, sed tamen in actu non consideret & tunc non videtur difficile, quod præter id, quod actu non considerat, homo agat. Quod autem homo non consideret in particulari id, quod habitualiter scit, quandoque quidem contingit ex solo defectu intentionis, puta cùm homo sciens Geometriam non intendit ad considerandum Geometriæ conclusiones, quas statim habet in promptu considerare: quandoq; autem homo non considerat id, quod habet in habitu, propter aliquod impedimentum superveniens, puta propter aliquam occupationem exteriorem, vel propter aliquam infirmitatem corporalem; & hoc modò ille, qui est in passione constitutus, non considerat in particulari id, quod scit in universali, in quantum passio impedit talem considerationem.* Et ad primum: *dicendum, quod scientia universalis, quæ est certissima, non habet principalitatem in operatione; sed magis scientia particularis, eò quòd operationes sint circa singularia: unde non est mirum, si in operabilibus passio agit contra scientiam universalem, absente considera-*

ratione in particulari. Ergo &c.

37 Probatur resolutio pro secunda parte. Tum ex D. Thoma *q.77. art.2.* statim citato. Tum quia experientia docet, ità mentem distrahi, uti oculos, oculos autem interdum in luce non videre objectum præsentissimum, experientia docet: ergo &c. Unde

38 Infer primò: principia illa universalissima posse in operatione per inconsiderationem ad modicum tempus ignorari negativè inculpabiliter, juxta illud D. Thomæ. 1.2. q.74. art. 1. ad 2. *Si defectus apprehensionis virtutis nullò modò subjaceret voluntati, non esset peccatum, nec in voluntate, nec in apprehensiva virtute, sicut patet in his, qui habent ignorantiam invincibilem.* Et q. 76. art. 3. ad 3.) *dicendum, quod si esset talis ignorantia, quæ totaliter usum rationis excluderet* (prout ista inconsideratio, quantum ad illa principia, ut supponitur) *omninò à peccato excusaret.* Unde quandò ipse *q.* 3. *de malo art.* 7. *in Corp.* dicit, *ignorantia illa, quâ quis ignorat ea, quæ tenetur scire, non est absque peccato* &c. Agit de ignorantia positiva & in principio positivo vincibili & culpabili, sive *perversæ dispositionis, cum quis habet habitum* culpabiliter vitiosum *falsorum principiorum & falsarum opinionum.* Ut textum legenti patebit: non de ista negativa invincibili: quô sensu etiam intelliges Adrianum q. 1. quodlib. cum argum. ad 3. *Ignorantia juris naturalis quoad prima principia legis naturæ, & alia, quæ quis pro officio vel statu scire tenetur, unicuique est damnabilis.* Sensum autem istum confirmat, quod inferius *quodlib.* 4. *q.*1. *cum argum.* dicit, *eorum, quæ sunt legis divinæ est differentia: quædam enim sunt, quorum notitia omnibus adultis necessaria est ad salutem: quædam verò quorum notitia solum quibusdam est necessaria ad salutem. Prima, ut communia juris naturalis præcepta, cujusmodi sunt præcepta Decalogi, & communes articuli fidei, ut de omnipotentia Dei, Christi humanitate, passione, resurrectione, & de resurrectione mortuorum, & sic de aliis. Et horum ignorantia in nullo est invincibilis.* Quia, cùm evidentissimum sit, lumen naturæ nobis non dictare, Christum extitisse, passum esse, & resurrexisse; consequenter evidentissimum est, hæc posse invincibiliter ignorari ab eo, qui, statim post baptismum, in infantia, ad partes infidelium remotissimas translatus, nihil unquam de istis audiisset: id proindè necessariò intelligi debet de ignorantia positiva, post sufficientem instructionem: imò constat sapientissimos fideles ità interdum aliis distrahi, ut pro isto distractionis statu, istorum cognitio actualis sit illis omninò invincibilis, quod à fortiori dicendum de translatis istis. De his tamen ex professo egimus *in tract. de fide.* Cursus nostri Theologici *Tom.*3.

39 Infer secundò: *quod scientia universalis istorum principiorum non habeat principalitatem in operatione, sed magis scientia particularis.* Ita D. Thomas *nu.* 36. de qua *ibid.* dixit, *contingere posse, ut qui illam habet, in actu non consideret* inculpabiliter, ut statim diximus.

40 Infer tertiò à fortiori: dari posse aliquam invincibilem, & ideò inculpabilem negativam ignorantiam juris Divini, humani & factorum, imò etiam ad salutem necessariorum. Et Adde 1. Ex Aug. Epist. 105. *In illis, qui credere noluerunt, ignorantia peccatum est* formale: *in illis autem, qui non audierunt, nec potuerunt, pœna peccati.* Et lib. 3. de libero arbit. cap. 18. *Et tamen etiam*

etiam per ignorantiam facta (contra Chriſti fidem & jus poſitivum divinum) *quædam improbantur, & corrigenda judicantur, ſicut in Divinis authoritatibus legimus. Ait enim Apoſtolus, Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans* (nota) *feci.* Quibus ſubdit, *ſed hæc omnia hominum ſunt ex illa mortis damnatione venientium: nam ſi non eſſet iſta pœna hominis, ſed natura, nulla peccata ſunt.* Sequi talem ignorantiam ſolùm eſſe pœnam peccati, prout condiſtinguitur contra peccatum formale, ac ideò formali culpâ inculpabilem, ut magis declarabitur *dub.* 3. *num.* 10. 18. & 19.

Adde 2. Id ipſum confirmari ex D. Thoma 2. 2. q. 10. art. 1. *Si infidelitas ſumatur ſecundum negationem puram, ſicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ; quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis* (modô dictô *dub.* 3. *n.* 60.) *conſecuta eſt. Qui autem ſic ſunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata*(puta contra prima principia, juxta dicta hîc *reſol.* 3. *pro prima parte*, vel quatenùs iſta peccata ſunt unum cum originali perſeverante, à quo ſunt; vel quatenùs ſunt commiſſa ſub cognitione unius Dei ut prohibentis apprehenſi, juxta illud Proſperi ſent. 109. *Inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel perſeverante reatu originis, vel additamentô etiam propriæ voluntatis.*) *quæ ſine fide remitti non poſſunt; non autem propter infidelitatis peccatum.* Quæ D. Thomæ ſententia maximè vera eſt de infidelitate purè negativa eorum, quæ per ſolam revelationem, & non per cognitionem naturæ noſtræ inditam, aut ex creaturarum cognitione natam ſequi, acquiritur: nam revelatio iſta ſpectat ad ſupernaturalium fidem obſcuram, contra quam incomparabiliter faciliùs eſt errare, quàm circa demonſtrationes mathematicas, contra quas varii, etſi benè oculati, frequenter, etiam poſitivè, errant. Unde meritò q. 3. de malo. *Cum aliquis neſcit fornicationem eſſe peccatum, voluntariè quidem facit fornicationem, ſed non voluntariè facit peccatum* formale, ut eſt offenſa Dei, quomodò in reſolutione accipitur. Rationem ſubminiſtrat manifeſtam *in cap.* 7. *ad Rom.* lect. 2. *Dicendum eſt ergo, quod ſine lege, poterat quidē peccatum cognoſci, ſecundum quod habet rationem inhoneſti, id eſt, contra rationem exiſtens: non autem ſecundum quod importat offenſam divinam; quia per legem divinitùs datam, manifeſtatur homini, quod Deo diſplicent peccata humana, in hoc, quod ea prohibet, & mandat puniri.* Et infrà, *eſt ergo intelligendum, ſicut ſupra diximus, quod peccatum non cognoſcitur, niſi per legem, quantum ad reatum pœnæ & offenſam Dei.* Quis autem negabit legem iſtam, aut potiùs ejus promulgationem poſitivam, poſſe inculpabiliter ignorari negativè? Certè ſapientum nullus, qui præmiſſa maturè perpenderit.

41 Dicit quidem. Primò D. Thomas Quodlibeto 3. art. 10. *In iis, quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur opinionem erroneam alicujus Magiſtri. In talibus enim ignorantia non excuſat.* Quod intelligo de iis, quæ tali neceſſaria ſunt ad ſalutem, puta præcepta Decalogi, articuli de Dei omnipotentia, Chriſti humanitate, paſſione, ipſius & mortuorum reſurrectione &c. uti explicat *lib.* 4. *Alphabet.* 3. *litt. C. & G.* Quibus D. Fagnanus *in c. Ne innitaris* continuò innititur, ut probet nullum excuſari, ſi ſequatur talem erroneam opinionem alicujus Magiſtri.

42 Sed contra: tam D. Thomas, quàm

D. Fagnanus, volunt istam ignorantiam, non esse ibi invincibilem, sed vincibilem, ratione formidinis semper opinioni, præsertim tali, annexæ, ut vidimus à *num.*8.*ad* 10. & clarè sequitur ex D.Thoma q.3. de malo art. 7. ad 7. *Ignorantia, quæ omninò involuntaria est, non est peccatum.* Vide *dubii* 3.*n.*18. *ad* 22. & D. Fagnanum *dub.*7. infra *n.*266.

43 Dicit quidem 2. Gerson *de vita spirituali* lect. 4. Coroll. 3. *Et quidquid sit de ignorantia facti, aut juris humani & naturalis positivi, concors est sententia, nullam in his, quæ legis divinæ sunt, cadere ignorantiam invincibilem, quoniam facienti, quod in se est, Deus semper assistit, paratus illustrare mentem, quantum oportebit ad salutem, & erroris evitationem.* Quarè Adrianus Quodlibet. 2. q.1. fine argum. ad 2. *Nullus errat invincibiliter, nisi faciat, quod in se est, ut ministeriò hominum, vel internâ Dei inspiratione doceatur de veritate* &c. *Qui ergo in dubiis inquirit veritatem ab homine, etiam docto, non est tutus, nisi simul talem se exhibeat oratione & lachrymis, qui meritò à Deo instrui debeat de agendis, ubi defuerit humanum ministerium.*

44 Sed contra primò: vel Doctores isti, & similes, loquuntur *de faciente, quod in se est* viribus gratiæ, vel viribus naturæ præcisè. Si prius: supponunt, quod non probant, impium facientem, quod in se est, ex viribus gratiæ, de qua zenonense decret. 15. *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset, cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo.* Continuò immediatè obtenturum cognitionem legis positivæ divinæ, & necessariorum necessitate medii, in ea contentorum. Cur non priùs varias alias gratias actuales, ut ad hanc perveniant, animam præparantes, quibus respondendi obligationem, uti Deum earum finem, invincibiliter ignorare possint, & ideò illis inculpabiliter non respondere, ut patet? Certè oppositum difficulter probabitur, cum pulsus ille omnibus non sit ad dictam cognitionem proximus, nec clarus, sed obscurus, non auris, sed cordis, juxta illud Augustini de gratia & lib.arbit. cap.8. *Valdè remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Pater auditur & docet, ut veniatur ad filium &c. nec agit cum carnis aure, sed cordis.* Licèt nonnulli, tales habeant, ut illis respondere culpabiliter negligant, & in hac culpabili negligentia obdurentur, juxta illud Augustini de grat. & lib. arbit. cap. 23. *Nec ideò auferatur à Pharaone liberum arbitrium; quia multis locis dicit Deus,* Ego judicabo Pharaonem *vel*, induravi, *vel* indurabo cor Pharaonis: *non enim proptereà ipse Pharao non obduraverat cor suum; nam & hoc de illo legitur, quandò ablata est ab Ægyptiis cynomia, dicente Scripturâ*, & ingravavit Pharao cor suum, & in isto tempore noluit dimittere populum: *ac per hoc & Deus induravit per justum judicium, & ipse Pharao per liberum arbitrium.* Et Isidori de summo bono cap. 5. *Sicut auferre Deus dicitur homini donum aliquod, quod homo non habuit, id est, quod accipere non meruit: sic & obdurare Deus dicitur hominem, non ejus faciendo duritiam, sed non auferendo eam, quam sibi ipse nutrivit: non aliter & obcæcare dicitur Deus quosdam, non ut in eis eamdem ipse cæcitatem faciat: sed quod pro eorum inutilibus meritis, cæcitatem eorum ab eis ipse non auferat.* Si posterius: obstat. Primò, quod

facien-

facienti, quod in se est, viribus solius naturæ, Deus non denegat gratiam actualem, communiter habeatur pro Maxima Semipelagianorum: unde SS. PP. Augustinus & alii, ipsis continuò objiciebant, quod docerent *gratiam secundum merita nostra dari*. Secundò, quod sit axioma ab omnibus Orthodoxis receptum, *principium meriti non cadit sub meritum*, etsi congruum tantum, *puræ naturæ*: quia ut rectè D. Thomas in 2. sent. dist. 28. q. 1. art. 4. ad 2. *homo non potest se ad gratiam præparare, nec aliquod bonum facere, sine Dei adjutorio*.

45 Contra secundò. Inde solum sequitur, *nullam in his, quæ divinæ legis sunt cadere ignorantiam invincibilem*, attentò successu temporis, quô Deus successivè suas gratias actuales, etiam infidelibus, si constanter primis respondeant, concedere solet, in ordine ad suæ legis necessariam cognitionem, remedii peccati originalis receptionem, & tandem æternam salutem; quomodò satis pro infidelibus verificatur illud 1. ad Timoth. 2. *Omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et Joannis 1. *Erat lux vera illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum.* Non verò attentô quôlibet istiusmodi successus instanti, cum demum ultimô illius instanti proximè vinci possit. Ac proindè sequitur, nullam quidem in his, quæ divinæ legis sunt, cadere ignorantiam remotè invincibilem, sive quæ remotè vinci non possit; bene autem aliquam proximè invincibilem, sive quæ proximè per gratias infidelium istorum cuilibet quôlibet instanti præsentes, vinci non possit; quod ad intentum nostrum sufficit, præsertim cum ipsa causa, in qua remotè dicitur vincibilis, plerumque defierit, quandò dicitur hîc nunc proximè invincibilis, & sic sit quasi numquam fuisset, respectu hujus instantis, quô dicitur istis infidelibus proximè invincibilis.

46 Unde difficulter probare possum doctrinam Eximii D. Sinnichii, quâ vult ignorantiam invincibilem juris naturæ non excusare à peccato; sive quia eâ laborantes, *negligunt, sapientiam à Deo sic petere, & tantum petere, quomodò & quatenus res tanta petenda est*, ut docet in suo *Saule Exrege* §. 359. sive quia *omnes, quotquot adversus naturæ legem peccant, in illam generalem & quasi transcendentalem ipsius legis sanctionem impingunt, quam eodem Augustino teste, omnes habent in corde fixam, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Ut docet *ibidem* §. 377. ac ideò *ignorantiam juris divini vel naturalis non dari umquam invincibilem, sed semper vincibilem esse, signanter in adultis.* Ut docet *ibidem n.* 361. Supponit enim, dari non posse Dei & hujus principii generalissimi ignorantiam negativam inculpabilem, quam dari sufficienter probavimus: nec plus probat, quàm dari non posse positivam per errorem inculpabilem, quod propugnamus, at hæc ibi non intervenit, prout supponit, & non probat.

47 Notandum insuper contra eumdem D. Sinnichium: quod non omnes, qui adversus legem naturæ peccant materialiter, in istam legem generalem impingant formaliter, quod velle debet, aut nobiscum affirmare, eos contra legem naturæ peccare posse tantum materialiter, quod negat; quia per ipsum illud principium generalissimum inculpabiliter ignorari non potest: sed & hoc falsum est, si de ignorantia negativa, sensu datô, agatur:

tur: nec ab ullo assereretur, nisi damnabiliter, peccata formalia nova ad sensum 1. *Partis Resol.* 1. *dubii* 3. quibus Deus damnabiliter offenditur, ex ignorantia invincibili committi, haud secus quam si asseratur, peccata formalia apud Deum dari nullatenùs voluntaria, ut videbimus *dubio* 3. *Resol.* 1. Nam contra tale assertum, præter censuras ibi allatas, habes Augustinum lib. 22. contra Faustum cap. ult. *Non est certè ille Deus Patriarcharum*, cui nullus similis in legislatoribus. *Non est Deus Israëlitarum*, *cui dictum est à psalmographo*, narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. *Non est Deus Prophetarum, qui per horum unum ait*, væ, qui condunt leges iniquas, & scribentes scripserunt injustitiam. *Non est Deus Evangelistarum, qui iniquis rerum Arbitris indignabundè dicebat*, quid autem & à vobis ipsis non judicatis, quod justum est, *&c.* Quia reverà assertum istud fabulatio est, non ut lex Dei, sed injustum & iniquum, ut *dub.* 3. *Resol.* 1. probabimus.

RESOLUTIO IV.

48 DIco Quartò. Dari potest in adulto, usu rationis pollente, ignorantia negativa, ad sensum resolutionis 2. particularium præceptorum legis naturæ, in Decalogo expressorum, inculpabiliter invincibilis.

49 Sumitur ex D. Thoma locô Resol. 3. n. 36. citatô, *Considerandum est, quod nihil prohibet, aliquid sciri in habitu, quod tamen actu non consideratur: potest igitur contingere, quod aliquis etiam rectam scientiam habeat in singulari, & non solum in universali, & tamen in actu non consideret.* Et ratione probatur: tum ex præmissis *resol.* 3. *pro* 2. *Parte:* tum quia varia sunt præcepta naturalia, quæ ad sui notitiam exigunt discursum satis difficilem, ut v. g. *non Mæchaberis; non concupisces; Deum diliges, etiam in arduis; Quod tibi non vis fieri. alteri ne feceris, &c.* Etenim natura nostra per peccatum originale depravata, ità in fornicationem, concupiscentiam, vindictam injustam, &c. inclinatur (præsertim, si addatur extrinsecùs finis honestus, v. g. *ad obtinendam prolem Regiam deficientem, honorem Regis salvandum, &c.*) ut non semper præcepta legis naturæ opposita occurrant hominibus rudis & hebetis ingenii. Unde Vasquez 1. 2. *disp.* 122. *cap.* 3. *n.* 7. prudenter addit, *si occurrant*, dicens, *prima præcepta moralia & præcepta Decalogi, adeò esse nota lumine naturali, ut si simpliciter & sine circumstantia aliqua peculiari occurrant, numquam ignorentur sine culpa.* Hocque sensu intelligi debet Gerson *lib. de Vita spirituali lect.* 4. *Coroll.* 3. *quidquid de ignorantia facti aut juris humani positivi: concors est sententia, nullam in his, quæ sunt legis divinæ cadere ignorantiam invincibilem, puta, si occurrant.* Vide dicta n. 43. & 44.

50 Si verò dicas: non occurrere non posse invincibiliter; quia, inquit D. Sinnichius *Saulis Exregis* lib. 1. c. 101. n. 380. *Constat homines ex ignorantia præceptorum Decalogi peccasse contra ipsam legem Decalogi, signanter eô tempore, de quo ait Apostolus, peccatum non imputabatur, cùm lex non esset.*

51 Respondeo: vel homines illos non peccasse, nisi materialiter, peccatô realiter distinctô à formali, in quo erant, dum ex ignorantia invincibili præceptorum Decalogi peccarunt contra ipsam legem Decalogi: vel dum contra hanc peccarunt

runt formaliter peccatô distinctô ex ignorantia vincibili peccasse: vel dum contra illam formaliter ex ignorantia invincibili, sive ex necessitate, ab Augustino & aliis dicuntur peccasse, id solum verum esse de peccato formali, indistincto à peccato perseverante, ex quo ipsa procedit, & perseverat: quæ autem pro se citat Sinnichius satis suprà præoccupata sunt, & specialiter *dub.* 3. *resol.* 1. & 2. solventur. Igitur, ut pergamus.

D. CARAMUEL.

Apologematis *pro doctrina de probabilitate* Epist. 4.

1 NUm. 289. Hæc verba, *peccant omnes, qui in materia conscientiæ sequuntur opinionem probabilem*, Dialecti Jansenianæ sunt, & cõplectuntur omnes hæreses, quas anno 1653. pridiè Calendas Junias, Apostolica Sedes ultimâ sententiâ condemnavit.

2 *Num.* 40. A Doctoribus Lovaniensibus *num.* 25. Censuræ subjicitur hæc propositio. *Ut actio quæpiam sit peccaminosa; oportet, ut procedat ab homine, qui noscit & percipit, quid boni malivè in ea sit; & antequam id videat, aut animum reflectat, actio neque bona est neque mala.* Est evidens: & Fide orthodoxâ tenenda. Evidens; quia nihil volitum, quin præcognitum: & nihil malum bonumvè, nisi volitum. Est de fide: homo enim non nisi volens peccat. Sed qualis est quæso Jansenistarum judiciô? *Est,* inquiunt, *contra communia Theologiæ Christianæ* (Lutheranæ, Calvinianę, & Jansenianæ debuissent dicere) *principia, & innumera etiã immanissima hominũ peccata excusat: cum pernicie animarum.* Est desumpta ex Jansenio hæc Censura; ille enim *tom.* 2. *lib.* 2. *de nat. lapsf. cap.* 24. *colum.* 416. actus per se primos, factos ex ignorantiâ, aut ex inadvertentiâ, peccati mortalis condemnat. *Quamvis enim ignoretur esse peccatum*, ait, *factum tamen, quod concupiscitur, non ignoratur.* Ecce Jansenius, ut volitio sit peccaminosa, ut in rem interdictam tendat, exigit; judicat tamen non esse necessarium ad hoc, ut Petrus peccet, quod sciat, aut advertat rem, quam facit, esse interdictam, adeoque malam. Scribo doctis, qui sciunt, quàm certum sit illud axioma. *Quidquid agant homines, intentio judicat omnes:* prudentibus, qui nostram Theologiam, Præterintentionalem commendant: Opus quidem longi studii

D & la-

& laboris; & nullius omninò utilitatis fructúsve, si actus indeliberati, ut cum Jansenistis D. Fagnanus statuit, sunt peccata.

AUTHOR.

3 Contra primum ex *num.* 289. Fatemur, uti *Resolutione sequenti* patebit, *ignorantiam invincibilem excusare à peccato &c.* Profitemur *peccare omnes, qui in materia conscientiæ,* id est periculosa, quæ mores concernit, *sequuntur opinionem probabilem præcisè.* Uti infrà resolvimus. Idem fatetur, & profitetur D. Fagnanus, uti locis citatis ad *dub.* 2. num. 10. & 14, vidimus. Annè hæ duæ Resolutiones, conjunctim sumptæ, *Dialecti Jansenianæ sunt, & complectuntur omnes hæreses, quas anno* 1653. *pridiè Calendas Junias Apostolica Sedes ultimâ sententiâ condemnavit?* D. Caramuel non evadet calumniam, nisi efficaciter probet: nec probabit, nisi probet; aut *Dialecti Jansenianæ esse, & complecti omnes hæreses* &c. resolutionem, quæ totam hæresim Jansenianam condemnat, juxta hunc ejusdem D. Caramuelis analyticum, seu resolutivum discursum, *ibidem* nu. 290. *Et cur ignorantia invincibilis excusat? Quia, si non excusaret, homini Deus præciperet impossibilia: nam præciperet, ut sciat, quæ scire non potest. Et cur, quæso, non concedimus posse & solere Deum præcipere hominibus impossibilia? Quia, si illa juberet, homines necessariò peccarent. Et cur tandem dici non possunt homines necessariò peccare? Quia peccarent in eo, quod necessariò facerent; mererentur in eo, quod necessariò omitterent; & contrà: adeòque interiori gratiæ nunquam resisterent; imò nec resistere possent: & absente gratiâ efficaci non haberent auxilia sufficientia, ut concupiscentiæ insidias noscerent, & insultus retunderent: & hanc ob rem tota humana libertas, quæ ad merendum & demerendum est, soli opponeretur coactioni, & non excluderet necessitatem.* Aut illas duas Resolutiones esse incompossibiles, quod probabit, *dum Parasceve in Dominicam inciderit*, ut *num.* 35. loquitur.

4 Dicit quidem, *ignorantiam invincibilem in omni opinione probabili inveniri.*

Sed contra: agendo de opinione probabili præcisè, & ignorantia invincibili peccati in materia morali periculosa, id certò falsum est, uti ex professo infra dub. 5. probabimus, cum certum sit illud Ecclesiastici

3. qu

3. *qui amat periculum, peribit in illo* Quod sic efficaciter probo. *Omnis qui amat, aut sequitur, judicium dictans fortè peccatum esse, quod amat, aut sequitur, amat periculum, de quo Eccli.* 3. qui amat periculum peribit in illo. *Atqui, qui amat, aut sequitur, in materia morali periculosa; opinionem probabilem præcisè, amat, aut sequitur, judicium dictans fortè peccatum esse, quod amat, aut sequitur: ergo amat periculum, de quo Eccli.* 3. *qui amat periculum peribit in illo.* De majori nullus prudentum dubitat, nullus judicat esse probabilem dumtaxat; ac proindè certa & indubitata est, ut ipse definit *ibid. num.* 311. Probatur, minorem etiam esse certam & indubitatam; *quia omnis opinio, in materia morali periculosa, probabilis præcisè, est judicium dictans fortè peccatum esse, quod amat, aut sequitur.* Nam sicuti *num.* 314. pro certo & indubitato dicit post Dominicum Platum, *qui putat has duas propositiones* probabile est rem esse, & probabile est rem non esse, *esse contradictorias, nimis est adhuc rudis in Logica. Non enim coincidunt, sed sunt æquivalentes.* Et infrà: *Si est probabile* rem esse, *erit etiam probabile* rem non esse. Ità dicere debet, *qui putat hæc duo judicia, probabile est* rem esse licitam, & *probabile est* rem non esse licitam, sed peccatum, *esse contradictoria, nimis est adhuc rudis in Logica. Non enim coincidunt, sed sunt æquivalentia.* Et infrà: *Si est probabile* rem esse licitam, *& probabile est* rem non esse licitam, sed peccatum.

5 Infero: ergo conclusio est certa & indubitata: nam ut ipse definit num. 309. *Conclusio syllogismi legitimi, cujus utraque præmissa ità est certa, ut neutra in dubium, aut quæstionem probabilem, vocari possit, est propositio certa & indubitata.* Unde mirum est, quod D. Caramuel *num.* 118. tam intrepidè resolvat, *Dico* 3. *Illa ipsissima D. Fagnani propositio* (videlicet, *In materia fidei & morum ad securitatem conscientiæ non sufficit opinio probabilis* præcisè, quæ æquivalet huic, *omnes peccant, qui in materia conscientiæ*, id est periculosa fidem & mores concernente, *sequuntur opinionem probabilem præcisè.*) *non est probabilis, nec dubia, sed omninò improbabilis, quod omnium Theologorum consensus & doctrina manifestè persuadet.* Cum jam ostenderimus, esse certam & indubitatam, prout *omnium Theologorum consensus & doctrina manifestè persuadet.*

6 Ex præmissis patet, D. Fagnani doctrinam demonstrari posse prout ipse ut sic ferè illam demonstrat infra *dub.* 7. *n.* 200. & 211. Ac proindè

dè D. Caramuel immeritò D. Fagnano insultat *num.* 35. his verbis. *Si dicatur D. Fagnani demonstrari sententiam, dabitur aliqua in mundo demonstratio, cujus conclusio sit D. Fagnani doctrina: agamus ergo Deo gratias, quod post D. Fagnanum simus nati, ut illam demonstrationem videre possimus. Prodeat igitur illa desiderata demonstratio, & moriamur doctiores. Sed quandò illa prodibit? quandò Parasceve incidet in Dominicam. Parum dixi. Sanè prodibit illa, quandò Triangulus formari nequeat tribus lineis.* Quidquid tamen de ista insultatione sit, habet infra *dub.* 7. *n.* 55. evidentem ex Evangelio contra se demonstrationem & nu. 200. 211. 282. novas aliasque passim, quibus D. Caramuel nequidem satisfaciet (verba sunt insultantis D. Caramuelis) *quandò Parasceve incidet in Dominicam. Parum dixi. Sanè prodibit ipsius satisfactio, quandò Triangulus formari nequeat tribus lineis*: talem verò esse sensum D. Fagnani, *Dub.* 7. probabitur: & si D. Caramuel non loquatur de opinione probabili præcisè, quam liceat sequi, D. Fagnanum in Patronum assumit, quem hostem fingit; nec minus D. Fagnani doctrinam persequitur gratis, quàm ab ejus doctrina acceptam veritatem, quæ ipsum ab errore liberavit, sive quàm si ipse de opinione probabili præcisè, in terminis post D. Fagnanum doceret, *non licere eam sequi*. Quarè

7 Contra secundum ex num. 40. Satis constat ex præmissis *num.* 16. *ad dub.* 2. D. Fagnanum istam propositionem 25. inter censuratas à facultate Theologica Lovaniensi nusquam assumpsisse, ut suam (licèt sensum verum & tutum admittat, de quo infra *dub.* 4. *num.* 30.) sed solum retulisse inter censuratas ab ista Theologica facultate ad instantiam Illustrissimi ac Reverendissimi Episcopi Gandavensis, ut patet ex *Responso* ejusdem facultatis *ad ipsum*, propositionibus istis præfixo. D. Fagnanus autem *Fundamento* 41. neque ad hujus Episcopi Epistolam, neque ad propositiones istas, à facultate Theologica Lovaniensi ad illius instantiam censuratas, remittit, sed ad solam Archiepiscopi Mechliniensis Epistolam; nam *num.* 337. sic lego, *Quadragesimum primum fundamentum sumitur ex Epistola, typis excusa, Archiepiscopi Mechliniensis ad Eminentiss. Cardinales Inquisitionis Romanæ præfectos, cujus tenor talis est*, &c. In hac autem; imò nec in propositionibus illi adjunctis, vel solum umbra est istiusmodi propositionis. Cur igitur D. Fagnanus ex ista sola suum *fundamentum* 41. sumit? Nisi quia non continet propositionem

tionem illam 25. quis absonam, ut vidimus *num.* 8. *ad* 15. Cur etiam ex Epistola Gandavensis suum fundamentum non sumit? Nisi fortè, quia istam & similes propositiones continent, quas, ità nudè prolatas, probare non intendit. Certè *exceptio* ista *firmat regulam. Odia restringenda*, &c. Unde D. Caramuel *ibid. nu.* 40. immeritò, nec sine D. Fagnani, Prælati celeberrimi, ac integerrimæ fidei, injuria gravi, dicit, *fieri non potuit, ut Jansenistæ aliter Censuras has exhiberent, quàm in aliquibus illarum suam hæresim protrudendi: & ideò eligam duas, quarum Censuræ, quas ut morum regulas nobis proponit D. Fagnanus sunt hæreticæ. num.* 25. *Censuræ subjicitur hæc propositio*, ut actio quæpiam &c.

8 Addit quidem Dominus Caramuel *num.* 43. in fine. *Argumentum D. Fagnani hoc est.* Doctrina de probabilitate, quam juniores tuentur, est falsa; quia ex illa sequuntur sententiæ falsæ, temerariæ & scandalosæ. *Probat hanc.* Quia ex illa sequuntur illæ, quas Parochi, Archiepiscopus, & Episcopus, damnandas proponunt. *Sed unde ostendit, illas fuisse damnatas? Nec enim Parochis, aut etiam illis duobus Prælatis, tantum est deferendum, ut propter illos vel arboris folium moveatur. Ostendit sic.* Quia illæ sunt censuratæ & condemnatæ à Doctoribus Lovaniensibus, quorum magni fieri debet Censura. *Ergo hanc, ut Regulam morum admittit D. Fagnanus.*

9 Sed contra: reverà D. Caramuel de suo istas duas propositiones addit, & D. Fagnano affingit. Ipse quidem *nu.* 335. dicit, *Fundamentum quadragesimum desumitur ex duodecimo absurdo de innumeris ferè opinionibus falsis, temerariis, & scandalosis, quæ ex libertate eligendi quascumque opiniones probabiles, tanquam ex Equo Troyano, indies prodeunt, & quàm plurimæ pallio probabilitatis tectæ, traduntur à Scriptoribus nostri temporis, quæ reverà non sunt tolerandæ. Ex quibus libet referre infrascriptas, ut ex iis possit unusquisque intelligere, quousque progressi fuerint in morali materia hodierni Consultores animarum.* Et nu. 336. *Libet etiam hîc referre assertiones periculosas plurimorum Recentiorum in materia Theologiæ moralis, quas Parochi Urbis Parisiensis, & Rothomagensis, ut mihi relatum fuit, universo Clero Gallicano, authoritate Superiorum, Damnandas proposuerunt, excerptas ex eorum libello supplici, oblato in Novembri* 1656. Sed in his ne vel verbum est, de propositionibus, quas Archiepiscopus, & Episcopus damnandas proponunt, uti nec de illis censu-

ratis & condemnatis à Doctoribus Lovaniensibus &c. Neque etiam obest, quod num. 337. *fundamentum quadragesimum primum* sumat ex Epist. Archiepiscopi; quia alia ratio jam data est; neque in illa, aut postea, istas probationes habet D. Fagnanus. Ut quid igitur afflictio talis, nisi ut in D. Fagnano impugnet, quod fingit.

DUBIUM TERTIUM.

An omnis ignorantia invincibilis excuset à formali peccato?

Ante Resolutionem.

10 SUppono: Peccatum posse dupliciter accipi, latè & strictè. Latè accipitur. Primò: pro eo, quod non est ex fide propriè dicta, quod non est ex gratia, quod non est utile, sive prout oportet, ad vitam æternam, quô sensu nihil frequentius clamat Augustinus, quàm, *quod non est ex fide, peccatum est*. Cui opponitur peccatum strictè, prout est vera Dei offensa (quæ, si mortalis, juxta Tridentinum sess. 14. cap. 5. *Homines iræ filios & Dei inimicos reddit*) quô etiam sensu à variis Pontificibus damnata est, contra Michaëlem Bajum, hæc propositio, *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia, &c.* agnoscunt enim aliquod bonum naturale, quod non est ex fide propriè dicta, quod non est ex gratia, quod sit arbitrii captivati, & tamen non vera offensa Dei, dum contra eundem etiam hanc propositionem damnant, *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, quod ex solis naturæ viribus ortum ducat, agnoscit.* Et similiter dum hanc, *Nonnisi Pelagio errore admitti potest, usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ità sentit, & docet.* Secundò: prout est effectus peccati, quô sensu Augustin. *lib.* 1. *retract. cap.* 15. his præmissis, *Qui verò cogenti cupiditati bonâ voluntate resistere non potest, & ideò facit contra præcepta justitiæ, in hoc ità peccatum est, ut sit etiam pœna peccati:* peccatum explicans addit, *ideò peccatum vocatur, quia peccatò factum est, & est pœna peccati.* Et Tridentinum *sess.* 5. *de peccat. orig.* sic definit, *Hanc concupiscentiam, quam aliquandò Apostolus* (puta ad Rom. 6. 7. & 8.) *peccatum appellat, S. Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.* Tertio: prout est sacrificium pro peccato, juxta Apostolum, 2. ad Corinth. 2. *Qui non noverat peccatum, peccatum fecit.* Quarto: prout est actus disconveniens naturæ aut legi humanæ præcisè sub ignorantia invincibili juris naturæ aut legis divinæ: hanc enim invincibiliter aliquali tempore ignorari posse *dub* 2. est probatum. Quintò: quod ferè in idem recidit, prout est offensa Dei materialiter tantum (loquere proportionaliter de offensa

ut ab originali perſeverante indiſtincta; ſub ignorantia invincibili oppoſita notitiæ phyſicæ perſonali, commiſſa, quô modô quà perſonalis ab originali diſtincta eſt tantum materialiter offenſa Dei, vide *dub.* 4.) id eſt, invincibiliter non cognita ut tali, ac proindè ut tali invincibiliter non voluntaria formaliter: hanc autem offenſam Dei materialiter tantum dari, tam certum eſt, quàm quod aliquis ex ignorantia invincibili contra jus poſitivum agere poſſit, imò & contra naturale, ut *dub.* 2. vidimus.

Si autem quæras: an offenſa hæc Deo diſpliceat? Reſpondeo indubiè diſplicere diſplicentiâ ſimili illi, quâ homini prudenti, ſed Deum invincibiliter ignoranti, diſplicent, dum videt illam eſſe contra humanas leges naturales aut poſitivas, quas Deus probat & confirmat, prout humanæ ſunt. *Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt.* Ad Rom. 13. & ut conderentur, poteſtatem dedit, *per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.* Proverb. 8.

11 Strictè accipitur, prout definitur ab Auguſtino lib. 22. contra Fauſtum cap. 27. *Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei.* In Trident. verò ſeſſ. 14. cap. 5. quatenus mortale, quod *homines iræ filios & Dei inimicos reddit.* Vel, ut Theologi communiter, quod *privatione gratiæ ſanctificantis animæ mortem & pœnam æternam adfert:* ſupple *voluntariè formaliter* ob propoſitiones damnatas contra Michaëlem Bajum, *ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit. Infidelitas purè negativa in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.* De hoc autem peccato ſemper agimus, ubi de peccato ſimpliciter loquimur.

Nec dicas cum Bandello *lib.* 2. *diſp.* 6. *n.* 8. peccatum ſtrictè, ſive hoc modo ſumptum, à peccato latè, quintô modô ſumpto, ſolum diſtingui, uti offenſa Dei explicita, quæ eſt in peccato ſtrictè, ab implicita, quæ eſt in peccato latè quintô modô; nam ſicut, qui explicitè vult finem negativè ultimum, implicitè vult finem poſitivè ultimum, ità qui explicitè vult agere contra legem negativè ultimam, ſive rectam rationem humanam, implicitè vult agere contra legem poſitivè ultimam, ſive divinam.

Reſpondeo enim, per expreſſam intentionem finis negativè ultimi non intendi implicitè formaliter finem poſitivè ultimum, ſed implicitè materialiter tantum, ut diximus *Theol. Tom.* 4. *Tract.* 1. *diſp.* 1. *dub.* 3. *reſol.* 2. ac proindè per expreſſam voluntatem agendi contra legem negativè ultimam, ſolum intendi implicitè materialiter agere contra legem poſitivè ultimam, quod ad ſtrictè & formaliter peccatum non ſufficit, defectu voluntarii formalis in actione, quatenus eſt contra legem poſitivè ultimam: cujus defectu, adulterium, fornicatio, &c. in Deum ignorante invincibiliter, ſunt quidem peccata gravia latè, quintô modô ſumpta, ſed non ſtrictè & mortalia, ut rectè docent D. Thomas *dub.* 2. *num.* 40. & infrà *num.* 22. Henriquez *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 1. *n.* 8. *litt. K.* Leſſ. *lib.* 15. *de attrib. cap.* 26. *n.* 183. Coninck. *Tract. de charitate diſp.* 32. *dub.* 5. *n.* 39. Lugo *de Incarn. diſp.* 5. *ſect.* 5. ubi citat S. Thomam, Alenſem, Bonaventuram, Richardum, Albertum, Bellarminum, Suarem & alios, citatos *Tom.* 4. noſtræ Theologiæ, *diſp.* 4. *dub.* 6. *reſol.* 6.

pro quorum confirmatione vide *ibid. disp.* 8. præsuppositum *ad dubium primum.* His itaque suppositis sit.

RESOLUTIO I.

13 Dico primò. Omnis ignorantia invincibilis, in statu naturæ lapsæ, excusat à peccato formali, distincto ab eo, in quo est voluntaria: secus ab hoc perseverante, originale sit, aut actuale, in quo est voluntaria. Prima pars sumitur ex D. Thoma 1. 2. *q.* 76. *art.* 3. & 2. 2. *q.* 20. *art.* 3. quem penè omnes Theologi & Canonistæ, nominatim D. Fagnanus, ut patet ex præmissis ad *dub. præsens*, sequuntur contra Lutherum in cap. 12. Genes. ubi ait: *Scholastici dicunt, invincibilem ignorantiam reddere excusabiles: tanta cœcitas est in Papæ Scholis & Ecclesiis.* An adversentur, qui de peccato, abstractim à perseverante peccato ignorantiæ causa sumpto, ausi sunt dicere *Ignorantiam, etiam quæ necessitatis est, non voluntatis, hoc est invincibilem, non carere peccato, idque ut dogma fidei ab antiquis traditum, & contrarium solemne dogma Pelagianorum esse.* Quibus nuperrimè adstipulatus est D. Sinnichius in suo Saule Exrege *lib.* 1. *cap.* 96. § 359. dicens: *Planum igitur est, juxta mentem, tam illius Synodi*, id est Palæstinæ, *quàm Augustini, eandem hâc ex parte approbantis, oblivionem & ignorantiam subjacere peccato; non solùm, quandò eveniunt secundum voluntatem, sed etiam quandò secundum necessitatem?* Videbimus *dub.* 4. *n.* 28. 29. 30. Secunda pars mihi parum apparet à modernis Theologis examinata, est tamen D. Augustini, S. Thomæ, Anselmi Cantuariensis, Bernardi, Hugonis Victorini, & Gregorii Ariminensis, ut infrà patebit. Itaque

PRIMA PARS RESOLUTIONIS.

14 Probatur primò: Ex Scriptura Joan. 9. *Si cœci essetis, non haberetis peccatum.* Et 15. *Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Item infrà. *Si opera non fecissem eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

15 Respondet D. Sinnichius *locò citatô* §. 365. ex S. Augustino *tract.* 44. in Joan. *illud ergo*, si cœci essetis, peccatum non haberetis, *hunc habet sensum: si cœcos vos esse cognosceretis, peccati vestri abolitionem posceretis, & impetraretis, atque ità in peccato non maneretis nec in sordibus sordesceretis.*

16 Sed contra: Hoc non impedit, nè ex cœcitate invincibili peccantes, peccatum non habeant ab originali perseverante distinctum ut patet ex *dub.* 2. à *n.* 37. *ad* 46. sed solùm concludit, ità peccantes non habituros peccatum cum originali perseverante identificatum, si cœcos, cœcitate peccati originalis, se cognoscentes, peccati sui per statutum remedium abolitionem poscerent, & impetrarent: quorum neutrum contra resolutionem militat, sed eam pro secunda parte confirmat. Ibi autem esse mentionem de peccato originali, patet ex iis, quæ ibi Augustinus habet sub initium, *fuimus & nos aliquandò naturâ filii iræ, sicuti & cæteri, si filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ; quomodò naturâ, nisi quia peccante primò homine* (utique peccato originali) *vitium pro natura inolevit? si vitium pro natura inolevit, secundum mentem omnis homo, cœcus natus est, &c.* Unde consequenter ibidem

tract.

tract. 89. Quærit. *Utrum hi priusquam Christus veniret in Ecclesiam ad Gentes, & priusquam Euangelium ejus audirent, vitæ hujus fine præventi sunt, seu præveniuntur, possint habere hanc excusationem*, puta *de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus*? Respondet. *Possunt planè; sed non ideo possunt effugere damnationem: quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege & peribunt.* Quibus verbis Epist. 105. ad Sixtum subdit, *& quamvis se ipsi excusare videantur, non admittit hanc excusationem, qui scit se fecisse hominem rectum, eiq; obedientiæ dedisse præceptum, nec nisi ejus, quo malè usus est libero voluntatis arbitrio, etiam, quod transiret in posteros, manasse peccatum. Neque enim damnantur, qui non peccaverunt, quandoquidem illud ex uno in omnes homines pertransiit, in quo, ante propria in singulis quibusq; peccata, omnes communiter peccaverunt.*

Probatur 2. Ex Bulla contra Michaëlem Bajum, in qua damnantur sequentes propositiones. *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium.* Item. *Infidelitas purè negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Ac tandem. *Homo peccat etiam damnabiliter, in eo, quod necessario facit.* Et meritò: quia nihil frequentius apud Augustinum, quam illud lib. 3. de libero arbit. cap. 19. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras.* Unde anno 1560. die 27. Junii à facultate Sorbonensi damnata est hæc propositio ut hæretica: *Homo faciendo, quod in se est, peccat, & non potest non peccare, faciendo quod in se est.* Etiam meritò: quia Trident. *sess.* 6. *can.* 6. dicit: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere*, &c. *Anathema sit.* Et hæc propositio: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate.* Declarata est ab Innocentio X. & Alexandro VII. contra Cornelium Jansenium *hæretica*. Ad ista omnia nihil respondet D. Sinnichius, præter id, quod *dub.* 2. *n.* 46. & 47. rejectum est, uti & infrà à *n.* 24. *ad* 39.

18 Probatur 3. Ex S. Augustino lib. 3. de libero arbit. cap. 19. *An tanta fallacia est, ut caveri omninò non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullò modò caveri potest?* Verum quidem est, quod ibi nondum agnoscat dari ignorantiam invincibilem; nam ex hypothesi loquitur, & subdit, *peccatur autem, igitur caveri potest.* Sed saltem agnoscit excusaturam, si detur. Dari autem de eo, quod quidam infideles in Christum non crediderunt, agnoscit *Tract.* 89. *in Joannem.* ubi ad hanc quæstionem: *Utrum hi, ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, habeant excusationem de peccato suo.* Respondet. *Respondeo, habere illos excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quò in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus.* Et iterum infrà cap. 19. *Non tibi, &c.* vide n. 17. Subsumo: atqui eadem ratione, quâ per Augustinum datur ignorantia invincibilis legis Christi in iis, *ad quos non venit, & quibus non est locutus*, & propter illam infideles ab Augustino excusantur *de hoc peccato, quò in Christum non crediderunt*; ità datur ignorantia invincibilis legis divinæ positivæ, & naturalis quatenus per illam manifestatur homini, quod Deo displicent peccata humana in hoc, quod ea prohibet, & mandat puniri; sive quantum ad reatum pœ-

næ & offensam Dei, in iis, ad quos Moyses, & alii Prophetæ legis divinæ promulgatores, non venerunt, & quibus locuti non sunt: & propter illam consequenter ab Augustino excusantur de hoc peccato, quò in Prophetas istos *Non crediderunt*, etiam in iis, quæ sunt legis naturæ, quatenus per illos manifestatur homini, quod Deo displicent peccata humana, &c. juxta illud D. Thomæ in cap. 7. ad Rom. lect. 2. *Dicendum est ergo, quod sine lege poterat quidem peccatum cognosci, secundum quod habet rationem inhonesti, id est contra rationem existens: non autem secundum quod importat offensam divinam; quia per legem divinitùs datam manifestatur homini, quod Deo displicent peccata humana, in hoc, quod ea prohibet, & mandat puniri.* Et infrà: *Est ergo intelligendum, sicut supra diximus, quod peccatum non cognoscitur, nisi per legem, quantum ad reatum pœnæ & offensam Dei.* Ergo, juxta D. Thomam & Augustinum, datur ignorantia invincibilis legis divinæ positivæ excusans à peccato formali strictè sumpto etiam in iis, quæ sunt legis naturæ, quatenus *per illam legem positivam divinitùs datam manifestatur homini, quod Deo displicent peccata humana, in hoc, quod ea prohibet, & mandat puniri, sive quantum ad reatum pœnæ & offensam Dei.* licèt non excuset à peccato latè sumpto, de quo Augustinus lib. 3. de libero arbit. cap. 18. suprà citato, *Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur & corrigenda judicantur* (puta secundum rationem inhonesti præcisè, ut D. Thomas suprà) *sicut in divinis authoritatibus legimus, ait enim Apostolus misericordiam consecutus sum* de illis, *quia ignorans* invincibiliter legem Christi, & peccata esse quantum ad reatum & offensam Dei, *feci.*

19 Accedit: quod Augustinus nusquam sub ignorantia invincibili agnoscat strictè peccatum ab originali distinctum; & dum hoc, ab illa præscindendo, agnoscit, saltem ad culpabilem negligentiam recurrit, ut patet ex cap. 19. ibidem: *Hinc occurrit illa quæstio, quam inter se murmurantes homines rodere consueverunt, qui quodlibet aliud in peccando quàm se accusare parati sunt. Dicunt enim: Si Adam & Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus nasceremur, & primo erraremus, nescientes quid nobis esset faciendum: deinde ubi nobis inciperent aperiri præcepta justitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiscentiæ nescio quâ necessitate non valeremus? Quibus breviter respondetur: ut quiescant, & adversus Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret. Cum verò ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras: neque illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis. Ista tua propria peccata sunt. Nulli enim homini ablatum est scire utiliter, quod inutiliter ignoratur, & humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille subveniat, qui nec errat, dum subvenit, nec laborat. Nam illud, quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere non potest, ideò dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit ista sequentia: nam sicut lin-*

linguam dicimus, non solum membrum, quod movemus in ore, dum loquimur, sed etiam illud, quod hujus membri motum consequitur, id est formam tenoremq́; verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua Græca, alia Latina: sic non solum peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, liberâ enim voluntate, & ab sciente committitur, sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur, necesse est. Quibus nostram probationem evidenter confirmat.

20 Probatur 4. Ex S. Chrysostomo homil. 13. ad illud *Quod enim ago, non intelligo* Epist. ad Rom. *Quid hoc est, non intelligo, ignoro? Et quandò hoc accidit? Vides, quod, nisi cum diligenti circumspectione dictiones ipsas deligamus, & ad Apostoli scopum mentemq́; attentiùs respiciamus, fore, ut hinc absurditates infinitæ consequantur. Nam si ignorantes illi peccavêre, indigni quidem erant* (Nota) *qui pœnas darent. Itaq; quemadmodum superiùs dixit: sine lege enim peccatum erat mortuum* (puta, quantum ad reatum & offensam Dei,) *non hoc indicans, qui peccassent, eos se peccasse* (quantum ad rationem inhonesti) *nescivisse, sed scivisse quidem* (quantum ad rationem inhonesti) *non tamen usque adeò exactè* (id est etiam secundum omnem rationem reatus & offensæ Dei, juxta statim n. 19. præmissa ex D. Thoma:) *itaq; peccati pœnas quidem luebant, sed non tam graves.*

21 Probatur 5. Ex D. Bernardo *Epist.* 77. Ubi, his præmissis, *multa scienda* (puta accepto spiritu fidei) *nesciuntur, aut sciendi incuriâ, aut verecundiâ inquirendi; & quidem ejusmodi ignorantia non habet excusationem.* Rationem subdit: *Nam si locutus quidem fuisset, sed non eis, inobedientiæ culpam ignorantia nihilominùs excusaret.* Hic enim supponit legis Christi ignorantiam invincibilem, quam dicit excusare inobedientiæ culpam: ibi autem supponit adesse spiritum fidei de petendis sciendis, juxta illud Augustini lib. de gratia & libero arbitrio cap. 14. *Dicit* habentes eumdem spiritum fidei; *non enim aut scientiam fidei*, sed spiritum fidei: *quod propterea dixit, ut intelligeremus, quia fides, & non petita conceditur, & ut ei petenti alia concedantur*; quomodò enim invocabunt, *inquit*, in quem non crediderunt? Et de natura & gratia cap. 17. *Aliud enim non curasse scire, quæ negligentiæ peccata, etiam per sacrificia quædam legis, videbantur expiari: aliud intelligere velle, nec posse, nec facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit. Unde admonemur à Deo petere sapientiam, qui dat omnibus affluenter, utique his omnibus, qui sic petunt, & tantum petunt, quomodò & quantum res petenda est.* Et obindè ignorantiam vincibilem, quô sensu D. Thomas q. 3. de malo art. 7. in Corpore. *Ignorantia illa, quâ quis ignorat ea, quæ tenetur scire, non est absque peccato.* Ut vidimus *dub. 2. num. 42.* Aliòqui si absit, & invincibiliter ignoretur esse orandum, ignorantiam excusare putat inobedientiæ & defectus orationis culpam.

22 Probatur 6. ex S. Thoma 1.2. q. 90. art. 4. *Ad hoc, quòd lex virtutem obligandi obtineat, oportet, quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent: talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione: undè promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem.* Item q. 3. de malo art. 8. *Si in eodem actu aliquid sit ignoratum & scitum, potest esse voluntarium, quantum ad id, quod est scitum; semper tamen est involunta-* E 2 *rium,*

rium, quantum ad id, quod est ignoratum: sive ignoretur deformitas actus, puta cum aliquis nescit fornicationem (quæ tamen lege naturæ & divinæ positivæ prohibetur) *esse peccatum; voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum: sive ignoretur circumstantia actus, sicut cum aliquis accedit ad mulierem, quam credit esse suam* &c. præmiserat autem ibidem art. 7. ad 7. *Ignorantia, quæ omninò involuntaria est, non est peccatum.* Et 1.2.q.6. art.8. *talis ignorantia*, nempè antecedens & invincibilis, *causat involuntarium simpliciter.* Item q.76. art. 3. *Ignorantia, quæ est causa actus, quà causat involuntarium, de se habet, quod excusat à peccato, eo quod voluntarium est de ratione peccati:* sive, ut loquitur *in 2. dist. 24. q. 3. art. 3.* quia *ibi incipit genus moris, ubi primò dominium voluntatis invenitur.* Dari autem talem ignorantiam negativam invincibilem ex sententia D. Thomæ, patet ex præmissis *dub. 2. n. 38. 39. & 40.*

23 Probatur 7. ratione. Quia nihil potest esse formaliter voluntarium, nisi formaliter præcognitum; nullum autem formaliter peccatum, quod non est formaliter voluntarium: alioqui formaliter voluntarium reperiri posset in non cognoscitivis formaliter, & peccatum formaliter in non volitivis formaliter; & consequenter alioqui posset esse formale peccatum in nec cognoscitivis, nec volitivis formaliter: quia præcognitio & voluntarium formale, esset ad formale peccatum impertinens: atqui hæc sunt erronea, & contra Augustinum lib. de duabus animabus cap. 10. & 11. *Nusquam, nisi in voluntate, est peccatum.* De vera religione cap. 14. *Quarè aut negandum est peccatum committi, aut fatendum voluntate committi.* Lib. 1. retract. cap. 15. *Peccatum, quò consentitur peccati concupiscentiæ, nonnisi voluntate committitur: propter hoc & aliò locò dixi, non igitur, nisi voluntate peccatur.* D. Thomam 1. 2. q. 1. art. 1. *Actiones propriæ humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt.* Ibidem q. 6. art. 1. in corp. *Dicendum, quod oportet in actibus humanis voluntarium esse.* Ibidem q. 74. art. 1. *Cum autem proprium sit actuum moralium, quod sint voluntarii, sequitur quod voluntas, quæ est principium actuum voluntariorum, sive bonorum sive malorum, qui sunt peccata, sit principium peccatorum, & ideò sequitur, quod peccatum sit in voluntate sicut subjecto.* Ibidem art. 2. ad 1. *Dicendum, quod non peccatur, nisi voluntate, sicut primò movente; aliis autem potentiis peccatur, sicut ab ea motis.* Et ibid. q. 76. art. 3. *Ignorantia, quæ est causa actus, quia causat involuntarium, de se habet, quod excusat à peccato, eò quòd voluntarium est de ratione peccati.* Undè axioma est receptum, *nihil peccatum, quin voluntarium; nihil autem voluntarium quin præcognitum.* Ex quo D. Thomas 1.2. q. 6. art. 1. in Corp. *Hoc enim importat nomen voluntarii, quod motus & actus sit à propria inclinatione: & inde est, quod voluntarium dicitur esse secundum definitionem Aristotelis & Gregorii Nysseni & Damasceni, non solum cujus principium est intra, sed cum additione scientiæ.* Vide propositiones damnatas contra Michaëlem Bajum paulò ante *n. 17.* citatas. Ergo &c.

24 Respondebit fortè primo D. Sinnichius: peccatum ex ignorantia invincibili, & ignorantiam ipsam invincibilem, esse præcognita & voluntaria in negligentia vincibili, quâ peccantes neglexerunt à *Deo sapientiam sic petere, & tantum petere, quomodò & quantum res tanta petenda est.*

Juxta

Juxta id quod habet Saülis Exregis lib. 1. n. 359. *Qui intelligere volebant, nec poterant; & faciebant contra legem, non intelligendo, quid fieri vellet* (ex Augustino lib. de nat. & grat. cap. 17.) *etiam ipsi non omninò dicendi sunt non potuisse intelligere; sed dumtaxat ex hypothesi, quod neglexerint sapientiam à Deo sic petere, & tantum petere, quomodò & quantum res tanta petenda est.* Sed

25 Contra est primò: cum negligentia illa sit peccatum personale, eveniens secundum voluntatem, jam D. Sinnichius recedit ab eo, quod *ibidem* dicit: *Planum igitur est, juxta mentem, tam illius Synodi, quàm Augustini, eandem hac ex parte approbantis, oblivionem & ignorantiam subjacere peccato; non solum quandò eveniunt secundum voluntatem; sed etiam quandò secundum necessitatem: de solo enim posteriori isto casu viguit controversia Catholicorum cum Pelagianis; non autem de priori: neque enim alterutra pars dubitavit, quin oblivio & ignorantia subjacerent peccato, quandò evenissent secundum voluntatem.* Undè supra nil respondet ad casum controversum, quô *eveniunt secundum necessitatem*, sic ut *non eveniant secundum voluntatem* personalem: ac proinde ejus Responsio nulla.

26 Contra secundò. Quid in casu de quo *dub. 2. n.* 38. 39. & 44. negligentiæ puræ negativæ, prout infidelitatis puræ negativæ? etiam nihil respondet.

27 Contra tertiò. Quid de baptizatis infantibus & amentibus, qui, uti propter infantiam & amentiam non possunt simpliciter moralia intelligere, & ideò obligationes suas necessariò & invincibiliter ignorant; ità nec simpliciter ad illas observandum necessaria petere: numquid saltem illi excusantur à peccato omissionis illarum obligationum & negligentiæ petendi &c.? Si non: contra militat omnium Theologorum, & totius Ecclesiæ sensus, ac vera & sana doctrina. Si sic: cur potius hi, quàm cæteri invincibiliter ignorantes, saltem pro eo tempore, quô spiritum fidei nondum ità acceperunt, ut intelligerent se obligatos, *à Deo sapientiam sic petere, & tantum petere, quomodò & quantum res tanta petenda est.* cum ex præmissis suprà *dubio 2. per totum* talis ignorantia dari possit, & cæteri tales reverà sint quasi infantes & amentes in iis, quæ invincibiliter ignorant? Etiam nihil respondet.

28 Contra quartò. Per ipsum §. 384. ex Bannez & Sylvio: invincibiliter ignoramus tempus, quô obligat præceptum orandi, petendi &c. & consequenter interdum contra illud ex ignorantia invincibili formaliter peccamus. Hôc autem positô. Quæro: quomodò *negligentia orandi, petendi* &c. pro tempore, quô invincibiliter ignoro, an *præceptum orandi* &c. obliget, mihi magis possit esse culpabilis, quàm omissio orandi pro tempore, quô invincibiliter ignoro, an *præceptum orandi* sit? Etiam adhoc nihil respondet: hôc tamen casu, *orandi negligentia*, nihil præsupponeret, in quo esset præcognita & voluntaria, nisi fortè. Primò: distractionem voluntariam ad alia naturæ opera. Sed contra: id D. Sinnichium non juvat, si illa excludat omnem advertentiam ad *præceptum orandi*, & maximè si opera hæc, ut suppono, fiant ob finem honestum, imò in gloriam Dei, tempore, quô currit præceptum, quod invincibiliter ignoratur: aut certè si non fiant ob finem honestum, si supponas hunc, pro isto saltem modico tempore, ab operante

rudissimo invincibiliter ignorari: his autem casibus, distractio voluntaria non imputatur ad culpam, nisi omissionis præcepti invincibiliter ignorati, & sic principium petitur. Secundò: transgressionem primi præcepti in Adamo. Sed contra: etiam hæc nobis baptizatis non potest imputari ad culpam; quia uti definit Tridentinum sess. 5. *Per Baptismum deletur totum, quod veram rationem peccati habet.* Item: *In renatis enim nihil odit Deus; quia nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem.* Deindè non minus pueritia, inculpabilis culpâ personali amentia, phrænesis, furor &c. à nobis sunt præcognita & voluntaria in illa transgressione, quàm ista negligentia invincibilis, ignorantia invincibilis temporis, quô præceptum orandi obligat, &c. & tamen non dicit ista non excusare à peccato formali ab originali distincto: ergo nec dicere potest, hæc non excusare &c.

29 Respondebit fortè secundò: ex cap. 100. n. 375. *Cum nullus sit in terra peccator, quin in protoplastis prævaricantibus prævaricatus fuerit, verissimè Psaltes prævaricantes reputavit omnes peccatores terræ: sed tametsi, peculiari illâ consideratione, omnes peccatores sint prævaricatores, non idcircò necesse est, ut quoties quisq; peccat, toties prævaricator, id est, legis cognitæ transgressor, fiat, prout ex præcedentibus luculenter constare confido.* Et infrà: *Quoniam igitur, quoties adulti peccant, impingunt; non solum in aliquod particulare præceptum legis naturæ, quod fortè ignorant; sed etiam in aliquod universale, quod ignorare non possunt; ideò quatenùs istud universale præceptum, semper notum, transgrediuntur, prævaricatores reverà sunt, & dicuntur; quamvis sub ea ratione, quâ particulare præceptum sibi ignotum violant, nequaquam prævaricatores, sed tantummodò peccatores fiant.* Quibus tandem subdit, *summa hujus responsionis in hoc sita est: omnes peccatores terræ eatenùs dici prævaricatores, quatenùs, peccando, impingunt in illud communissimum legis naturæ præceptum, nemini incognitum*, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. *Porrò* (addit n. 337.) *quia hanc legem sibi intimè notam transgrediuntur, non modò peccatores, sed & prævaricatores jure meritò reputantur, dicente Psalmographô*, prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ.

30 Sed contra primò. Videtur D. Sinnichius hîc (salvô semper meliori judiciô) contradictoria loqui, dicens, *non quoties quisq; peccat, toties prævaricator, id est, legis cognitæ transgressor, fit.* Posteà subdens, *quoties adulti peccant impingunt in aliquod universale præceptum, quod ignorare non possunt, ideò quatenùs istud universale præceptum, semper notum, transgrediuntur, prævaricatores reverà sunt & dicuntur.* Item, quia *hanc* &c. *non modò peccatores, sed & prævaricatores jure merito reputantur.*

31 Contra secundò. Vel in cognitione istius præcepti universalis cognoscitur omne particulare, vel non: & in voluntaria istius præcepti universalis transgressione includitur voluntaria omnis præcepti particularis transgressio, vel non? Si prius: *quoties quisq; peccat, toties prævaricator, id est, legis* particularis in universali *cognitæ transgressor, fit.* Quod negans, iterum sibi contradicere videtur. Si posterius: omninò sequitur dari peccatum formale, nec in se, nec in alio præcognitum, nec in se, nec in alio voluntarium, quæ sequela

quela clarè impingit in propositiones damnatas, de quibus *n.* 17. suprà, quam indubiè cavere intendit.

32 Contra tertiò. Da in cæteris infantem, inculpabiliter culpâ personali amentem, vel furiosum, habere præcisè notitiam sufficientem istius præcepti generalis, & præcisè deliberationem sufficientem ad illius formalem transgressionem; insufficientem verò notitiam cujusvis præcepti particularis, uti & deliberationem insufficientem ad hujus formalem transgressionem. Vel quodvis præceptum particulare transgrediendo, erit formaliter peccator, vel non? Si prius: erit formaliter peccator, in eo, in quo est incapax sufficientis notitiæ & deliberationis, & si, eâ incapacitate non obstante, sit in illo formaliter peccator, non est, cur bruta, imò inanimata, vel etiam homines in pœnam originalis, intellectu & voluntate (dato quod ab anima realiter distinguantur) privati, nō sint formaliter peccatores, quæ sunt inaudita, & hæretica. Si posterius: ergo nec alii, invincibiliter de istis præceptis particularibus nihil cogitantes, erunt formaliter peccatores; quia quatenus de illis nihil invincibiliter cogitant, sunt similes istis infantibus, amentibus & furiosis, spectatis præcisè quatenùs ad illa præcepta se habent.

33 Contra quartò. Vel baptizati infantes, inculpabiliter culpa personali in adulta ætate facti amentes, furiosi, aut ebrii, istud præceptum generale sic invincibiliter ignorant, ut illud violando, sint formaliter peccatores, & amittant justitiam, quam ante habebant, vel non? Si prius: hoc est planè inauditum & hæreticum. Si posterius: cur hoc obsecro, nisi quia præceptum illud generale invincibiliter ignorant? ergo similiter non sunt peccatores formaliter, qui violant præceptum particulare, quod invincibiliter ignorant.

34 Contra quintò. Malè confidit, ex à se præmissis constare, *non esse necesse, ut quoties quisq; peccat, toties prævaricator, id est, legis cognitæ transgressor, fiat.* Cum ex à se præmissis, nihil plus constet, quàm, quod pro *secunda parte* resolvimus, ut statim videbimus.

35 D. Sinnichius quidem *præcitato capite 96. num.* 358. post assumpta hæc verba Augustini lib. 1. retract. cap. 15. *Qui nesciens peccavit* &c. *non quia voluit, peccavit, nesciens peccatum esse, quod fecit. Ità nec tale peccatum, sine voluntate, esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati. Quod tamen factum, peccatum fuit, hoc enim factum est, quod fieri non debuit.* Estium in 2. dist. 22. §. 14. in auxilium vocat, dicentem: *Ignorantia juris naturalis numquam facit actum prorsus involuntarium, etiam quà ratione peccatum est: quia non facit ut malum prorsus ignoretur; sed semper permittit ipsum aliquò modò sciri: quamvis enim, qui hàc ignorantiâ laborat, ignoret hoc malum, quod agit, sub ratione generis, id est, nesciat esse peccatum: novit tamen sub ratione speciei, cui naturaliter & essentialiter tale genus competit. Exempli gratia, qui mentitur officiosè, putans tale mendacium esse licitum; is quidem nescit tale mendacium pertinere ad genus peccati, ideoq; putat non esse peccatum: scit tamen se mentiri, & proindè actum, qui essentialiter malus est, voluntariè committit. Eadem ratio est in fornicatione, usura, simonia, ac cæteris per se malis, id est, quæcumque non ideò mala sunt, quia prohibita; sed ideò prohibita,*

atque

atque illicita, quia mala sunt.

36 Sed contra. D. Sinnichius imprimis hìc amplecti videtur doctrinam planè oppositam alteri, quam ex ipso retulimus *num.* 29. Quia Augustinus ibi loquitur, de adulto, qui peccavit in Adam: & dicit, *quamvis & ipse, quod nesciens* esse peccatum ab originali indistinctum *fecit, volens tamen fecit* id, quod fecit, *ità nec ipsius*, id est, ita nec id, quod volens fecit, *potuit esse sine voluntate peccatum*, ab originali indistinctum. *Quæ voluntas utique, sicut definita est, animi motus fuit nullò cogente ad aliquid, vel non amittendum, vel adipiscendum. Quod enim*, videlicet id, quod fecit, *nisi voluisset, non fecisset, non coactus est facere. Quia voluit*, puta id, quod fecit; *ergo fecit, etiamsi non quia voluit* id, quod fecit, ut peccatum ab originali indistinctum, *peccavit* peccatô ab originali indistinctô, *nesciens peccatum esse* ab originali indistinctum id, *quod fecit: ità nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti*, id est, ejus, quod fecit, *non voluntate peccati* ut ab originali indistincti. Quô sensu *lib.* 3. *de lib. arbit. cap.* 19. dicit: *Nam illud, quod ignorans non rectè facit, & quod rectè volens facere non potest, ideò dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit ista sequentia.* Vide n. 19. in fine. Undè solum sequitur illud, quod personaliter fecit, nesciens notitiâ physicâ & personali (alioqui scit morali, eâ ratione, quâ Adæ peccantis volũtas fuit moraliter ipsius voluntas, uti ostendimus *Theologiæ nostræ Tom.* 4. *dub.* 3. *disput. de originali*) peccatum esse indistinctum ab Adæ peccato, posse esse peccatum latè, prout condistinguitur contra illud formaliter tale, sive formaliter volitum ut tale (quomodò *n.* 10. peccatum tale *quintò modò* respectivè ad legem naturæ & Dei explicuimus, & quomodò manet latè peccatum *secundò modò* ibi explicatô) etsi non sit personaliter notum & voluntarium. Vel enim supponitur in tali operante originale peccatum perseverare: & sic illud *factum* contra legem naturæ, imò & præceptorum positivorum (quia per illud ignorantiam horum contraximus, quam alioqui non habuissemus) reputatur unum formaliter cum peccato originali. Vel non perseverare: & sic est contra legem naturæ, sed latè, duobus modis statim dictis, peccatum, de quo *ibidem* paulò ante Augustinus, *Sed hoc peccatum, de quo sic est locutus Apostolus* (dicens, *ad Rom.* 7. Si autem quod nolo, hoc facio, jam non ego operor illud, sed (id) quod habitat in me peccatum) *ideò peccatum vocatur, quia peccato factum est.* In quibus nihil contra nos, nec quidpiam ad mentem D. Sinnichii.

37 Deindè ad Estium, quem pro se citat, planè in-intelligibile est. 1. quomodò is, qui ignorantiâ juris naturalis sic laborat, *ut ignoret hoc malum, quod agit sub ratione generis, id est, nesciat esse peccatum*, ut in ratione peccati cognoscat speciem sine genere. 2. quomodò cognoscat id, quod essentialiter est malum, & non cognoscat esse malum. Vel enim illud cognoscit secundum essentiam, vel præcisè secundum accidentia separabilia? Si prius: indubiè cognoscit esse malum, cum sit essentialiter malum. Si posterius: cum præcisè illa accidentia à malo separabilia cognoscit, non aliter illa cognoscit, quàm si reipsâ essent ab omni malo separata, quô casu nullum prorsùs malum in genere & specie cognosceret. Undè ulterius: vel cognoscit malum, sive peccatum, in

in genere & specie: vel nullum prorsùs malum, in genere & specie cognoscit? Non primum: quia expresè contrarium docet. Si secundum: docet esse formaliter malum & peccatum, quod nec in genere nec in specie, est præcognitum malum, & consequenter, quod nec in genere & specie est voluntarium malum; quam doctrinam jam multoties diximus esse ab Ecclesia damnatam, ut patet ex præmissis *n.*17. *&* 28. nisi agat de peccantis cognitione physica & personali, peccato autem indistincto ab originali perseverante, sensu datô *n.*38. & fusiùs deducendo in *Prob.* 2.*partis Resol.*

38 Denique malè confundit actum, qui essentialiter malus est, cum actu, qui essentialiter formaliter malus est; quasi verò actus essentialiter malus contra legem naturæ, non rectè dividatur in essentialiter malum formaliter, & essentialiter malum materialiter tantum, quomodò accidentaliter malus contra legem positivam, ab omnibus dividitur in accidentaliter malum formaliter sub debita advertentia malitiæ formalis, & accidentaliter malum materialiter sub inadvertentia invincibili malitiæ formalis. An fortè per ipsum fornicatio in baptizato amente inculpabiliter, homicidium in inculpabiliter furioso &c. est magis mala formaliter, quàm in illis omissio Sacri, & jejunii præcepti? Hæc enim similiaque asserta sunt ità inaudita & nova, ut simul (salvô semper meliori judiciô) videantur erronea.

39 Confirmatur prima pars. Vel ignorantia invincibilis juris naturæ, aut positivi divini, excusat à peccato formali strictè sumpto, & ab originali perseverante realiter distincto: vel horribilia sequuntur absurda. *Primò.* Quod judicans erroneè invincibiliter hic & nunc esse mentiendum, pejerandum, vel se polluendum ad vitandum mortem, strictè mortaliter peccet; sive faciat, utpotè faciens contra jus naturæ & positivum divinum ex ignorantia invincibili, quæ in illis non excusat à tali peccato; sive non faciat, utpotè agens contra conscientiam in re gravi. *Secundò.* Quod plerique sanctorum Patrum invincibiliter contra jura ista errantes, in ista ignorantia invincibili mortui, ex eadem non retractatis talibus erroribus, sint damnati, licèt ab Ecclesia sint, etiam speciali diplomate, canonizati. *Tertiò.* Quod quoties Doctores aut Confessarii, Judices aut Jurisconsulti, obscuram propositionem aut causam resolvunt, se exponant periculo peccandi dictô peccatô strictè sumptô, licèt intendant verum & justum resolvere, quantum ignorantia invincibilis patitur; ac proindè istô peccatô in re gravi mortaliter peccare. *Quartò.* Quod consequenter omnes tales Doctores aut Confessarii, Judices & Jurisconsulti, abstinere debeant ab omni similium resolutione, donec Cathedræ infallibilis accesserit legitima declaratio; imò vix umquam hæc sufficiet, cum raro contingat illam esse ità claram & evidentem, ut circumstantiæ non subjiciatur, quas clarè non attingat, & circa quas proindè non suboriatur ignorantia invincibilis, quæ quoad illas, vel istam declarationem quatenus sub illis ab isto peccato formali non excusaret. *Quintò.* Quod etiam justi, qui non habent gratiam, quôvis casu, necessariam ad superandum ignorantiam invincibilem alicujus necessarii necessitate præcepti juris naturæ, positivi, aut facti, ex ignorantia invin-

F cibili,

cibili, cujus opposita advertentia in ipsorum potestate non sit, omittentes formaliter peccent, gratiâ suâ sanctificante priventur, & si contingat ultimô vitæ instanti, aut aliô, absque ulteriori contritione, in æternum damnentur. *Sextò.* Quod in quovis justo, non magis excuset agonis mortiferi & perturbatissimi animi infirmitas, quàm ignorantia invincibilis (nam uti patebit *n.*40.& 56. tam illa, quàm hæc est pœna peccati originalis, nec magis illa, quàm hæc fuisset, si originale non fuisset) currente dictô præceptô sub ista infirmitate, uti sub hac ignorantia invincibili; & cum passim Doctores resolvant, præceptum charitatis obligare saltem in articulo mortis, omnes justi, nisi obstet miraculum talem infirmitatem & ignorantiam impediens, actum charitatis in tali agonis mortiferi & perturbatissimi animi infirmitate omittentes morientur injusti & impii, nullus salvabitur &c. *Septimò.* Quod dari non debeat, non solum opinionum, sed nequidem Fidei & religionis delectio; quandoquidem juxta illam sententiam sub quacumque opinione tutiori & non tutiori, sub quacumque fide & religione Romana & non Romana, sed Lutherana, Calviniana, & infidelium ignorantia invincibilis (quæ etiam in istis est pœna peccati originalis; nam si in statu innocentiæ perseverasset homo, non fuisset) non excuset à peccato. *Octavò.* Quod fortunæ sit, & non voluntatis, non peccare, aut non peccare, prout juri naturæ invincibiliter ignorato conformiter vel non conformiter agere. *Nonò.* Quod securum non sit, Augustini, D. Thomæ, aut talis Doctoris sententiam sequi; quia sequendo possumus invincibiliter errare, quod à peccato non excusat, in sententia opposita. Ex quibus omnibus necesse est, in mundo oriri infinitas confusiones, in omnium hominum animabus innumeras anxietates, & continua, etiam in sanctissimis, peccata mortalia strictè sumpta, cum eversione totius ferè doctrinæ Orthodoxæ, ac ipsius Ecclesiæ, quæ Deus avertat.

COROLLARIUM.

Colliges ex præmissis: ad delectum opinionis sequendæ in moralibus nostram resolutionem apprimè necessariam; ac proinde P. *Vincentium Baronium*, turpiter falli, dum in *Responsis ad Epistolas*, sive *Apologema D. Caramuelis*, suam doctrinam de sequenda opinione pro lege contra libertatem tamquam tuta, vult sejunctam à resolutione de ignorantia invincibili excusante à peccato, quasi independenter ab hac à peccato excusante esse possit tuta. Fallitur, inquam: Quia, sive dicat se scire suam doctrinam esse tutam, sive id taceat: laborat ignorantiâ invincibili alterius tutæ, vel non. Si prius: resolvere debet, an ignorantia invincibilis per ipsum excuset à peccato, vel non; alioqui si non excuset, ipsius doctrina non est tuta, ut patet ex præmissis; imò etiam licèt excuset; quia uti hujus excusationis resolutionem sejungit, ita & hanc excusationem, quâ sejunctâ, iterum ipsius doctrina non est tuta, ut patet. Si posterius, aut scit alteram tutam, aut laborat ignorantia vincibili alterius tutæ; quorumvis dixerit, ipsius doctrina non est tuta, ut patet; quia utraque oppositarum non potest esse tuta, & aliunde, neque notitia, neque vincibilis ignorantia alterius neglectæ doctrinæ, excusat à pec-

à peccato. Vide *dub.* 5. *n.* 21. *ad* 48. ubi doctrina istius Authoris ex professo examinatur. Intereà adverte, prædictum dilemma vim habere maximam contra illos, qui docerent, ignorantiam invincibilem non excusare à peccato, sensu Resol. *pro* 1. *parte*. Attamen proportionaliter tantum ad materiam, in qua id docerent.

SECUNDA PARS
RESOLUTIONIS.

40 PRobatur secunda pars. Primò ex Anselmo Cantuariensi lib. de concordia cap. 17. *Impotentia, quæ descendit ex culpa, non excusat à culpa impotentem, culpâ manente.* Et statim infrà de homine loquens, *quoniam ergo peccando deseruit justitiam, ad peccatum illi imputatur impotentia, quam ipse peccando* originaliter, *sibi fecit: nec solum impotentia justitiam habendi; sed etiam impotentia illam intelligendi, similiter in non baptizatis imputatur ad peccatum, quoniam pariter descendit à peccato.* Quô sensu Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis p. 7. cap. 23. *Considerandum est, quod non potest excusare illa necessitas, quam præcedens operata est voluntas. Culpa enim voluntaria pœnam meruit; pœna autem operata est infirmitatem; infirmitas verò induxit necessitatem; & idcircò, quia necessitatem operata est infirmitas, voluntatem ipsam excusare non potest necessitas.* Item Bernardus *lib. de præcepto & dispens. cap.* 18. ubi de oculo malo & pejori subdit: *Cui quippe & malitia parit ignorantiam, & ignorantia malitiam operit, itaut sæpè nesciens, & malum, quod non vult, faciat, & bonum faciat, quod non vult:* obscuratum *nempe* est cor eorum, *qui istiusmodi sunt, & quasi jam* traditi in reprobum sensum, *bonum omninò, nec diligere, nec dignoscere queunt. De talibus sciptum est,* impius, cum venerit in profundum malorum, contemnit. *Nam, qui hujusmodi est, cavere profectò malum, nec vult, etiamsi possit, nec si velit, scit.* Etiam D. Thomas lib. 3. contra Gentes cap. 160. *Quamvis illi, qui in peccato sunt, vitare non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent, vel ponant, nisi auxiliô gratiæ præveniantur: nihilominus tamen eis imputatur ad culpam; quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur.* Et 1. 2. q. 19. art. 6. in Corpore: *Si ratio* (supple *propter negligentiam*, uti præmittit) *errans dicat, quod homo teneatur ad uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti est mala; eò quòd error iste provenit ex ignorantia legis Dei, quam,* nisi excuset ignorantia invincibilis, juxta dicta *dub.* 2. *num.* 42. aut si illa lex occurrat, *n.* 49. ibid. *scire tenetur.* Ac tandem Gregorius Ariminensis in 2. dist. 29. q. 1. art. 2. ubi ad hanc objectionem, *secundum omnes Doctores non imputatur homini, quæ ex ignorantiâ simpliciter invincibili committuntur.* Respondet: *Dico, quod istud est intelligendum de ignorantia, quæ non est peccatum, nec pœna peccati, cujus ille sit, aut fuerit reus: nam ignorantia, quæ provenit homini ex peccato, cujus ipse fuit reus, eum nequaquam excusat, saltem à toto.* Præmiserat autem dist. 28. q. 1. art. 3. *Non omnis impotentia benè agendi excusat hominem à peccato, si non benè agat; quia non illa, quæ est pœna peccati, excusat hominem à peccato, si non agat, quod debet, aut agat, quod non debet.* Præmissa confirmat Prosper sent. 309. *Inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamentô etiam propriæ vo-*

luntatis, sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui judicat, sive qui non judicat: quia & ipsa ignorantia in iis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in iis autem, qui non potuerunt, pœna peccati. Idem habes infrà *n.*30. ex Augustino *Epist.*105.

Subsumo. Atqui omnes isti volunt ignorantiam invincibilem & peccata omnia ex ignorantia invincibili commissa, sine additamento propriæ voluntatis, in non baptizatis esse moraliter unum cum originali perseverante, & commissa cum additamento propriæ voluntatis, in baptizatis esse moraliter unum cum actuali perseverante: ergo &c.

41 Probatur minor. Primò: quia nulla ignorantia invincibilis, ex qua necessario sequatur formale peccatum, tribui potest peccato jam remisso; alioqui peccati remissione, non deleretur totum, quod veram rationem peccati habet, & in renatis vel absolutis aliquid damnationis remaneret, quod est contra Tridentinum *sess.*5. *can.*5. ubi, quod dicit de baptismo & baptizatis, extendi debet ad pœnitentiam & absolutos proportionaliter: imò contra communem sensum & rationem: nam alioqui peccata essent remissa, ut supponitur; & non essent, quia ex illis etiam remissis formalia alia necessariò sequerentur. Vide dicta *n.*28. in fine.

42 Probatur minor secundò: Quia peccata ista non habent necessaria ad hoc, ut sint formale peccatum, distinctum ab eo, à quo voluntariè proveniunt, ut præmissa consideranti patebit; & habent necessaria ad hoc, ut sint unum cum illo perseverante: undè Anselmus expresè dicit, *culpa manente*; nec ullus præcitatorum insinuat esse peccata ab eo moraliter distincta, quasi novam malitiam formalem habeant ab illius malitia perseverante independentem: alioqui falleret illud Prosperi, *Inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis:* cessaret enim reatus originis per baptismum, & non esset additamentum propriæ voluntatis, ubi vel propria voluntas nihil addidisset, per pœnitentiam remissum esset. Quarè, cum D. Sinnichius istas omnes authoritates pro se adferat, in ipsum meritò retorquetur, quod *locô citatô n.*293. ex Maximo Taurinensi *homil.* 1. *de Festo Paschæ* in Bellarminum torquet, *Validis absque dubio nititur privilegiis, qui causam de adversariis asserit instrumentis. Speciosa victoria est, contrariam partem chartulis suis velut propriis laqueis irretire, & testimoniorum suorum vocibus confutare, & æmulum telis suis evincere: ut pugnatoris tui argumenta tuis probentur utilitatibus militare.*

43 Dicet fortè D. Sinnichius: plus vult Augustinus *Epist.*154. dicens: *Si quis bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit, hoc putando utique peccat: & ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quandò quis benè fieri putat, quod malè fit.* Et lib. 1. de peccatorum merit. cap. 36. *An nullum est ignorantiæ malum, & ideò non peccandum? Et quid ait illa vox,* delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris? *Etsi enim damnabiliora sunt, quæ à scientibus committuntur; tamen si ignorantiæ peccata nulla essent, hoc non legeremus, quod commemoravi,* delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris. Item lib. de grat. & libero arbit. cap. 3. *Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur, noluit intelligere, ut benè ageret; sed & illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt,*

ſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiternò igne ardeat; ſi propterea non credidit, quia non audivit omninò, quod crederet; ſed fortaſſis, ut mitiùs ardeat. Ergo &c.

44 Reſpondeo: iſtis abundè & commodiùs ſatisfieri infrà à *n.*68. *ad n.*77. Solum velim advertas: imprimis iſtam ignorantiam non ſatis conciliari poſſe, cum præcepto generali nemini incognito, in quod vult D. Sinnichius omnes peccatores terræ impingere, ut vidimus *n.* 29. Deindè, datô, quod duo priora loca extendantur ad baptizatum (alioqui ſecundum aliter explicamus infrà *n.*60.) ibi S. Auguſtinus *peccata* non aliter ſumit, quàm ſumat *lib. primo retract. cap.* 15. dum dicit, *qui verò cogenti cupiditati bonâ voluntate reſiſtere non poteſt, & ideò facit contra præcepta juſtitiæ, in hoc ità peccatum eſt, ut ſit etiam pœna peccati.* Propter hoc autem irreſiſtibile peccatum, hominem baptizatum, etiam juſtum, debere ſempiternò igne ardere, nullus, non ſolum Catholicus, ſed nec alius, bene ſanus, dicet, nec id intendit Auguſtinus, cum *ibidem* illud *peccatum* ità explicet, *ideò peccatum vocatur, quia peccatô factum eſt, & eſt pœna peccati.* Et lib. 1. Operis imperfecti cap. 71. *Concupiſcentia peccatum dicitur, quia peccatô facta eſt, & appetitione peccat; reatus ejus regeneratione ſolutus eſt, conflictus ejus ad agonem relictus eſt.* Quod eſt conſonum Tridentino ſeſſ. 5. de peccato orig. *concupiſcentia in baptizatis nocere non conſentientibus* &c. *non valet: hanc concupiſcentiam, quam aliquandò Apoſtolus peccatum appellat, S. Synodus declarat Eccleſiam Catholicam numquam intellexiſſe, peccatum appellari; ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.*

45 Dicit quidem Sylvius 2. 2. q. 44. art. 6. q. 3. *Quia nobis non advertentibus interdum accidit præcepti charitatis omiſſio, ipſam eſſe credimus inter peccata, de quibus Pſal.* 18. *dicitur, delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* Auguſtinus verò de ſpiritu & litt. cap. 36. *In multis offendimus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus, placere, vel non diſplicere, quod facimus: & poſteà per Scripturam ejus, ſive certâ & perſpicuâ ratione commoniti, cùm didicerimus, quod ei non placeat, pœnitendo deprecamur, ut ignoſcat.*

Sed contra: Auguſtinus ibi per *occulta*, à quibus petimus mundari, & per *multa*, in quibus offendimus omnes, non intelligit *peccata formalia*; ſed *cupiditates latentes*, juxta illud ejuſdem *in Pſal.* 18. ubi illud *ab occultis meis munda me*, ſic explicat, *à cupiditatibus in me latentibus munda me Domine.* Quô ſenſu *ibid.* infrà: *Ne mihi ut homini delicta quædam ſurrepant, & quibuſdam ut homo præoccuper, ab occultis meis munda me Domine.* Hæc autem ſunt delicta, *quia delictô facta, & ſunt pœna peccati*, juxta explicationem ex eodem paulò *num.* 44. ante datam. Item ſunt illa multa, *in quibus offendimus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus, placere* &c. quia continuos motus cupiditatis à motibus charitatis diſcernere, uti obſcuriſſimum, ità difficillimum; & pro quibus poſteà, *cum didicerimus, quod non placeant, pœnitendo deprecamur*, ut ea, tanquam *peccatô facta, & pœna peccati*, ſenſu datô, *ignoſcat.* Nil tamen obſtat, ne etiam de commiſſis ſtrictè peccatis jam oblitis intelligatur.

46 Sed tandem quæres: quid ad D. Sinnichium *n.* 13. citatum, qui *locô* ibi *ci-*

tatò sic habet: *In Palæstina Synodo, præsente Hæresiarcha Pelagiò, recitata fuêre quædam capitula, de libro Cœlestini hæretici excerpta, quorum unum erat*, oblivio & ignorantia non subjacent peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem. *Finitâ recitatione, Synodus dixit: quid ad hæc, quæ lecta sunt capitula, dicit præsens Pelagius Monachus? hæc enim reprobat S. Synodus, & S. Dei Ecclesia Catholica.* Et infrà, post interjectam Augustini ex lib. de gestis Palæstinis cap. 35. authoritatem, subdit: *Planum igitur est, juxta mentem, tam illius Synodi, quàm Augustini, eandem hâc ex parte approbantis, oblivionem & ignorantiam subjacere peccato; non solum quandò eveniunt secundum voluntatem, sed etiam quandò secundum necessitatem: De solo enim isto posteriori casu viguit controversia Catholicorum cum Pelagianis, non autem de priori; neque enim alterutra pars dubitavit, quin oblivio & ignorantia subjacerent peccato, quandò evenissent secundum voluntatem.*

47 Respondeo. Imprimis damnatæ propositionis hunc esse sensum: *Omnis* (nam propositio indefinitè loquitur, generalis autem est ratio, quæ definitioni à Synodo subditur, *cum in lege sacrificia pro ignorantia, sicuti pro peccato offerantur*, offeruntur autem pro omni peccato, ergo & pro omni ignorantia) *oblivio & ignorantia invincibilis, sive facti & præceptorum positivorum, sive juris naturalis* (quia nulla ibi ad invincibilem juris naturalis restrictio, quæ sola, si quæ, non excusat à peccato, juxta Adversarios nostros) *non subjacet peccato originali; quoniam non secundum Adæ & posterorum cum ipso voluntatem, sed secundum naturæ necessitatem eveniunt.* Quasi verò homo nasceretur sine peccato originali, & in eo statu, in quo fuit Adam ante prævaricationem, quod volebant Pelagiani, & in eo istum errorem fundabant, ut patet, ex Augustino de dono perseverantiæ cap. 11. *Dicunt Pelagiani, ignorantiam & difficultatem, sine quibus nullus hominum nascitur, primordia, non supplicia, esse naturæ.* Et lib. 1. retract. cap. 9. *Quam miseriam* (puta ignorantiam veri & difficultatem recti, ex concupiscentia provenientem) *Pelagiani nolunt ex justa damnatione Dei descendere, negantes originale peccatum.* Vide infrà *num.* 53. ubi P. Schilders nostram expositionem, comprobat. Et confirmat Augustinus *lib. 3. de libero arbit. cap.* 19. ajens, *illud, quod ignorans quisq; non rectè facit, & quod rectè volens facere non potest ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis*, Adæ scilicèt, *originem ducunt: illud enim præcedens meruit ista sequentia.* Undè D. Sinnichius falleret imprimis, uti etiam *n.* 25. notavimus, idque contra mentem Synodi & Augustini, si vellet, eidem peccato subjacere ea, *quæ eveniunt secundum necessitatem*, cui peccato subjacent ea, *quæ eveniunt secundum voluntatem* physicam & personalem: illa enim soli originali perseveranti, ex mente Synodi & Augustini, subjacent; hæc verò soli personali perseveranti: De his autem plura habes Cursus nostri *Tomo* 2. *tit.* 2. *disp.* 2. *dub.* 6. & *Tomo* 4. *tit.* 2. *disp.* 1. *dub.* 7. *resol.* 4. ubi istam difficultatem ex professo discussimus. Deindè: quæro, quodnam sit illud peccatum, cui vult ignorantiam & oblivionem subjacere *secundum necessitatem*? Vel est personale sive peccatum tantum, vel est originali peccato factum & pœna peccati simul? Si prius: quomodò stat, quod *num.* 29. de peccatis personalibus

bus

bus docuit, *omnes, qui contra legem naturæ peccant, in illa generalem & quasi transcendentalem ipsius legis sanctionem*, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, *impingere:* an peccatis personalibus in illam *secundum necessitatem*, & non *secundum voluntatem*, impingunt? Respondebit indubiè, *peccatis secundum voluntatem*; quia loquitur post Augustinum *lib. de vera religione* cap. 14. *Usque adeò peccatum voluntarium est malum, ut nullò modò sit peccatum, si non sit voluntarium: & hoc quidem ità manifestum est, ut nulla hinc Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* Undè per ipsum nulla personalia eveniunt secundum necessitatem. Si posterius, illud est ipsa concupiscentia, fomes peccati &c. quæ non aliter sunt peccata, quàm quia *originali peccatô facta, & pœna peccati*, qualia in justis reperiuntur, manentibus justis, nec in baptizatis non consentientibus nocent, nec peccata appellari debent, ut patet ex Tridentino *n.*44. citato. Quarè D. Sinnichius locô *n.*46. citatô periculosam doctrinam novam haberet, si istam *necessitatem* ad peccata formalia, distincta ab eo habitualiter perseverante, in quo fuerunt actualiter, & adhuc sunt habitualiter voluntaria, extenderet.

48 Objicies tamen ex P. Schildere *de formanda conscientia tract.*2. *num.* 4. Licèt illa ignorantia fuerit libera in causa, non est amplius libera in continuatione: sic enim ille, qui se inebriavit, si præviderit esse periculum homicidii committendi, peccavit, non tantum peccatô ebrietatis, sed etiam exponendo se periculo homicidii; si autem non præviderit, non peccavit. Quarè omnis malitia est in causa: ergo, &c.

49 Respondeo. Distinguendo assumptum: non est amplius libera in habituali continuatione, si causa ista habitualiter perseveret, prout in non baptizato habitualiter perseverat, nego assumptum: non est amplius libera in actu physico, quô primum fuit libera, aut in actuali continuatione per Posterorum Adæ novum actuale & personale voluntarium concedo assumptum: nec mirum, quia Adæ Posteris numquam fuit actu suô physicô, aut suô actuali & personali voluntariô libera; sed solô morali, quod habitualiter perseverat, & continuatur in non baptizatis, uti ipsum originale, quod ex Adam contraxerunt. Ad exemplum ebrii, eadem esse debet distinctio: nam si in eo ebrietatis peccatum habitualiter perseveret, dum committit homicidium, quod ante ebrietatem, se in ebrietate commissurum prævidit; homicidium hoc est ipsi istius peccati habituali voluntariô peccatum voluntarium, ab isto ebrietatis peccato formali habitualiter perseverante indistinctum, ut patet, & docent Patres ac Doctores *num.* 40. citati.

50 Unde non placet, quod author ille *ibidem num.*6. ad hanc Instantiam. *Instabis secundò: D. Thomas lib.* 3. *contra Gentes cap.* 160. ait. *Quamvis illi, qui in peccato sunt, vitare non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent, vel ponant, nisi auxilio gratiæ præveniantur: nihilominùs tamen hoc eis imputatur ad culpam: quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur.* Respondet *D. Thomam agere istic de peccato in causa, quod committitur ab eo, qui ponit causam, prævidens effectum malum inde secuturum.* Unde statim additur. *Sicut ebrius ab homicidio non excusatur,*

satur, *quod per ebrietatem committit*; *quam suâ culpâ incurrit.* Subdit ipse. *Ebrius enim ille non peccat formaliter per homicidium, quod committit absque usu rationis*; *sed peccavit in causa, inquantum inebrians se prævidebat periculum committendi tale malum. Sicut dictum est.* §. 1. Non placet, inquam; quia hæc malè confundit, nempè *ebrium illum non peccare formaliter habituali ebrietatis peccato perseverante*, quô ipsum formaliter peccare, jam diximus, & *ebrium illum non peccare formaliter actuali voluntariô novô homicidii in ebrietate commissi*, quomodò illum non peccare formaliter ultrò concedimus; sed D. Thomas istô, non hôc sensu loquitur, dum addit. *Sicut ebrius ab homicidio non excusatur, quod per ebrietatem committit, quam suâ culpâ incurrit.*

51 Minus tamen placet: dum ad hanc objectionem, quam sibi facit Augustinus lib. 3. de libero arbit. cap. 18. *Et tamen per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur, sicut in divinis authoritatibus legimus. Ait enim Apostolus, misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. Ait & propheta: delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris. Sunt etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere, & non potest: nam unde sunt istæ voces. Non enim quod volo, facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago.*

52 Respondet *ibidem* num. 6. *Argumentum istud solvit responsionibus duabus, quæ simul sumptæ constituunt plenam solutionem.*

53 *Prima responsio, sive prima pars solutionis est. Quod peccata illa ignorantiæ tantùm sint formalia, sive imputabilia in causa, adeoq; imputabilia soli Adæ, qui causa fuit, cur perdiderimus justitiam originalem, & gratias illuminativas, quarum defectu posteri ex necessitate incidunt in multa peccata materialia. Ità enim ait lib. 3. de libero arbitr. c. 18.* Sed hæc omnia hominum sunt ex illa mortis damnatione venientium: nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt. *Id est, nulli imputabilia: nec Adæ, si non sint pœna peccati Adæ, neque homini jam agenti ex ignorantia, cum non peccet formaliter. Et cap. 19.* Nam illud, quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere non potest, ideò dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt: illud enim præcedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solum membrum, quod movemus in ore, dum loquimur; sed etiam illud, quod hujus membri motum consequitur, id est, formam tenoremque verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua Græca, alia Latina: sic non solum peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum; liberâ enim voluntate & à sciente committitur: sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur, necesse est. *Ratio porrò, ob quam S. Augustinus dicat, peccata materialia per ignorantiam facta esse formalia in causa, sive in Adamo, fuit hæc, ut contradiceret Pelagianis, qui, sicut negabant peccatum originale, sic etiam negabant ignorantiam & difficultatem rectè agendi provenisse ex peccato Adæ. Ut patet ex l. de bono persever. c. 11.* Dicunt Pelagiani, ignorantiam & difficultatem, sine quibus nullus hominum nascitur, primordia, non supplicia esse naturæ. *Et lib. 1. Retract. cap. 9.* Ad quam miseriam justæ damnationis pertinet ignorantia & difficultas, quam patitur homo ab exordio nativitatis suæ, quam miseriam Pelagiani nolunt ex justa damnatione descendere, ne-

gantes

gantes originale peccatum. *Quô modô etiam concupiscentiam appellat peccatum, l. 2. contra Julianum c.9.* Quamvis jam non eôdem modô appelletur peccatum, quô facit reum; sed quod sit reatu primi hominis factum, & quod rebellando nos trahere nititur ad reatum, nisi adjuvet nos gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

54 *Secunda responsio, sive pars solutionis est, quod peccata ignorantiæ sint agenti imputabilia: eò quòd ignorantia, licet sit in ipso orta, sine ipsius culpa, ex peccato Adæ, sit tamen ipsi culpabilis quoad continuationem, in quantum non adhibet media ad ignorantiæ expulsionem necessaria. Ità enim loquitur l.3. de libero arbitr. cap.* 19. Hinc occurrit illa quæstio, quam inter se murmurantes homines rodere consueverunt, qui quodlibet aliud in peccando, quàm se accusare parati sunt. Dicunt enim, si Adam & Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate, & cum difficultatis cruciatibus nasceremur, & primò erraremus nescientes, quid nobis esset faciendum. Deindè, ubi nobis inciperent aperiri præcepta justitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiscentiæ, nescio quâ necessitate, non valeremus? Quibus breviter respondetur, ut quiescant, & adversus Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret: cum verò ubique sit præsens, qui multis modis, per creaturam sibi Domino servientem, aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras; neque illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis. Ista tua propria peccata sunt. Nulli enim homini ablatum est scire utiliter quærere, quod inutiliter ignorat. Et humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille subveniat, qui nec errat, dum subvenit, nec laborat. *Quam doctrinam postmodum adeò non revocavit, ut eandem iterum tradiderit l. de natura & gratia cap.* 67. Hinc jam hominibus de ipsius ignorantiæ difficultatisque in prolem primi hominis trajectis vitiis atque transfusis, velut justam querelam deponentibus ità responsum est. Quibus breviter, inquam, respondetur, ut quiescant *&c.*

55 Minus, inquam, placet. Nam

Contra primam partem Responsionis ejusdem *num.*53. est: quod non satis explicet, quomodò *peccata ignorantiæ* nondum baptizatorum, sive potius eorum, quibus originale nondum remissum est, (de quibus etiam loquitur S. Augustinus, locô objectô *num.*51. cùm totô illô *cap.*18. *&* 19. peccata ignorantiæ posterorum Adæ refundat in eorum in Adamo peccatum, generaliter & sine ullo discrimine inter illos, quibus remissum est, & alios, quibus remissum non est,) *sint formalia soli Adæ imputabilia, qui causa fuit, cur perdiderimus justitiam originalem & gratias illuminativas, quarum defectu posteri ex necessitate incidunt in multa peccata materialia.* Quasi verò peccatum Adæ, non fuerit moraliter nostrum, definiente Tridentino sess. 5. de originali can. 3. *Hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione, transfusum omnibus, inest unicui-*

que proprium (supplendo ex can. 5.) *quod veram & propriam rationem peccati habet*, utique in unoquoque nostrûm. Et variis Pontificibus hanc contra Michaëlem Bajũ propositionem, *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.* De quibus nos plura ex professo in Opere nostro *de visione Eliæ. Disp.* 1. *per totam* præced. mense evulgato. Si verò fuerit moraliter nostrũ uti reverà fuit, non minus, quam Adam, *moraliter causa fuimus, cur perdiderimus justitiam originalem & gratias illuminativas.* Non minus, *harum defectu*, Posteri Adæ, nondum baptizati, *ex necessitate in multa peccata* formalia habitualiter, à perseverante peccato originali formaliter indistincta, quàm ex necessitate in formali originali, nascuntur. Non minus horum peccata ignorantię sunt ipsis *formalia sive imputabilia* in ipsis *causa*, quam sint *formalia sive imputabilia* in Adamo *causa*; *adeoq; imputabilia*, non *soli Adæ*, sed & ipsis moraliter, utpotè illorũ una cum Adamo causa morali.

56 Unde vera quidem sunt, quæ author ille *ibidem* præmittit. *Quod enim dicunt, ignorantiam Juris naturæ procedere ex peccato Adæ: non item ignorantiam facti, aut juris positivi, nullatenus subsistit. Si enim Adam non peccasset, posteri ipsius, in originali innocentia permanentes, non laborassent tali ignorantiâ eorum, quæ fiunt, quali jam passim laborant. Non fuisset ea ignorantia, & sciendi impotentia, in infantibus, etiam circa factum, ut fatetur D. Augustinus* lib. 1. de pecceatorum meritis cap. 36. *non fuisset amentia à nativitate ut idem fatetur* lib. 6. contra Julianum cap. 1. *Imò, quod non omnibus adultis jam prædicatio Evangelii facta sit, aut non omnes Mediatorem Christum advenisse intellexerint, factum est in pœnam peccati Adæ. Sic enim S. Augustinus, ignorantiam Christi, quæ non est ignorantia Juris naturæ, sed facti, seu Juris positivi Divini, dicit esse pœnam peccati Adæ: lib.* 3. *de libero arbit. cap.* 18. Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur, sicut in divinis authoritatibus legimus. Ait enim Apostolus: misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. *Et posteà:* Sed hæc omnia hominum sunt, ex illa mortis damnatione venientium: nam si non esset ista pœna hominis, sed natura, nulla peccata sunt. *Similiter Epistola* 105. *ait, quod* in illis, qui credere noluerunt, ignorantia peccatum est: in illis autem, qui non audierunt, nec potuerunt, pœna peccati. *Conformiter D. Thomas* 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 1. Si infidelitas accipiatur secundum negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ: quia talis ignorantia Divinorum ex peccato primi parentis consecuta est.

57 Sed fallit, quod immediatè subdit, *Porrò peccata commissa ex ignorantia facti vel juris positivi, licèt ignorantia illa sit orta ex peccato Adæ, non imputantur ad culpam.* Si loquatur de culpa originali perseverante, & peccatis illis, quatenùs ab iis, quibus originale nondum remissum est, commissis ex ignorantia illa, quatenùs orta ex peccato Adæ, ut sequitur ex statim dictis: licèt verum sit, si loquatur de culpa personali actuali ab illa originali perseverante formaliter distincta, de qua intelligi debet S. Thomas ab eo citatus, dicens, *si infidelitas accipiatur secundum negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de fide,*

non habet rationem peccati, ut vidimus *dub.* 1. *num.*40. Ac proindè etiam fallit, juxta allatum sensum, quod infert ibidem, *Ergo nec peccatum, ortum ex invincibili ignorantia legis naturæ.*

Adde, à nobis præmissa satis confirmari ex Augustino lib. de grat. & liber. arbit. c. 3. *Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur, noluit intelligere, ut benè ageret; sed & illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire* voluntate physicâ & personali *nolunt, sed & eorum, qui tanquam* id est *æquivalenter* actu intellectus physico & personali *nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne ardeat* (nota hic supponi peccatum formale saltem originale perseverans:) *si propterea non credidit; quia non audivit omninò, quod crederet* (unde D. Thomas, ut supra intellectus, conciliatur D. Augustino, ut hîc explicato, cui aliòqui evidenter contradiceret,) *sed fortassis, ut mitius* (non quod dubitet, an peccatum ex ignorantia invincibili non puniatur mitius peccato ex vincibili & malitia, cum hoc sit manifestum; sed an non illud utpotè unum cum originali, non minori ardore puniatur, quàm personale ab originali distinctum, de quo meritò dubitat) *ardeat*. Item ex Augustino *Epist.* 105. & Prospero sententia 309. *Inexcusabilis est omnis peccator vel perseverante reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat* &c. Vide infrà. *n. 69.*

58 Contra secundam partem Responsionis ejusdem etiam est. Primò: quod per hæc verba, *licèt ignorantia sit in ipso agente orta, sine ipsius culpa, ex peccato Adæ*, incidat in omnes difficultates statim contra ipsum allatas. Secundò: suppositâ hâc suâ Assertione *ibidem num.* 8. *Non videtur in ullo adulto, habente usum rationis, dari plena ignorantia totius legis naturæ, sic ut invincibiliter ignoret prima principia, conclusionesque, quæ ex illis immediatè & clarè sequuntur, dummodò de iis cogitet.* Qua limitatione plus vult, quàm *dub.*2. *resol.*3. de rudibus docuerimus & confirmat, quod *ibid. resol.* 2. docemus. Quæro, attentâ istâ limitatione: quid respondebit prò illo, qui de lege naturæ & à fortiori Juris Divini & factorum (nam num. 9. hanc Assertionem subdit, *datur aliqua inculpabilis & invincibilis ignorantia Juris positivi, etiam Divini, uti & facti, propter quam ponens actum materialiter malum excusatur à peccato formali.*) nihil cogitat? de hoc enim etiam agit Augustinus, ut ex dictis contra *primam partem* sequitur. Quomodò ignorantia est ipsi ut sic culpabilis quoad continuationem, in quantum non adhibet media ad ignorantiæ expulsionem necessaria, præsertim si etiam de hac ignorantia nihil cogitet, juxta dicta *loco cit.*? An in ipso peccata ignorantiæ sunt non formalia ab originali, habitualiter in ipsis perseverante condistincta? Oppositum docet clarè Augustinus *libro de grat. & libero arbitr. cap.* 3. statim *num.*57. citato. Tertiò: quod sibi objecit Augustinus ex *cap.* 18. *de lib. arbitr.* non supponit ignorantiam culpâ personali culpabilem quoad continuationem, in quantum ignorans non adhibet media ad ignorantiæ expulsionem necessaria, uti locus, quem Author ille pro sua responsione citat ex *cap.*19. quia, post verba objecta, *cap.*18. (quibus addi debent, quæ immediatè sequuntur, *Et illud, velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Et illud: Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim invi-*

cem adversantur.) immediatè subdit, *Sed hæc omnia hominum sunt, ex illa mortis damnatione venientium; nam si non est pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt.* Ubi vides Augustinum non recurrere ad *ignorantiam culpâ personali culpabilem quoad continuationem* &c. licèt in disparata quæstione, quam *cap.* 19. sibi proponit, ad illam recurrat. Unde tota illa pro utraque parte responsio non est ad mentem Augustini. Sed alia esse debet juxta à nobis dicta *nu.* 57.

59 Subdit *ibidem* P. Schilders. *Atque hinc*, videlicet ex præmissa sua responsione, *patet responsio ad multa loca S. Augustini, in quibus dicit homini imputari peccata ignorantiæ. lib.* 1. *de peccator. meritis cap.* 36. An nullum est ignorantiæ malum, & ideò nec purgandum? Et quid ait illa vox: delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris? Etsi enim damnabiliora peccata sunt, quæ ab scientibus committuntur, tametsi ignorantię peccata nulla essent: hoc non legeremus, quod commemoravi. Delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris. *l.* 1. *de adulterin. conjug. cap.* 9. Jacobus Apostolus ait. Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. Numquid ideò non peccatum est illi, qui nescit bonum facere, & ideò non facit: utique peccatum est, sed hoc gravius, si etiam sciat, & non faciat. Nec illud ideò nullum, quia minus. *Item in Enchiridion c.* 81. *Quandò* scientes videntesque peccamus, *sumus* jam non solum peccatores, quod eramus etiam cum per ignorantiam peccabamus, verum etiam legis (*scilicet cognitæ*) prævaricatores.

60 Sed contra Primùm ex *lib.* 1. *de peccat merit.*: tantum abest, ut locus Augustini *de peccatorum meritis lib.* 1. *cap.* 36. explicari debeat *de peccatis ignorantiæ, quatenùs peccanti personaliter culpabilis quoad continuationem, in quantum non adhibet media ad ignorantiæ expulsionem necessaria*, uti P. Schilders explicat, quin potius Augustinus ibi expressè talem explicationem rejiciat, & agat de infantibus, qui ignorantiæ personaliter culpabilis sunt omninò incapaces. Sic enim lego in fine cap. 35. *Illam potius recentium natorum profundissimam ignorantiam videamus, ex qua ad istam non permansuram balbutientem fatuitatem, tanquam ad scientiam locutionemque tendentes, proficiendo venerunt.* Quod *cap.* 36. sic prosequitur, *Illas, inquam, consideremus tenebras mentis utique rationalis, in quibus & Deum prorsus ignorant, cujus sacramentis etiam cum baptizantur obsistunt.* Ubi vides de parvulorum peccatis ignorantiæ, quâ Deum prorsus ignorant, & ejus Sacramentis, cum baptizantur, obsistunt, esse mentionem. Immediatè autem Augustinus subdit. *In has, quæro, undè, & quandò submersi sint? Itanè verò eas hîc*, non in Adamo peccantes, *contraxerunt, & in hac vita suâ jam propriâ*, non in vita Adæ moraliter viventes, *per nimiam negligentiam obliti sunt Deum, prudentes verò & religiosi vixerunt vel in uteris matrum? Dicant ista, qui ausi fuerint, audiant, qui voluerint, credant, qui potuerint. Ego autem puto, quod omnes, quorum mentes non obnubilat defendendæ suæ sententiæ pervicacia, hæc sentire non possunt.* Non tribuit quidem P. Schilders talem negligentiam infantibus, sed Augustinum explicat tanquam loquentem de negligentia nimia personali, quam ibi in terminis rejicit, & statim quærit. *An*, præter hanc, *nullum est ignorantiæ malum, & ideò nec purgandum?*

gandum? Et respondet, *Et quid illa vox*, delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris? *Etsi enim damnabiliora peccata sunt, quæ ab scientibus committuntur* (hic comprehendit peccata negligentiæ, de quibus P. Schilders; quia ignorantia vincibilis & voluntaria supponit advertentiæ scientiam;) *tamen si ignorantiæ* in pueris, de quibus agit, *peccata nulla essent, hoc non legeremus, quæ commemoravi*, delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris. *In illas igitur ignorantiæ densissimas tenebras, ubi anima infantis recentis ab utero* (certè non posset clarius exprimere se loqui de ignorantia infantium; non verò de personaliter culpabili adultorum, ut vult P. Schilders,) *utique anima hominis, utique anima rationalis, non solum indocta, verum etiam indocilis* (nota) *jacet, quarè, aut quandò, aut undè contrusa est, si naturæ est hominis sic incipere, & non jam vitiosa est ista natura?* Sed petet fortè: an ibi Augustinus, per *delicta juventutis & ignorantiæ meæ* intelligat, delicta infantium? Omninò, ut clarissimè patet ex verbis sequentibus de eodem infante. *Iste autem nesciens ubi sit, quid sit, à quo creatus, à quibus genitus sit, jam reus delicti, necdum capax præcepti, tam profundâ ignorantiæ caligine involutus & pressus, ut neque tanquam de somno excitari possit, ut hæc saltem demonstrata cognoscat: sed expectetur tempus, quô hanc nescio quam velut ebrietatem, non per unam noctem, sicut qualibet gravissima solet, sed per aliquot menses atque annos paulatim digerat: quod donec fiat, tam multa, quæ in majoribus punimus, toleramus in parvulis, ut numerari omninò non possint. Hoc tam magnum ignorantiæ atque infirmitatis malum, si in hac vita jam nati parvuli contraxerunt, ubi, quandò, quomodò, magnâ aliqua impietate commissâ, repentè tantis tenebris involuti sunt?* Unde tantum ab est P. Schilders explicatio à mente Augustini, quantum infantia ab adolescentia, & incapacitas culpæ personalis à culpa personali: nec ad eam magis accedit D. Sinnichius istum locum, eôdem ferè sensu, pro se citans *Saulis Exregis lib. 1. n.* 358. ut consideranti patebit.

61 Contra secundum ex *lib. de adult. Conjug.* etiam est: quod nihil evincat, Augustinum ibi loqui de solo graviori peccato adulti scientis bonum & non facientis, & non de minori infantis, vel certè adulti, cui originale nondum remissum est, invincibiliter & culpâ personali inculpabiliter nescientis bonum facere, & ideò non facientis; cum illud dicat esse *gravius*, hoc *minus*. Sed oppositum docet.

62 Contra tertium denique est: quod S. Augustinus ibi iterum condistinguat ignorantiam invincibilem, quâ non videmus, quid facere debeamus (quod vocat ignorantiæ malum, eô sensu, quô *lib. 1. de peccat. merit. cap.* 36. supra. *num.* 6. licèt cum hoc discrimine, quod fortè hic illud malum extendat ad adultos invincibiliter ignorantes) contra advertentiam saltem inclusam in ignorantia vincibili, quâ peccamus non faciendo, quod debere fieri jam videmus. Unde Patris Schilders, & D. Sinnichii *num.* 358. & 359. similis explicatio, nequidem istis duobus locis sat congruit.

RESOLUTIO II.

63 DIco secundò. Inconsideratio talis, quâ nequidem cogitatur de Dei prohibitione vel malitia actus ut legis

divinæ transgressionis, aut obligatione de illa inquirendi, *An sit*, vel saltem inquisitionem imperandi, excusat ab actuali strictè peccato mortali & veniali, distincto ab habitualiter perseverante, in quo fuerit actualiter, & adhuc sit habitualiter voluntarium. Ità S. Thomas *q.15. de verit. art.4. num. 10.* Suarez *de legibus cap. 18. num. 11.* Et vasquez *12. disp. 107. membro 7. & 11.* Bonav. *in 2. dist.29. super 2. p. textus* & *2.p. dist. art. 2. q. 2.* Albertus ead. *dist. art. 13.* Henricus *quodlib. 6. q. 32.* Gerson *Alphab. 3. litt. D.* Antoninus *2. p. tit 5. cap. 1. §. 5.* Petrus de Tarantasia. Angelus *verbo cogitatio num. 2.* Cajetanus *2. 2. q. 88. art. 1. & in summa verbo delectatio.* Armilla ibidem num. 1. Conradus *hic art. 4.* Almaïnus *tract. 3. moral. cap. 24.* Hieronymus ab Angesto *cap. 6. moral. in 5. parte.* Niderus *in suo præceptorio 9. cap. 4. littera F.* Petrus Sotus & Corduba, quos sequuntur Diana *p. 4. tract. 4. resol. 36.* Sanchez *lib. 1. in Decalogum cap. 16. num. 21.* Valentia *1. 2. disp. 2. q. 1. p. 6. & disp. 6. q. 6. p. 1.* Arriaga *hic disp. 13. num. 6.* Tamburinus *in Decalog. lib. 1. cap. 3. §. 2. num. 5.* Herinx *hic disp. 1. nu. 29.* & alii citati num. 31.

64 Ratio est: quia inconsideratio ista voluntarium tollit, haud secus quàm ignorantia invincibilis: ergo &c. Probatur assumptum: quia tunc demum incipit esse vincibilis, quandò præcedit cogitatio vel suspicio de dicta obligatione, ut omnes fateri tenentur; aliòqui homo obligaretur ad impossibile; nec determinari posset, quandò, quæ & qualis inconsideratio à peccato excuset, & quandò, quæ & qualis non excuset, quæ sunt infinitis scrupulis & difficultatibus *Resol. 1. pro 1.* Parte motis subjecta. An autem, istis non obstantibus, subsistat facultatis Lovaniensis 4. Maii 1657. contra nostram resolutionem censura, nempè, *est contra communia Christianæ Theologiæ principia, & innumera, etiam immanissima hominum peccata excusat cum pernicie animarum.* statim videbitur, uti & censuram esse implicitè in censuratis propositionibus contra Michaëlem Bajum ac Tridentino damnatam, nisi de peccatis ex ignorantia invincibili agat, sensu dando *dub. 4. num. 30.*

65 Dices tamen primò. Ex D. Sinnichio in suo *Saule Exrege libro primo c. 44. n. 353.* in fine. Ista doctrina symbolizat cum his. 1. *Ut actio quæpiā sit peccaminosa, oportet, ut procedat ab homine, qui noscit, & perspicit, quid boni malíve in ea sit, & antequam id videat, aut animū reflectat actio, neque bona est, neque mala* (sic enim habet articulus 25. inter eos, quos censuravit facultas Theologica Lovaniensis.) 2. *Cum tibi menti non occurrat, illud esse peccatum, nec ullum dubium de indaganda veritate, jam laboras inculpabili conscientiā, per oblivionem seu inadvertentiam, à quibus excusatur operans, perindè ac ab ignorantia* &c. Atqui hæ doctrinæ symbolizant cum hoc libertinorum dogmate, *nihil est peccatum, nisi eorum opinione, qui se peccare putant:* Ità ille. Ergo &c.

66 Respondeo. Admissâ majore, negando minorem: quia ex his doctrinis solum sequitur, nihil esse liberum contingenter, ac proindè nec peccatum formaliter in actu secundo, nisi procedat à voluntate, sive homine, *qui noscit* &c. saltem indirectè in vincibilitate suæ ignorantiæ: aliòqui nequidem est voluntarium indirectum, pro ea ratione, quâ *homo non noscit* &c. saltem indirectè &c. ut patet ex dictis *n. 23.*

n. 23. & definitione ipsiusmet voluntarii communiter recepta: *quod procedit à principio intrinseco, cognoscente singula, in quibus est actio*. Unde ex hic præmissis à *n*. 14. *ad* 24. ac S. Scriptura Joan. 9. *Si cæci essetis non haberetis peccatum*. Et 15. *Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent*. Sunt hæc communia Christianæ Theologiæ principia, *nihil voluntarium, quin præcognitum. Nullum peccatum, quin voluntarium. Ignorantia invincibilis excusat à peccato*. Ista verò nihil habent commune cum dogmate libertinorum, cujus est hic sensus, *nihil est peccatum, sive prohibitum, etiam in actu primo, nisi eorum præcisè opinione, qui se peccare putant*. Quasi verò odium Dei, blasphemia, sodomia &c. in actu primo non sint peccata, nisi se illis peccare putent, ipsisque liberum sit, & licitum de illis, uti de indifferentibus, putare non esse peccata, & omnem oppositi repræsentationem rejicere.

67 Quarè dogma istud nos non tangit; sed illos, qui dicerent doctrinam bonam & sanam, esse malam & laxam, Antiquorum opiniones esse Neotericorum, & similia, solis libertinis familiaria, contra Scripturam, Pontifices, Patres & cæteros Orthodoxos sententiæ nostræ Authores. Dum verò D. Sinnichius (unus è Censoribus facultatis Lovaniensis) non aliud profert censuræ, ab eis contra istos Authores latæ, fundamentum, nisi propositionem istam sensu dandô *dub*. 4. *num*. 30. intelligat, uti ipsum intelligere cupio, & credo, Censores illos secum nimiæ arguit libertatis, & niti videtur his propositionibus, contra Michaëlem Bajum à diversis Pontificibus damnatis, *ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium. Homo peccat etiam damnabiliter, in eo, quod necessariò facit. Infidelitas purè negativa in his, quibus Christus non est prædicatus peccatum est*. Quibus consonat hæc à Sorbona anno 1560 damnata, *homo faciendo, quod in se est, peccat, & non potest non peccare, faciendo, quod in se est*. Et contrariatur Tridentino sess. 6. c. 11. *Deus impossibilia non jubet; sed jubendo* (cui obsecro, an per D. Sinnichium ignoranti invincibiliter jussionem, & super hac amenti?) *monet* (quem obsecro, an monitionis incapacem pro tempore, quô monitionem invincibiliter ignorat?) *& facere, quod possis, & petere, quod non possis*. Quomodò obsecro, petet, qui Deum, & à fortiori Dei præcepta, negativè invincibiliter, juxta dicta *dub*. 2. *resol*. 2. & pro isto tempore, vel simili, nullâ consideratione ad petendum movetur, sed potius invincibili inconsideratione à petendo removetur? Vide suprà à *n*. 24. *ad* 29. & Confirmationem *n*. 39.

68 Instabis. Ex D. Sinnichio *ibid. n*. 358. S. Augustinus evidenter contrarium sentit *Epist*. 154. dicens: *Si quis bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit, hoc putando, utique peccat: & ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quandò quis benè fieri putat, quod malè fit*. Lib. 1. de peccat. merit. cap. 36. *An nullum est ignorantiæ malum, & ideò nec purgandum? Et quid ait illa vox*, delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris? *Etsi enim damnabiliora peccata sunt, quæ à scientibus committuntur: tamen si ignorantiæ peccata nulla essent, hoc non legeremus, quod commemoravi*. Et lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 9. *Numquid ideò non peccatum est illi, qui nescit bonum facere, & ideò non facit? utique peccatum est; sed hoc gravius, si etiam sciat, & non faciat, nec*

ideò

ideò illud nullum, quia minus. Ergo &c.

69 Respondeo 1. Augustinum attentis statim præmissis, intelligi debere, vel de ignorantia vincibili, sic ut, vel neglexerimus nobis personali & physicâ negligentiâ seu pigritiâ advertere, dum potuimus, & debuimus, etsi postmodum culpabiliter obliti sumus advertendi negligentiæ admissæ: nam ut rectè D. Thomas in Catena in Lucam ex Theodoreto, ait: *hîc objiciunt aliqui; meritò punitur, qui sciens voluntatem Domini non persequitur. Sed cur punitur ignorans? Quia cum ipse potuisset, noluit, sed pigritans ipse fuit ignorantiæ suæ causa.* Et sic manifestum est, cur illa sint peccata, ad sensum Augustini lib. 3. de libero arbit. cap. 19. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; sed quod negligis quærere, quod ignoras.* Vel de ignorantia invincibili infidelium, ac nondum baptizatorum, & sic manifestum est, peccata ex hac ignorantia, uti hanc, ex qua invincibiliter sequuntur, esse unum peccatum formaliter cum ipso originali perseverante, juxta illud Anselmi Cantuariensis lib. de concordia cap. 17. *Impotentia, quæ descendit ex culpa, non excusat à culpa impotentem, culpâ manente.* Bernardi & D. Thomæ *num.* 40. ac Augustini *num.* 60. citatorum. Hôcque sensu, juxta præmissa *num.* 47. in Synodo Palæstina damnatur contra Pelagianos, quod dicebant, *Oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt; sed secundum necessitatem;* quia nempè juxta Augustinum de dono perseverantiæ cap. 11. dicunt Pelagiani, *Ignorantiam & difficultatem, sine quibus nullus hominum nascitur; primordia, non supplicia*, puta ob originale, *esse naturæ.* Ideóque istô sensu etiam intellige Augustinum *lib. de grat. & libero arbitr. cap.* 3. dicentem, *Illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiternô igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omninò, quod crederet* (alioqui hæc verba satis innuunt Augustinum non loqui de ignorantia juris naturalis, sed positivi, sive Evangelii) *sed fortassis ut minus ardeat.* Et Epist. 105. ad Sixtum, *Ignorantia, in iis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in iis autem qui non potuerunt, pœna peccati; ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio.* Vide dicta *num.* 60. Vel de fidelium ac baptizatorum ignorantia invincibili & ex ea peccatis, materialiter dumtaxat sensu datô *num.* 10. *Quartò* &c. sumptis, quô sensu S. Augustinus sumit *peccatum*, locis statim objectis, quatenus ad fideles & baptizatos sermonem dirigit: cum enim hæc peccata materialia habeant aliquam damnabilitatem pœnæ peccati originalis, præcisâ omni damnatione reatus illius, & indecentiam materialem, quam non habent actus boni, vel etiam indifferentes, propter quam transgressores non recipiunt bona, quæ Deus ex decenti vel merito confert observantibus, peccatorum quisque meritò clamat, *delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris.*

Vide dicta *num.* 57. Verum quidem est, quod S. Augustinus sub istis delictis omninò comprehendere videatur peccatum, de quo ipse lib. 1. Retract. cap. 15. *Qui verò cogenti cupiditati bonâ voluntate resistere non potest, & ideò facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ità peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* Sed hic per peccatum non intelligit strictè formale; sed latè, sive id, quod

peccatô factum est, juxta explicationem *num.* 44. datam, & quam *ibidem* adfert, *ideò peccatum vocatur, quia peccatô factum est, & pœna peccati est*, quod totum materiali (sensu datô *num.*10. *Quartò* &c.) convenit. Præmissorum ratio est; quia docere ignorantiam invincibilem, etiam legis naturalis hîc & nunc obligantis, & peccata, quæ ex illa procedunt, in adultis baptizatis esse formaliter strictè peccata (tamen hoc, saltem clarè, non docet D. Sinnichius *locô citatô* ex *cap.96.*) est damnatum in propositionibus contra Michaëlem Bajum damnatis *num.* 64. citatis, si de peccatis actualibus physicè personalibus agatur: si verò de formaliter indistinctis ab originali, est damnatum in Tridentino sess.5. cap.5. ubi definitur, *per baptismum deleri totum, quod veram rationem peccati habet.* Et subditur, *In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem.* Vide dicta *num.*28.

70 Respondeo secundò. Ad duo posteriora loca Augustini, esse sufficienter ostensum supra *num.* 35. 57. *&* 60. non esse intelligenda ad Mentem Objicientis.

71 Urgebis. Ex eodem D. Sinnichio *ibid.* Plus vult Augustinus *lib.* 1. Operis imperfecti *Adversus Julianum* cap. 105. *Necesse est, ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet facere, facit. De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur,* Delicta juventutis meæ, & ignorantiæ meæ ne memineris. *Quod genus delictorum si non imputaret Deus justus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis. Unde dicit & Dei famulus Job,* Signasti peccata mea in sacculo, & annotasti, si quid invitus commisi. *Et rursus ibidem capite proximè sequenti:* Necesse est, ut peccet, à quo ignoratur justitia. Numquid ideò, cum justitiam cognoverit, non sunt ei remittenda peccata, quæ ignorantiæ necessitate commisit? Ergo &c.

72 Respondet primò P.Schilders *tract.* 2. de conscientia formanda n.6. *Responderi posset primò: S. Augustinum non velle, isthic, quod in homine sit necessitas physica ad culpabilem ignorantiam certam, sive ad committendum per illam peccatum aliquod certum, quod illi imputetur ad culpam. Sed quod in ipso sit necessitas moralis ad errandum culpabiliter, & peccandum ex tali ignorantia culpabili in aliquibus casibus indeterminatè sumptis, nisi speciali Dei auxilio præservetur. Sicut Trident.* sess. 6. Can.23. *docet, neminem* posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio. *Quæ necessitas moralis, non impedit libertatem sive imputabilitatem, in quovis casu particulari, prout omnes admittunt, & admittere debent in peccatis venialibus, & quod necessitas moralis non involvat infallibilitatem metaphysicam. Neque solutio hæc datur gratis; quia sic procedendo S. Augustinus evertit hanc Propositionem Pelagii.* Quod aliquis homo possit esse in hac vita sine omni peccato, licèt careat speciali Dei auxilio. *Quam propositionem à Pelagio defensam fuisse, constat ex D. Augustino* lib. de natura & gratia cap. 34. 35. 36. *Evertebat autem S. Augustinus propositionem illam vel per hoc solùm, quod Pelagium cogeret ad confessionem, quod homo sine auxilio Dei moraliter necessitetur ad ignorantiam culpabilem alicujus legis: quô admissô, Pelagius fateri debebat, quod homo sine peccato vivere non posset; quandoquidem diceret, hominem non posse servare totam legem, nisi sciverit. Scientiam autem hanc volebat, etiam moraliter*

ter loquendo, ab homine diligente haberi posse sine auxilio Dei.

73 Sed contra. S. Augustinus ibi non solum agit de culpabili necessitate morali disjunctiva hujus vel illius erroris aut ignorantiæ, & peccandi ex tali ignorantia culpabili in aliquibus casibus indeterminatè sumptis, nisi speciali Dei auxiliô præservetur, prout in venialibus peccatis contingit, quæ necessitas præcisè est ex infirmitate intellectus & voluntatis per originale contracta: sed etiam de alia necessitate ex mala consuetudine personaliter culpabili orta, juxta hæc, quæ *ibidem* præmittit. *Si enim necessitas nulla peccandi est, ut omittam vim mali ejus, quod originaliter trahitur, hoc enim nullum esse vos vultis* (ecce illud primum removet, & ad hoc secundum pergit:) *Quid patiebatur quæso, qui secundum vestrum sensum* (utique illô primô præcisô) *tantâ mole malæ consuetudinis premebatur, ut diceret; non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago.* Quasi illa mala consuetudo causet ignorantiam culpabilem, quâ stante, quod nolumus in se malum, hoc in causa ista malum agimus.

74 Respondet secundò. *Respondeo secundò clariùs ad mentem Authoris, quod S. Augustinus, etiamsi ageret de peccatis ignorantiæ ex necessitate physica factis, non velit tamen illa imputari nobis, nisi neglexerimus quærere medium, per quod illa necessitas agendi, sive impossibilitas cavendi, tollitur. Et hoc, licèt illa necessitas committendi actum malum non possit tolli per medium naturale, sed tantum per auxilium Dei supernaturale. Et sic advertit Annatus suprà cap.* 8. *quod S. Augustinus, dicens peccata ignorantiæ per necessitatem facta homini imputari, tantum agat de peccatis, quæ impossibile est evitare per naturam, possibile autem est per gratiam. Agit autem D. Augustinus de casu, quò homo, carens gratiâ ad evitationem peccati necessariâ, potest illam consequi per orationem, eamq; culpabiliter negligit.*

75 Sed contrà. Ista responsio secunda non quadrat Augustino: quia ibi non solum agit de peccandi necessitate, orta ex negligentia, quâ neglexerimus quærere medium, per quod illa necessitas agendi, sive impossibilitas cavendi tollitur; sed & de peccandi necessitate omnem talem negligentiam antecedente, ut patet ex his verbis, *multum erras, qui necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est*, id est *originale*; nam immediatè sequitur, *Si enim necessitas nulla peccandi est, ut omittam vim mali ejus, quod originaliter trahitur* (ubi implicitè illam peccandi necessitatem agnoscit) *hoc enim nullum esse vos vultis*, subaudi, *ego è contra.* Et infrà sic probat peccandi necessitatem istâ negligentiâ anteriorem. *Tu quoque* Juliane Pelagiane *in libro novissimo tuo, eorum contra unum meum quatuor edidisti, ex affectionibus atque passionibus animi dicis evenire hominibus affectionalem qualitatem, atque ità inhærescere, ut aut magnis molitionibus, aut nullis omninò, reparetur. Quisquis ergo eâ timiditate peccaverit, quæ ab illo non potest separari, quid aliud quàm necessitate peccabit? sed vos ista peccata ex illis ventre peccatis, quæ nulla necessitate commissa sunt, in illo saltem conceditis, qui dicit, quod nolo malum, hoc ago. Qui enim, ut istam patiatur necessitatem, non nisi peccandi consuetudine premitur proculdubiò prius quàm peccaret, nondum necessitate consuetudinis premebatur. Ac per hoc, etiam secun-*

dum vos, peccandi necessitas, unde abstinere liberum non est; illius peccati pœna est, à quo abstinere liberum fuit, quandò nullum pondus necessitatis urgebat. Cur ergo non creditis tantum, saltem voluisse illud primi hominis ineffabiliter grande peccatum, ut eo vitiaretur humana universa natura, quantum valet nunc in homine bono secunda natura? Quarè aliter

76 Respondeo: Augustinum ibi loqui de utraque dicta peccandi necessitate: una antecedente personalem negligentiam personaliter culpabilem, de qua agit sistens in sententia, quam de originali respuit Julianus: altera consequente personalem negligentiam personaliter culpabilem; illam dicimus personaliter invincibilem, & excusare à peccato personali distincto, secus ab originali perseverante; hanc esse in ista personali negligentia personaliter vincibilem & culpabilem, non verò invincibilem & culpabilem, prout immeritò affingitur Augustino. Vide præmissa *num.* 60.

77 Dices secundò. Sequeretur *primò:* quod si quis innumera commisisset adulteria, furta, homicidia &c. ex dicta inconsideratione, non obligaretur illa confiteri. *Secundò:* sceleratissimos homines meritò sæpè dubitare, an teneantur sua scelera confiteri, hôc ipsô, quod de ista inconsideratione dubitant. *Tertiò:* eum, qui cum advertentia ad Dei prohibitionē & malitiam actus ut legis divinæ transgressionis, furatus esset unum nummum, strictè peccasse mortaliter, & teneri confiteri: alium verò, qui sciens se peccare contra rectam rationem, cum isti advertentiæ opposita inadvertentia, vellet innumera furta gravissima, adulteria, homicidia & omne genus alia committere, non peccare strictè mortaliter, nec teneri confiteri. *Quartò:* illum, qui sub ista inadvertentia omnia ista crimina committeret, posse manere amicum & filium Dei, ejusque amore & hæreditate dignum. *Quintò:* jam, quod est insolitum, debere confessarium interrogare, an pœnitens sua peccata cum dicta advertentia commiserit, necnè. Quæ omnia sunt horribilia: ergo, &c.

78 Respondeo primò: retorquendo ista omnia in strictè peccata, materialiter tantum voluntaria, & invincibiliter involuntaria formaliter pro ea ratione, quâ alióqui essent strictè peccata formaliter: ista autem omnia sub dicta inconsideratione sunt invincibiliter involuntaria formaliter in ratione prohibiti à Deo, aut malitiæ actus ut legis Divinæ transgressionis, ac per consequens in ratione strictè peccati mortalis, sumpti juxta explicationem allatam *num.* 11. in qua conformiter fidei principiis sistimus. Quod ut confirmem: quæro, an datô, quod quis sub simili inconsideratione invincibili rectæ rationis prohibentis, aut malitiæ actus ut legis naturæ prohibentis, ista peccata committeret, sciens & volens præcisè illa ut sic committere, ista peccata non essent ipsi invincibiliter involuntaria formaliter, pro ea ratione, quâ alióqui essent peccata formaliter contra rectam rationem prohibentem &c.? Magis negari non potest, quàm quod advertentia sit de necessitate voluntarii formaliter pro ea ratione, quâ est voluntarium formaliter: idem igitur proportionaliter dicendum in casu nostræ resolutionis. Nec juvat prætendere, quod in quæstione ista falsum supponatur in eo, quod aliquis possit sciens & volens ista

peccata committere sub invincibili inconsideratione rectæ rationis prohibentis: quia illud tanquam casum metaphysicum supponimus, ut de veritate casus physici melius judicemus, quod est in scholis usitatissimum. Aliter tamen

79 Respondeo secundò: vix umquam contingere, quod aliquis baptizatus in adulta ætate inter Christianos educatus, similia peccata, nil cogitando de Deo & Dei offensa gravi vel levi (præscindendo saltem ab annexa pœna privationis gratiæ & mortis æternæ, quæ incurritur, licèt invincibiliter ignoretur, ut alibi diximus). committat sub tali inconsideratione invincibili; cum ex confidelium instructione & propria experientia, fideles apprehendere soleant peccata prout sunt contra Deum, & non prout contra rationem, nisi relativè ad Deum: unde ex omnibus istis sequelis nihil contra resolutionem sequitur. Si tamen supponas, id interdum contingere, stare debes in veritate nostræ retorsionis ac resolutionis, & dicere, talem in isto casu metaphysico potius à peccato formali excusandum, quàm hoc sine voluntario agnoscatur.

80 Instabis: saltem cum certum sit, multos infideles habere ignorantiam invincibilem Dei, ac legis ut Divinæ, sequeretur. Primò: illos numquam, in similibus sceleribus, quæ committunt, strictè mortaliter peccare, infernum mereri &c. Secundò: obindè satius esse illis Deum, aut legem Divinam non annuntiare, quàm annuntiare, ut vitetur in illis strictè peccatum mortale, quod aliòqui non committunt: ergo &c.

81 Respondeo: imprimis sufficienter probatum *dub.2.* per totum, infideles valde paucos dari, qui Deum invincibiliter ignorent. Deinde: quoad præcepta ut legis Divinæ, peccata ut constituentia iræ filios, pœna æterna dignos &c. id esse satis *ibid. n.*40. præoccupatum. Denique patere ex præmissis *resol.* 1. infideles omnes in similibus peccatis mortaliter strictè peccare, peccatô habitualiter perseverante, originali saltem, in quo fuerunt actualiter, & adhuc sunt habitualiter voluntaria, uti ipsa inconsideratio naturalis allata, aut ignorantia invincibilis, ex qua peccant, & peccatum illud continuò aggravant: quarè semper consultum, illis Deum & legem Divinam annuntiare, ut peccatum illud, in quo cætera sunt voluntaria, in Dei cultu & legis Divinæ observantia vitent, & sic consequenter de cæteris. Unde nego primam & secundam sequelam. Vide infra *num.*93. & 94.

82 Dices tertiò. Illud strictè peccatum mortale appellatur, quod grave est, & Deo graviter displicens: atqui, non obstante dictâ inconsideratione, adulterium, homicidium & similia fidelium scelera, sunt gravia & Deo graviter displicentia: ergo sunt strictè peccata mortalia, quæ inimicitiæ & iræ filios reddunt, Dei amicitiâ & gratiâ sanctificante privant, & pœnâ æternâ puniuntur.

83 Respondeo: distinguendo majorem, strictè peccatum mortale appellatur, quod grave est & Deo graviter displicens, in ratione formalis offensæ contra Deum & legem Divinam, sive Theologicæ, concedo majorem: in ratione offensæ formalis contra rectam rationem creatam, præcisè, sub inconsideratione invincibili Dei prohibitionis, aut legis ut Divinæ transgressionis, sive moralis philosophicæ tantum,

tum,

tum, nego majorem: hæc enim sunt separabilia, ut *dub.* 2. *num.* 40. etiam ex D. Thoma vidimus; & casu quô separentur, ista fidelium scelera sunt tantum latè *quinto modo* allato *num.* 10. peccata, quæ Deo non aliter & sub aliis pœnis displicent, quàm rectæ rationi creatæ, per inconsiderationem invincibilem præscindentem à Deo & Dei lege, ut diximus *ibidem* quia in ratione strictè peccati mortalis sunt omninò involuntaria, ut vidimus *nu.* 78. in Retortione contra *object.* 2. Vide *Resol.* 4. infra.

84 Instabis: hinc sequeretur, quod in quolibet peccato mortali esset distinguenda duplex malitia: materialis una, quatenus præcisè contra rectam rationem: formalis altera, quatenus contra Dei prohibitionem aut legem Divinam; & sic ratio offensæ Dei, inimicitiæ, iræ filii, privati Dei amicitia & sanctificante gratiâ, digni pœnâ æternâ &c. non esset communis omni peccato mortali: atqui hoc est absurdum; quia aliòqui plurima peccata secundum illam solam malitiam materialem mortalia, essent venialia tantum, quod est inauditum: ergo &c.

85 Respondeo: negando majorem; quia illa malitia materialis non est peccatum mortale, cum debeat esse Theologicum, & non sit, ut contendimus: sed morale philosophicum dumtaxat, quod à mortali & strictè peccato distinguimus, eò quòd sit tantum latè *quinto modo* peccatum, ut suprà *num.* 10. vidimus. Unde ratio offensæ Dei, inimicitiæ &c. est communis omni peccato mortali, ut debet, cum sit Theologicum; non verò omni morali philosophico dumtaxat, cum Theologicum non sit, etsi inter philosophica gravissimum judicetur: ac proindè hîc oportet multum distinguere peccatum mortale à gravi, & per mortale semper intelligendum grave Theologicum. An autem grave philosophicum sit dicendum veniale? ferè de nomine est disputatio: Veniale dici potest, hôc sensu, quod prout venialia Dei inimicitiæ, & iræ filios non reddat, pœnâ æternâ non puniatur &c. sed veniale, hôc sensu, dici non debet, quod sit formalis offensa levis Theologica contra Deum & legem Divinam, quamdiu Deus & lex Divina invincibiliter non consideratur &c. ac ideò optimè dicitur gravis offensa moralis præcisè philosophica.

RESOLUTIO III.

86 Dico tertiò. Vix quidem contingere potest, ut fideles assueti apprehendere sua peccata, non ut contra rectam rationem, sed ut contra Deum & legem Divinam, peccent contra rectam rationem, quin strictè peccatum grave aut leve, prout damnum apprehenderint, committant. Secùs tamen soliti inter gentiles, & quodammodò sine lege Divina, vivere, ut gentiles ipsi. Utrumque ipsâ experientiâ videtur manifestum. Vide *n.* 79.

87 Verumtamen vix fieri potest, ut vel hi, vel illi, attendant ad damnum proprium aut proximi, quod suâ malitiâ inferunt, quin latè *quinto modo* peccatum grave aut leve, prout damnum apprehenderint, committant: si tamen in quodam casu metaphysico, inconsideratio talis esset, quâ nihil de damni gravitate aut levitate occurreret invincibiliter, sed damnum præcisè; peccatum non esset grave, sed

leve (nisi nobiscum genus immediatè individuatum sub peccato admiseris) licèt alioqui esset peccatum grave. Ità Arriaga 1. 2. *disp.* 13. *num.* 20. ubi pro se citat Hieronymum ab Angesto, Almainum & Cordubam; quia *magis favendum reo, quàm actori*, & aliundè peccator habitualiter intendit peccare, quàm minimum potest, ut præsumitur; præsertim cum nullus dicat levissimum mendacium cum tali inconsideratione prolatum (quod non raro contingit in scrupulosis) esse mortale: ergo neque si materia sit gravis; quia peccati gravitas non est ab ipsa materia præcisè, sed etiam ab ipsa apprehensione, aut dubio de gravi malitia: aliòqui duorum furum, qui è sacco vicini aliquid furari, præscindendo à *multum & parum*, vellent, ille mortaliter peccaret, qui casualiter, locô quadrantis, partem auream acciperet, & è contra, alter venialiter tantum, qui, locô partis aureæ, quadrantem acciperet; quæ sunt absurda, cum sit eadem voluntas in uno ac in altero, & uterque sit eidem periculo participandi materiam gravem expositus, & hinc uterque, ratione periculi, si prævisum sit, graviter peccet.

88 In ista resolutione benè notandum est, quod nos nolimus considerationem præcisè esse de gravi vel levi damno, sic ut non sit de malitia gravis vel levis damni; quia sicut aliud est consultare de damno temporali gravi vel levi, aliud consultare de malitia istiusmodi damni; ità aliud est damnum illud esse consideratum, aliud malitiam illius esse consideratam: sed sic ut, eô consideratô, vix contingere possit, ut nihil cogitetur de gravi vel levi malitia damni, quod confert actus: ista autem malitiæ cogitatio ex parte intellectus ad peccatum formale sufficit, secus illa damni præcisè: sed an sufficiat ad formale peccatum, prout privat gratiâ sanctificante, & inimicos Dei constituit, prout est formaliter offensa Dei contra ipsius legem æternam &c. si de his nihil omninò cogitetur, dicetur statim.

RESOLUTIO IV.

89 Dico quartò. Si contingat, prout in gentilibus fortè non raro contingit, non cogitari, nec dubitari invincibiliter, quod malitia dicti damni gravis aut levis, vel cujusvis peccati, sit contra Dei legem, Dei offensa, & (si gravis) iræ filios ac Dei inimicos constituens, excusatur à peccato, quod sit formaliter contra legem Dei, offensa Dei, & (si gravis) iræ filios ac Dei inimicos constituens, distinctum à peccato originali, vel alio perseverante, in quo culpabiliter voluntaria est talis inconsideratio, aut invincibilis ignorantia; nam aliòqui, ut rectè Anselmus Cantuariensis de concordia cap. 17. *Impotentia, quæ descendit ex culpa, non excusat à culpa impotentem, culpâ manente.* Pro quo vide suprà *Resol.* 1. à *n.* 40. ad 63.

90 Resolutio probatur ex D. Thoma in cap. 7. ad Rom. lect. 2. *Dicendum est ergo, quod sine lege, poterat quidem peccatum cognosci, secundum quod habet rationem inhonesti, id est contra rationem existens: non autem secundum quod importat offensam divinam; quia per legem divinitus datam manifestatur homini, quod Deo displicent peccata humana in hoc, quod ea prohibet, & mandat puniri.* Et infrà: *est ergo intelligendum, sicut supra diximus, quod peccatum non cognoscitur, nisi per legem,*

legem, quantum ad reatum pœnæ & offensam Dei. Et q. 3. de malo art. 8. in Corp. *Si in eodem actu aliquid sit ignoratum, & aliquid scitum, semper tamen est involuntarium, quantum ad id, quod est ignoratum: sive ignoretur deformitas actus (puta cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum; voluntariè quidem facit fornicationem; sed non voluntariè facit peccatum:) sive ignoretur circumstantia actus, sicut cum aliquis accedit ad mulierem, quam credit esse suam; voluntariè quidem accedit ad mulierem, quam credit esse suam; sed non voluntariè ad non suam.* Idem ferè repetit 1.2. *q.* 19. *art.*6. *in corp.*

91 Confirmatur ex præmissis *n.*23.31. 32. & 39. Omninò enim improbabile est, peccatum esse voluntarium in ea ratione, quæ invincibiliter ignorata est, de qua nihil prorsùs est cogitatum, aut dubitatum &c. ut locô citatô vidimus: & alioqui cum voluntas non feratur in incognitum, uti probavimus *n.66.* peccatum esset in ista ratione voluntarium sine voluntate: imò cum objectum non aliter moveat voluntatem, quàm cognitum, ratio ista ut sic ignorata non aliter moveret voluntatem, quàm si hæc & ipsa impossibiles essent. Absurdissimum autem esset, in his casibus, admittere peccatum esse voluntarium in ista ratione ut sic sine voluntate voluntaria: undè sequitur, quod absurdissimum sit dicere, peccatum esse voluntarium in ratione peccati formaliter ut contra legem Dei, ut offensæ Dei, & (si grave sit) ut iræ filios & Dei inimicos constituentis, distincti à peccato originali, vel alio perseverante, in quo culpabiliter voluntaria est invincibilis inconsideratio; quamdiu de his invincibiliter nihil cogitatur aut dubitatur: & omninò dicendum est, quodcumque peccatum, sub alia ratione cognita, formale, non esse ut distinctum ab originali vel alio perseverante, in quo &c. nisi peccatum materialiter in invincibiliter ignorata ratione peccati contra legem Dei, offensæ Dei, iræ filios & Dei inimicos constituentis &c. quia horum cognitio est de conceptu actus mali, sive peccati formalis strictè, in D. Thomæ & vera sententia: Ergo &c.

92 Dices: hîc locum & vim habet censura Facultatis Lovaniensis, allata *n.*65. quia indè sequitur innumera, etiam immanissima hominum peccata excusari à ratione offensæ Dei, cum animarum pernicie: ergo ista doctrina omninò rejicienda est.

93 Respondeo: negando assumptum; quia sermo est, vel de nondum ab originali justificatis, & sic inconsideratio, & peccata, quæ ex hac sequuntur, sunt unum cum peccato originali perseverante, utpotè pœna istiusmodi peccati: sumitur ex Augustino lib. 1. Operis imperfecti cap.7. *Cæcitas enim cordis, si peccatum non esset* (id est, de peccato, ut patet ex dictis *n.*44.) *injustè argueretur; arguitur autem justè, ubi dicitur* Pharisee cæce, *& aliis pœna non esset, non diceretur* excæcavit enim illos malitia illorum *&c.* Item Epist. 105. ad Sixtum: *Ignorantia in iis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in iis autem, qui non potuerunt, pœna peccati est: ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio.*

Præmittitur autem: *Neque enim damnantur, qui non peccaverunt, quandoquidem illud* ex uno in omnes pertransiit, in quo *ante propria in singulis quibusq́; peccata,* omnes *communiter* peccaverunt. *Ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis,*

nis, *vel additamento etiam propriæ voluntatis*. Vel de justificatis ab originali obduratis in peccato à se postmodum commisso, de quibus dici potest, quod Augustinus dicit de Judæis quæst. 14. super Matth. *Quis non exurgat in defensionem Judæorum*, *& eos extra culpam fuisse proclamet, quod non crediderunt? Propterea enim non poterant credere, quia excæcavit oculos eorum: sed quoniam prius Deus extra culpam debet intelligi, cogimur fateri, aliis quibusdam peccatis ità eos excæcari meruisse* (nota;) *quâ tamen excæcatione non potuerunt credere*. Ecce totum tribuitur peccato, quô *excæcari meruerunt*. Unde D. Thomas lib. 3. contra Gentes cap. 160. *Quamvis illi, qui in peccato sunt, vitare non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent, vel ponant, nisi auxilio gratiæ præveniantur, nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam; quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur*, & sic inconsideratio & peccata, quæ ex illa sequuntur, sunt unum cum peccato post justificationem commisso: sed, cum hi rarissimè in operibus suis laborent Dei & juris naturæ ignorantiâ invincibili (nam, uti definit Senonense decreto 15. *Nec momentum quidem præterit, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset, cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum & cœnabit cum illo* &c.) hôc sensu objectio vim non habet: & si qui illâ laborant, eôdem motivô eorum peccata excusari debent à ratione offensæ Dei, quô ignorantia invincibilis, à qua procedunt; hæcque tunc ipsorum immanissimis peccatis subesse fingitur, cum pro ea ratione, quam invincibiliter occultat, causet involuntarium. Vide dicta *Resol.* 2. Vel Facultas Theologica Lovaniensis propositionem illam intelligit sensu dandô *dub.* 4. *n.* 30. nec orthodoxè potest magis rigoroso, ut vidimus *n.* 67. sed sic contra nos vim non habet, ut patebit consideranti sens. allat. *n.* 30. citato.

94 Quarè ex præmissis patet: vix ulla, eaque fortè levia peccata, ob invincibilem inconsiderationem excusari à ratione offensæ Dei. Etenim omnia alia: vel sunt unum cum originali aut alio peccato habituali, uti præmissum est de infidelibus & fidelibus obduratis: vel sunt ex mera malitia: vel ex ignorantia & inconsideratione vincibili, ut sequitur ex suprà dictis *n.* 86. *&* 93. hæc autem à peccato non excusantur. Undè meritò Concilium Valentinum *sub Leone Quarto* cap. 2. *Non ideò malì pereunt, quia boni esse non potuerunt; sed quia boni esse noluerunt*. Restat tamen quæstio contra Censuras istas: an amentia in amentibus, furor in furiosis, inebriatio in ebriis &c. non excuset innumera, etiam immanissima hominum peccata, si ipsis justis amentia, furor, & inebriatio, sine ipsorum culpa, contigerit? Si negetur, sunt parum consideratæ, ut vidimus *n.* 67. Si affirmetur: undè obsecro, excusantur, nisi propter malitiæ præcisè inconsiderationem invincibilem, in causa involuntariam, quâ solâ remotâ, licèt in cæteris amentes, furiosi & ebrii, culparentur? Si verò ab illis ut peccatis formaliter, propter inconsiderationem istam malitiæ præcisè excusentur: quidni alii propter inconsiderationem invincibilem, in causa involuntariam, malitiæ ut contra legem Dei, offensæ Dei &c. ab illis ut peccatis formaliter contra legem Dei, offensis Dei &c. per nos simili jure excusentur; quandoquidem sint in inconsideratione ista similes absque omni culpa amentibus, furiosis

&

& ebriis, sub ista præcisè inconsideratione invincibili spectatis?

95 Sed quid ad hanc Censuram quartam Archiepiscopi Senonensis: *Hæ propositiones, quatenùs ex his consequens est, innoxium esse quidquid per recti praviq; ignorantiam fit, aut cupiditatis impetum; vel nihil umquam à quoquam contra legem Dei per ignorantiam peccari. Scripturis, Patribus, fidelium precibus, manifestè adversantur, & ad excusanda gravissima quæq; scelera promptam defensionem suppeditant.*

96 Respondeo: Censuram per *ignorantiam* intelligere *vincibilem* vel *invincibilem*? Si prius: vera est, sed nos non tangit. Si posterius: satis *n.*23. & 24. ostendimus à plurimis infidelibus & fidelibus obduratis peccari contra legem Dei peccatis indistinctis ab originali, vel actuali obdurationis, perseverante; imò & aliis materialiter sumptis pro ea ratione, quæ invincibiliter ignoratur. Si verò Archiepiscopus ille plus velit. Respondeo, Censuram ipsius esse falsam, & rejiciendam eô modô, quô Lovaniensem à *n.* 93. nisi ut *ibidem* in fine intelligatur, efficaciter rejecimus, prout alioqui, implicitè saltem, rejecta est per Censuras ac Tridentinum relata *n.*17. & 67. Hîc autem

97 Advertendum etiam P. Marcum Serram Dominicanum in 1.2. *q.*77. *art.*2. *Impressionis Romanæ* anno 1653. Ad hunc articulum Facultatis Parisiensis: *Stante scientiâ in universali & particulari voluntatem non posse velle oppositum, error.* Respondere: *Articulum Parisiensem (quamvis non magnæ authoritatis sit) intelligendum esse* &c. Sed hoc crudum nimis: quarè aliter. Respondeo: tales Episcoporum & facultatum Censuras non auferre à propositionibus censuratis propositionum intrinsecam probabilitatem, si quam habent; neque has aliter facere improbabiles, quàm Censorum probabilitate extrinseca, proportionaliter ad suæ doctrinæ & authoritatis gradum, ut per se manifestum videtur: sæpè enim fit, quod in Censuris istis à pluralitate suffragiorum procedatur, & Censores uno aut altero voto dumtaxat reluctantes superent. Quid si Censoribus plures, iique eminentioris doctrinæ Theologi, censuratam propositionem defendant? Quid si insuper propositio illa solidis rationibus, ac Scripturæ, Tridentini, Pontificum & Patrum authoritate, quibus non satisfaciunt, nitatur? Cupio ab istis Censoribus doceri, si nolint suas Censuras non impedire, ne propositiones illæ, ut ante, propugnentur, donec S.Congregationis aut Summi Pontificis authoritate propugnari prohibeantur; aut saltem donec eas, esse authoritate legitimâ prohibitas, prohibent. Præsertim cum ad allatum articulum & duos alios similes P. Baldellus in suo *Opere morali* approbato *annô* 1625. à Magistro S. Palatii *lib.* 2. *disp.* 40. *n.*8. respondeat. *Respondeo primò ex Godefrido* quodlib. 8. q. 5. & *apud Capreolum* in 2. dist.2. q.1. art.3. ad 1. *Articulos illos Parisienses indigere magna correctione; quia eorum aliqui sunt falsi, & aliqui sibi invicem contradicunt, & repugnant veræ doctrinæ, potissimum S. Thomæ.* Et ipse D. Sinnichius etiam Synodi Namurcensis celebratæ anno 1659. Articulum *famuli* &c. pro postrema parte falsum (sed non verè, ut aliàs ostendemus) dicat *Saulis Exregis lib.* 1. *num.*430.

COROLLARIUM.

98 Colliges ex toto hoc *dubio tertio* præmissis: Doctores, qui tenent, juris naturalis ignorantiam invincibilem à peccato formali non excusare, optimè cum Decretis Pontificum, Augustino & aliis Patribus, ratione ac ipsâ veritate conciliari, si loqui intelligantur de formali peccato indistincto à peccato originali habitualiter perseverante, in quo fuit actualiter & adhuc est habitualiter voluntarium: secùs si de novo formali ab eo, vel quocumque alio perseverante vel non perseverante, distincto; quia sub ista ignorantia invincibili voluntario novo formali, actuali aut habituali, à perseverante vel non perseverante distincto, non subjicitur. Vide *dub.*4. *num.*29. & 30. Undè minimè placet, quod habet P. Vincentius Baronius *disp.*2. *sect.*1. *art.*3. §.1. sub finem: *Atque hinc fortè conciliari possent SS. Patres cum hujus temporis Doctoribus, in hac gravissima difficultate, an ignorantia juris naturalis detur, & excuset à peccato, nec sit impedimento ad salutem. Ego sanè nolim committere sanctos Patres cum modernis Theologis; quia puto hanc dissentionem Ecclesiæ noxiam, pusillis scandalo, & impiis esse ludibrio.* Bella res, excusatio & censura. Moderni Theologi de mente SS. Patrum disputant, ut committantur cum modernis Theologis, materia exigit, necessitas urget, clamat Augustinus de dono persev. *cap.* 16. *Dicatur verum, maximè ubi aliqua quæstio, ut dicatur, impellit.* Ipse autem, *nolim committere SS. Patres cum modernis Theologis* &c. quos tamen contra Probalistas committit. Audi ipsius conciliationem: *Atque ut hæc mala pro virili curemus, distinguenda censeo hæc duo, an ignorantia invincibilis rei ex præcepto ad salutem tantum necessariæ ad peccatum imputetur eâ laborantibus, & utrum impedimento sit ad salutem, nisi tollatur, cum versatur circa media ad salutem comparandam instituta: Primum concedam Caramueli, & Stubrochio. Secundum Anonymo, & hoc ad minus evincunt loca SS. Patrum, quæ asserunt, ignorantiam invincibilem non excusare, id est, non esse loco innocentiæ, quasi illius beneficio salvus fias; & quamvis demus non apponere novum peccatum, nec ad culpam imputari, quod ex illa oritur; non tamen supplere vicem fidei, charitatis* &c. Primum, id est, imputari ad peccatum, concedit Caramueli, qui mordicus tuetur non imputari. Secundum, id est, in necessariis necessitate medii, si non tollatur, impedire salutem, de quo inter Doctores nulla movetur quæstio, concedit Anonymo sive Doctoribus istis: sic ut isti concedat, quod respuit, huic, quod nec quærit, nec tangit; ac per consequens sic, ut illi tribuat malum, quod habet, hujus verò non tangat malum, quod habet. Numquid ista malorum virilis curatio, & dissidentium insignis conciliatio? Ipse viderit.

D. CARAMUEL.

Apologematis *pro doctrina de probabilitate* Epist. 2.

1 N*Um*. 81. & 82. Resolutio secunda. *Ignorantia invincibilis est naturalis & necessaria, quam hîc & nunc homo superare non potest*. Nota illud *hîc & nunc*. Licet enim Petrus heri potuerit veritatem addiscere: & licèt fortè, illam heri non addiscendo, peccaverit, si nunc caret mediis, ut possit ad notitiam veritatis venire, nunc illam ignorat invincibiliter. Hæc ignorantia, vel invitis Lutherô, Calvinô, Jansenió, &c. etiam in Jure divino à culpa excusat. Oppositum à Jansenistis haurit D. Fagnanus, & tanquam firmum fundamentum substruit, ut suum Pseudolemma succollet. Vide n. 23. & 42.

2 *Num. autem* 23. *& seq*. Adducit 1. *D. Fagnanus in cap. ne innitaris n*. 336. Et sæpè alibi Parochos, qui in Mascarenham & Caramuelem scripserunt: qui probabilitatum usum detestabantur: nam sciebant, illô stante, actum esse de Jansenii doctrinâ. Eò horum devenit delirium, ut asseruerint, non debere sequi Confessarium opinionem pœnitentis. Porrò pœnitens, sicut non intelligit mente Confessarii, sed suâ; sic nec peccat voluntate Confessarii, sed suâ. *Pone primò*, puerum A. ignorare invincibiliter, mollitiem esse scelus mortale. Vadit ad Confessarium, is veritatem scit. Ergóne debet judicare, illum puerum peccavisse mortaliter? Debétne jubere, ut ille de peccato mollitiei se accuset? Minimè: nam puer peccatum mortale non commisit, stante hypothesi, & sacrilegam confessionem faceret, si se accusaret, lethalis criminis, quod non commisit. Quid ergò? Debet judicare, illum non peccavisse; at eundem indigere instructione. Monebit illum igitur veritatem, ut à vitio lascivo desistat. Huic doctrinæ certissimæ & indubitatæ non volunt illi Parochi acquiescere, & sic arguunt. Si ille puer in hypothesi excusaretur à peccato mortali, maximè ob ignorantiam invincibilem. At hæc in Jure naturali non excusat. Ergo: Minor, quæ hujus opinationis basis est, ut sincerè loquamur, est hæretica: interim tam crudè Jansenius *tom. 2. de statu natur. lapf. lib. 2. cap. 5. columm*. 310.

illam admittit, ut audeat dicere, *Ignorantia invincibilis Juris naturalis non excusat à peccato delinquentes*: tam temerè, *ut ibid. c. 2. in titulo*, verba hæc præcipiti calamo scripserit, *Ignorantia, etiam quæ necessitatis est, non voluntatis, hoc est, invincibilis, non caret peccato, ut dogma Fidei ab antiquis traditum.* Stat igitur Parochorum opinationem tolerari non posse.

3 *Num. 42. verò & seq.* Quid autem Lutherani, Calviniani, Jansenistæ, & alii? Potentiam, liberè perditam, virtualiter esse non perditam. Undè inferunt, neque liberi arbitrii carentiam, quâ eorum sententiâ præpedimur, nec ignorantiam invincibilem, quâ interdum obnubilamur, tollere, quin peccemus mortaliter, quoties Jus divinum violamus. Et, si argumentemur, ignorantiam esse invincibilem, humanam voluntatem in illorum schola libertate carere, &c. distinguunt: id in homine lapso concedunt, ante lapsum negant: Adamus enim liberè peccavit, & peccando perdidit liberum voluntatis arbitrium, & incidit in ignorantias invincibiles & insuperabiles: & quia suâ culpâ illud perdidit, & in has incidit, modò, quandò vel ab ignorantia invincibili pulsus, vel à concupiscentiâ necessitatus, legem violat, non potest à peccato excusari.

4 Ex suo fundamento Catholici hanc Assertionem deducunt: videlicet. *Defessus ex quocumque labore* (taliter videlicet, ut inferat morbum A. juxta superius dicta) *licitò vel illicitò v. g. cum fœminis commixtione, liberatur à lege jejunii:* & ratio est; quia, stante illô morbô, undecumque provenerit, ægrotus jejunare non potest.

Ex suo Jansenistæ hâc notâ hanc eandem Assertionem inurunt, *Est falsa, & castis auribus horribilis.* Cur falsa? quia illa impotentia, etsi nunc sit necessaria, fuit libera: nam si post perditum voluntatis arbitrium, illa, quæ necessariò facimus, imputantur; quia liberè libertatem perdidimus: à fortiori imputabitur Titio temeratio jejunii, etsi hîc & nunc jejunare non possit, quia liberè potentiam jejunandi (valetudinem convenientem) amisit: & liberè amissâ potentiâ, apud Deum, ut aiunt, ità se habet, ac si amissa non esset. *Pergo ulterius.* Et cur, quæso, illa Assertio castis auribus horribilis esse censetur? quia exemplum ponitur in materia lasciva; quamobrem omnia erunt castis auribus horribilia, quæ Theologi, Doctores, Ecclesiæ Patres, aut etiam sacræ Scripturæ dicunt de sexto præcepto Decalogi. Aio eum, qui ob adul-

terium

terium fuit in carcerem trusus, non peccare die Dominicâ, etsi non vadat ad Ecclesiam, ut Missam audiat; quia licèt liberè adulterium commiserit, nunc coactè & non liberè detinetur in carcere. Hæc sunt nimis clara: in quibus non est, cur diutius immoremur.

5 Dices: quid de illo dicendum, qui in fraudem jejunii ivit ad meretricem? Respondeo primò, de hoc non agere Assertionem à Jansenistis condemnatam, adeoque non esse, cur hîc de illo disputetur. Respondeo secundò, hunc passim à Theologis condemnari. Sed quomodò? Dicam. Qui ivit ad meretricem, ut redderet se impotentem ad jejunium, lasciviendo dupliciter peccavit, & contra Castitatis, & contra Abstinentiæ præceptum: at posteà, quandò est de facto impotens, violando jejunium non peccat. Hanc doctrinam adfirmo. Considera casum sequentem. (Est in navi Franciscus, & in Indiam Orientalem provehitur; heri, lectionis Canonicæ tædiô, projecit in mare Breviarium: hodiè dolet, luget, & confitetur. Erunt adhuc centum dies antequam aliud Breviarium nancisci queat. Annè singulis diebus novô peccatô peccabit?) Respondebunt ex suis principiis Jansenistæ, etsi hodiè confessus & sacramentaliter absolutus Franciscus, cras & diebus sequentibus omittendo Officium divinum peccaturum mortaliter; quia licèt illa omissio sit necessaria, hæc necessitas oritur à causa libera: nam & nos necessariò Decalogum violamus, & peccamus; quia liberè in Adamo libertatem perdidimus: & ille, qui est æger, & jejunare non potest, peccat non jejunando, quia accedendo ad scortum valetudinem perdidit. At nos præcedentem doctrinam esse in peccato (hæresi) conceptam dicimus, & ideò aliter casum resoluturi sumus. Asseremus Franciscum, projiciendo Breviarium in mare, peccavisse: at posteà omittendo divinum Officium diebus singulis non committere nova peccata: quia jam est illi impossibile legere, & ad impossibile nemo tenetur.

6 Dices: hinc tolli divisionem illam, quâ dicimus, alios actus esse liberos in se, alios in causa: nam si conceditur (& debet omninò concedi) libertas in causa, stat Jansenistarum doctrina asserens actus nostros, in nobis esse necessarios, in Adamo liberos, velut in causa. Respondeo actum liberum in causa esse illum, *qui ab aliqua causa necessariò procedit, quam tamen ego liberè hîc & nunc possum tollere.* Hanc ob rem

ignorantia invincibilis non est mihi actualiter libera in Adamo; quia peccatum Adami hîc & nunc non possum tollere, & actus meæ voluntatis, si essent necessarii, non possent dici liberi in causa (Adamo) propter eandem rationem: quam, quia illi penetrare non volunt, peccatum originale cum actuali confundunt. Ergò ut doctrinam Hæreticorum à doctrina Catholicorum distinguas, Assertiones has lege.

7 *Liberum in causa* (quod si contra legem sit, est peccatum) *vocatur illud, quod oritur necessariò à causa, quam hîc & nunc tollere possum.* Est Catholica.

8 *Liberum in causa vocatur illud, quod necessariò oritur à causa, quam licet hîc & nunc tollere non possim, olim potui.* Est Hæretica.

9 Ex illa prima nascitur Doctorum Catholicorum Resolutio, quæ Gandavensi Episcopo, utpotè Jansenistæ, displicet, & ex hac secunda Censura illa, quam Doctores illi Jansenistæ n. 23. eructant; & D. Fagnanus pag. 103. ut mores reformet, protrudit.

AUTHOR.

10 Contra primum ex *n.* 81. Frustra sudat & resolvit D. Caramuel, nisi distinguat, quod non facit, inter ignorantiam hîc & nunc invincibilem, excusantem à perseverante peccato formali, in quo fuit actualiter, & adhuc est habitualiter voluntaria, & ignorantiam hîc & nunc invincibilem, excusantem à peccato formali, condistincto ab eo, in quo fuit actualiter, & modò in eo, nec actualiter, nec habitualiter est voluntaria, ut patet ex præmissis *dub.* 3. à *n.* 48. ad Objectionem P. Schilders: & infrà; tum *contra secundum* & *tertium*; tum in ipsa Resolutione. Undè indistinctè nimis dicit, *hæc ignorantia vel invitis Lutherô, Calvinô, Jansenio &c. etiam in Jure divino à culpa excusat.* Nam, si agat de culpa indistincta à perseverante peccato originali, *vel ipsô invitô* est sententia D. Augustini, S. Thomæ Anselmi Cantuariensis, Bernardi, Hugonis Victorini & Gregorii Ariminensis, uti probatum est *dub.* 3. *resol.* 1. Si verò de distincta, idem sentit D. Fagnanus, ut vidimus in præmissis ad *dub.* 2. & nos resolvimus *dub.* 3. statim citatô cum SS. Patribus & communi omnium penè Theologorum: ac proindè D. Caramuel valdè injuriosè adjicit. *Oppositum à Jansenistis haurit D. Fagnanus,*

nus, & tanquam firmum fundamentum substruit, ut suum Pseudolemma succollet. Sed sicut gloriatur D. Caramuel *n.* 21. dicens: *Gloriosum esse dico, à viris laudatis laudari. Addo & gloriosum esse à viris damnatis* (quibus damnabiliter D. Fagnanum annumerat) *damnari.* Ità D. Fagnanus, gloriari potest, dicens: *Gloriosum esse dico, à viris laudatis laudari. Addo & gloriosum esse à D. Caramuele pro & cum Augustino, D. Thoma, Anselmo, Bernardo & aliis præcitatis, damnari.*

11 Contra secundum ex *n.* 23. *& seq.* Imprimis nulla est Caramuelis consequentia. *Pœnitens, sicut non intelligit mente Confessarii, sed suâ; sic nec peccat voluntate Confessarii.* Ergo *Confessarius debet sequi opinionem pœnitentis.* Quid si hæc sit vincibiliter erronea, debebítne hanc sequi Confessarius? Quid si ipse, commiserit mortale, vincibiliter erroneè putans esse veniale, nec velit confiteri ut mortale, an hanc pœnitentis opinionem sequi, & ipsum absolvere debebit Confessarius? Negabit indubiè D. Caramuel, & dicet, se supponere, quod Parochi isti non supponunt, pœnitentem esse invincibiliter errantem. Sed hinc tantùm abest D. Caramuelis delirium à Parochis, quantùm hoc suppositum ab eo, quod Caramuel dixit. Deinde, nihil evincet D. Caramuel, nisi efficaciter probet, D. Fagnanum post istos Parochos asseruisse, *non debere Confessarium sequi opinionem pœnitentis invincibiliter errantem in peccato, condistincto ab eo, in quo error ille, hîc & nunc invincibilis, ortus fuit,* quod non probabit in æternum; alioqui, *Confessarium non debere sequi opinionem pœnitentis invincibiliter errantem in peccato, indistincto ab eo perseverante, in quo error ille, hîc & nunc invincibilis, ortus est,* patet ab authoritate SS. Patrum & aliorum *contra primum* præcitatorum: & si deberet sequi, deberet hoc perseverans peccatum, uti ejus hunc errorem illô perseverante affectum habitualiter, probare, ut vidimus *à n.* 48. suprà citato: quod debere, nec Catholicum est, nec, iterum dico, in æternum probabit.

Unde ad Casum, quem objicit de puero

12 Respondeo: interrogandum. An ignorantia, quâ ignorat, mollitiem esse peccatum mortale, fuerit merè negativa: an positiva, juxta præmissa *dub.* 2. *resol.* 3. *n.* 44. Si merè negativa hîc & nunc invincibilis, cum aliundè præsupponat peccatum originale ei remissum (alioqui non esset capax Sacramenti pœnitentiæ, uti esse supponitur) Confessarius

rius judicare debet, illum nullô peccatô formali peccasse; sed solô peccatô, quod præcisè sit pœna peccati: nec oppositum reperiet apud D. Fagnanum in totum *cap. ne innitaris*. Sed fallitur Dominus Caramuel, dum putat, Confessarium in eo sequi pueri pœnitentis opinionem, quam habuit de mollitiei peccato, quod non esset mortale, antequam illud committeret, cum talem opinionem non habuerit; sed de eo ignorantiam invincibilem, jam remissô originali, in quo solo fuit ei moraliter voluntaria, ut *dub.* 3. vidimus à *n* 49. Et si de eo *opinionem* habuisset, de eo formidinem habuisset, vi cujus fuisset obligatus ad inquirendum, an non esset peccatum mortale; aut Deus ab eo rogandus, si plus non posset, ut circa illud ipsum illuminaret: hujusque vel illius omissio, utpotè in re gravi, fuisset ipsi formale peccatum personale mortale, & in hoc perseverante ipsius peccatum mollitiei voluntarium, hujusque malitiâ informatum. Si verò positiva: est vincibilis & pravæ dispositionis, utpotè supponens advertentiam sufficientem ad istius malitiæ periculum vitandum; hocque proinde amare censetur, nisi per inquisitionem, orationem &c. illud removeat, quantum moraliter potest: nam alioqui in ipsum vim habet illud, *qui amat periculum peribit in illo*. Eccli. 3. Hanc doctrinam certam & indubitatam asserimus, licèt D. Caramuel, parum consideratè, eam delirium vocet, aiens, *Eò horum devenit delirium, ut asseruerint, non debere sequi Confessarium, opinionem pœnitentis.*

13 Sed quid ad hoc argumentum, quod D. Caramuel tribuit Parochis. *Si ille puer, in hypothesi, excusaretur à peccato mortali, maximè ob ignorantiam invincibilem: at hæc in jure naturali non excusat. Ergò*

14 Respondeo: quantum colligere possum ex variis adhærentium scriptis, minorem nimis crudè à Caramuele proponi, & ad ipsorum mentem videri hôc modô formandam: *at ignorantia invincibilis pravæ dispositionis, sive orta ex voluntaria negligentia inquirendi, orandi* &c. *non excusat à peccato, ab ista negligentia*, undè oritur, habitualiter *perseverante indistincto*. Ità non obscurè colligitur ex D. Sinnichio *Saulis Exregis cap.* 96. Minori autem ut sic formatæ D. Caramuel, ut sincerè loquar, *hæreticam* addit *Censuram*, nempè, *minor, quæ hujus opinionis basis est, ut sincerè loquamur, est hæretica.*

Istis aliter respondet Vincentius Baronius *disp.* 2. *sect.* 1. §. 1. *Epist. Caram.*

Caram. nempè: *Sed non facilè assentior hujusmodi consecutionibus. Quidquid de Curatorum responsione negantium ex Augustino ignorantiam invincibilem excusare eum, qui actum reverà malum, atque hoc nomine lege prohibitum, quod malus sit, admisit, licèt malum esse ignoraret. Ego sanè non facilè admittam, puerum laborare ignorantiâ invincibili, idq; argumento mihi est evidenti non esse insontem, & ad minus tamquàm dubii peccati confessionem esse necessariam, quod illum pudeat adeò turpis facti, & dum illud cogitat, & molitur, virorum gravium conspectum fugiat.* Curatos illos statim excusavimus, & si plus velint, rejecti sunt ex Tridentino, Augustino & aliis Patribus *dub.* 3. *à n.* 10. *ad* 40. Vincentius autem Casum possibilem & debitam solutionem eludit, nec suo argumento salvat rationem peccati. Vide *dub.* 2. *resol.* 3. & 40. ex quibus constabit, quod à D. Thoma recedat.

15 Contra tertium ex *n.* 42. Quid Lutherani, Calvinistæ & Jansenistæ contra Orthodoxam fidem delirent, hîc non quæro, nec tueri intendo. Sed dico, D. Fagnanum, & Orthodoxos ei adhærentes Theologos, Caramuele argumentante, *ignorantiam esse invincibilem, humanam voluntatem in illorum schola libertate carere* &c. non distincturos, uti Dominus Caramuel, *id*, inquam, *in homine lapso, concedentes: ante lapsum negantes.* Quasi dicerent: *Adamus enim liberè peccavit, & peccando perdidit liberum voluntatis arbitrium, & incidit in ignorantias invincibiles, & insuperabiles; & quia, suâ culpâ, illud perdidit, & in has incidit, modò, quandò vel ab ignorantia invincibili pulsus, vel à concupiscentia necessitatus, legem violat, non potest à peccato excusari.* sed responsuros: Neque juris naturæ ignorantiam positivam pravæ dispositionis esse in negligentiæ peccato non voluntariam & invincibilem; sed in eo perseverante culpabiliter vincibilem; licèt, illô remissô, esse possit in se invincibilis inculpabiliter, culpâ novâ ab isto peccato condistinctâ, juxta *dub.* 3. præmissa à *n.* 14. ad 40. Neque etiam humanam voluntatem in sua schola libertate carere &c. dum peccat contra jus naturæ ex juris naturæ ignorantiâ positivâ & pravæ dispositionis, perseverante peccatô, in quo hæc est voluntaria; licèt careat hîc & nunc libertate ad peccandum novô peccatô, ab illo, à quo orta est, condistinctô, quô non peccat, defectu voluntarii. Quod responsum est omninò Orthodoxum, & ipsius Caramuelis esse debet, dum ipse cum Orthodoxis se lo-

qui jactat; aut certè assignare, in quo hæc doctrina sit damnata, quod ipsum assignaturum confidentissimè diffido.

16 Ut autem ad casus. Primò: *de defesso ex quocumque labore* &c. Secundò: *de incarcerato ob adulterium.* Tertiò: *de eunte ad meretricem in fraudem jejunii.* Quartò: *de projiciente Breviarium in mare.* Verior appareat solutio.

17 Præmitto primò: D. Caramuelem crudè nimis, hanc Assertionem, *liberum in causa (quod si contra legem sit, est peccatum) vocatur illud, quod oritur necessariò à causa, quam hîc & nunc tollere possum:* vocare *Catholicam.* cum sit indefinita, quæ stat pro universali: & fallat, qui ait, quod *omne liberum in causa (quod, si contra legem, sit peccatum) sit, quod oritur necessariò à causa, quam hic & nunc tollere possum.*

18 Primò: si agat de perseverante peccato causa peccati, quod ab illo tanquam causa necessariò oriri dicitur; quia hoc peccatum est liberum in causa, quod oritur necessariò à causa, quam peccator hîc & nunc tollere non potest ut vidimus *dub. 2. n.* 40. *ad* 63. Sicut enim parvulorum, in originali perseverantium, peccata contra legem naturæ sunt indistincta ab isto originali perseverante, ut patet ex Augustino *ibidem n.* 60. licèt necessariò ab originali perseverante oriantur, quod hîc & nunc tollere non possunt, aut defectu actualis personalis libertatis ad perfectam contritionem necessariæ, aut defectu Ministri hîc & nunc præsentis ad baptizandum necessarii. Ità adultorum, in actuali perseverantium, peccata contra legem naturæ, aut positivam, in eo prævisa, sunt indistincta ab isto perseverante actuali, ut patet ex dictis *n.* 10. *Contra primum,* licèt necessariò ab actuali perseverante oriantur; quod hîc & nunc tollere non possunt, aut defectu actualis personalis libertatis, ut v.g si illud perseverans peccatum sit voluntariæ ebrietatis aut phrænesis, aut defectu actualis gratiæ, à Deo in pœnam peccati ad tempus substractæ. Nullus etenim negare potest, tam hæc peccata horum adultorum informari malitiâ perseverantis peccati, in quo primum fuerunt actu suo physico personaliter, & manent habitualiter, voluntaria; quàm ista peccata istorum parvulorum malitiâ perseverantis originalis, in quo primum fuerunt actu suô morali originaliter, & manent habitualiter, voluntaria. Si verò agat de novo peccato, ab illo, unde oriuntur, condistincto, dixi, hujus explicationis defectu notabili, D. Caramue-

ramuelem suam Assertionem crudè nimis vocasse *Catholicam*, cum sub illo defectu videatur esse contra SS.Patres præcitatos, *n.*10.

19 Secundò: si velit liberum in causa oriri necessariò à causa, in qua est liberum, velle debet, illam causam, respectu liberi in causa, esse liberam, utpotè à qua dicitur liberum in causa; & necessariam, utpotè à qua oritur necessariò: ac sic velle debet in terminis repugnantia, & Assertionem in terminis repugnantia involventem vocat *Catholicam*, quod *Catholicum* non est. Si verò velit liberum in causa oriri necessariò à causa, in qua non est liberum, jam non definit *liberum in causa*, contra suæ Assertionis tenorem: ac sic Assertio illa falsa est, & Assertionem falsam, vocat *Catholicam*, an *Catholicè* ipse viderit.

20 Tertiò: si agat de libero formaliter, seu peccato hîc & nunc formaliter libero in causa; debet supponere formale peccatum, quod est causa, & formale peccatum, quod est effectus in causa ista liber formaliter, ità coëxistere, ut illud existat, saltem habitualiter, dum hoc existit actualiter; & insuper, quod illud hîc & nunc à me tolli possit. Hæc autem ultima pars tam evidenter falsa est, quàm quod evidens sit dari in parvulis originale habituale, inculpabiliter amentibus, ebriis, furiosis &c. actuale habituale, absque eo, quod ab illis hîc & nunc tolli possit. Unde ad hîc & nunc liberum in causa sufficit, quod aliquandò fuerit actualiter liberum in causa, quæ adhuc habitualiter perseveret, licèt hîc & nunc per accidens tolli non possit. Ac proindè iterum *falsitatem* pro *veritate Catholica* obtrudit. Si verò agat de libero materialiter, ipsius Assertio nihil ad rem facit.

21 Igitur hæc, non illa, est Assertio Catholica, *liberum* formaliter *in causa* (*quod si contra legem sit, est peccatum* formaliter) *est*, *quod prævisum in causa libera* actualiter existente, vel *habitualiter perseverante*, *non retractata* &c. *sine alia actuali libertate ponitur*: nam si causa ut sic non perseveret, non est formaliter liberum in causa; sed est id, quod fuit formaliter liberum in causa, & modò non est, licèt modò materialiter dumtaxat sit liberum in causa: ac proindè, ut evidenter ex dictis *numero* 20. sequitur ad liberum in causa superfluum est, quod causa hîc & nunc tolli possit.

22 Præmitto secundò: D.Caramuelem crudè nimis consequenter hanc Assertionem, *liberum in causa vocatur illud, quod necessariò oritur à*

 causa,

causa, quam licèt hic & nunc tollere non possim, olim potui: vocare *Hæreticam.* cum etiam sit indefinita, quæ stat pro universali, & verum ac *verè Catholicum* sit, *aliquod liberum in causa vocari illud, quod necessariò oritur à causa, quam, licèt hic & nunc tollere non possim, olim potui.* Nam (omissis cruditatibus variis contra primam Assertionem ingestis, & hîc in secunda Assertione nullatenus à D. Caramuele digestis) liberum formaliter in peccato originali, habitualiter perseverante causa in parvulis peccatorum contra legem naturæ & positivam divinam; aut in peccato actuali, habitualiter perseverante causa in adultis, ebriis v. g. & phræneticis (de quibus contra Assertionem primam) peccatorum contra legem naturæ & positivam divinam; ab omnibus Catholicis vocari debet illud, *quod necessariò* (attentô actuali statu ipsorum) *oritur ab isto peccato habitualiter perseverante causa, quam licèt hîc & nunc tollere non possint, olim potuerunt.* Nam hæc peccata non dicuntur actualia nova, eaque esse talia absolutè negamus, nec fortè deerit, qui asserat sibi videri hæreticum, ob præmissa *dub. 3. resol.* 1. 3. & 4. sed peccata ab isto peccato habitualiter perseverante indistincta, prout volumus, & nihil plus. Neque reverà hæc Assertio, hôc sensu intellecta, magis criminari potest hæreseos, quàm doctrina SS. Augustini, Thomæ, Bernardi, Anselmi & aliorum contra Assertionem primam citatorum. Unde, ut à graviori censura abstineam, D. Caramuel in Assertionibus istis non satis pensi habet. Quarè istis præmissis

23 Respondeo ad *primum casum.* Defessum ex quocumque labore (taliter videlicet; ut inferat fatigationem gravem, aut debilitatem gravem, quæ dicatur morbus A.) licitò vel illicitò, v. g. cum fœminis commixtione, sic solum liberari à lege jejunii, ut, non jejunando, non committat novum actuale peccatum, condistinctum à peccato causa morbi & transgressionis jejunii, in quo hic morbus & transgressio jejunii fuêre voluntaria; secus ab hoc perseverante habitualiter indistinctum, sic ut non aliâ, quam istius habitualis perseverantis malitiâ informetur; quia ut sit peccatum ab hoc habitualiter indistinctum, sunt omnia essentialiter requisita, prout erant, ut committeret indistinctum actualiter, quandò primùm actu ponebatur: non verò ut sit novum actuale peccatum ab isto condistinctum; quia ad hoc deest potentia ad oppositum, ac proindè libertas actualis. An autem Jansenistæ vel Anti-Jansenistæ D. Caramuc-

ramuelis Assertionem, hôc posteriori sensu, hâc censurâ, *est falsa & castis auribus horribilis* notent: an illô priori? Non curamus, prout nec Jansenistas vel Anti-Jansenistas defendere intendimus: sed dicimus Assertionem illam, juxta priorem sensum, *esse falsam, & in materia ista auribus castis horribilem*, nec aliter hanc censuram defendimus.

24 Respondeo similiter ad *secundum casum*. Illum, qui ob adulterium fuit in carcerem trusus, si hoc ex suo adulterio ità prævideri, ut in adulterio formaliter voluntarium in causa fuerit (quod D. Caramuel omittens, etiam hunc casum *crudè nimis* proponit) peccare die Dominicâ, peccatô à peccato adulterii, perseverante habitualiter, indistinctô; non verò novô actuali peccatô, ab illo condistinctô, ob rationes statim allatas. *Hæc sunt nimis clara*, ut D. Caramuel (sed malè, utpotè in re alioqui obscurissima) ait: *quibus non est, cur diutius immoremur*. Unde D. Caramuel novâ cruditate evidenter tumet, ad hunc casum; *Quid de illo dicendum, qui in fraudem jejunii ivit ad meretricem.* Respondens: *hunc passim à Theologis condemnari. Sed quomodò? Dicam, qui ivit ad meretricem, ut redderet se impotentem ad jejunium, lasciviendo dupliciter peccavit, & contra castitatis, & contra abstinentiæ præceptum.* Hæc benè, & in hac solutione sistit P. Vincentius Baronius *disp.* 2. *sect.* 3. *Exam.* 1. *Epist.* §. 1. sed manca est solutio, ut sequentia, & casum consideranti patebit. Tumet, inquam, hæc nimis crudè addens: *At posteà, quandò est de facto impotens, violando jejunium non peccat.* Nam addere debuisset, *peccatô novô actuali, condistinctô ab isto habitualiter perseverante, quô dupliciter actu peccavit, & adhuc habitualiter peccat dupliciter.* alioqui ipsum jam actuali abstinentiæ omissione, prius actualiter & modò habitualiter, in meretricii perseverante peccato voluntariâ, habitualiter non peccare peccatô, ab hoc habituali indistinctô, est evidenter falsum, ut præmissa consideranti patebit.

25 Respondeo consequenter ad *tertium casum*, de Francisco projiciente Breviarium in mare (quidquid respondeant Jansenistæ vel Anti-Jansenistæ nil ad nos, ut suprà monui:) prout respondet D. Caramuel, suis jam melius digestis cruditatibus: *Franciscum, projiciendo Breviarium in mare, peccavisse: at posteà, omittendo divinum Officium, diebus singulis, non committere nova peccata.*

26 Sed adhuc aliquid indigestæ cruditatis retinet in ratione, quam

ſubdit; *quia eſt illi impoſſibile legere, & ad impoſſibile nemo tenetur.* Debuiſſet enim addere, *ſub peccato novo & condiſtincto ab eo habitualiter perſeverante, in quo illud impoſſibile fuit voluntarium actualiter, & adhuc eſt habitualiter*; alioqui ipſius ratio abſolutè eſt falſa; cum abſolutè falſum ſit, *neminem teneri ad impoſſibile, quod fuit voluntarium actualiter, & adhuc eſt habitualiter tale, in peccato habitualiter perſeverante, ſub peccato ab hoc indiſtincto.* Unde D.Caramuel hîc, abſtrahendo à rationis ſuæ indigeſta cruditate, Aſſertionem noſtram amplectitur, quam defectu bonæ digeſtionis ſupra crude nimis cenſuravit *hæreticam*; ac per conſequens ſibi & D.Fagnano injuriosè concludit, *ex hac ſecunda cenſura hæretica naſcitur illa reſolutio, quam Doctores illi Janſeniſtæ n. 23. eructant, & Dominus Fagnanus pag. 103. ut mores reformet, protrudit.* Quid autem Janſeniſtæ, ut dixi, non tango. Quod D.Fagnanus nullam ibi habeat Aſſertionem *hæreticam, quam, ut mores reformet, protrudit*, tanquam certum ſuſtineo: unde meritò Vincentius Baronius diſp. 2.ſect. 1.Exam. 1. Epiſt.Caram. §.1. *Diceres Caramuelem icterio laborantibus ſimilem, ſicut hôc morbô ægris, ubiq; ſufflavus color, quô offuſos habent oculos, obverſatur; ita Caramuel à 20. annis, ex quo Claſſicum cecinit in Janſenium, ubiq; Janſeniſmum videt.* His itaque præmiſſis ſit

DUBIUM QUARTUM.

An liberum in cauſa, quod ſi contra legem ſit, eſt peccatum formale, rectè vocetur illud, quod oritur neceſſariò à cauſa, quam hic & nunc tollere poſſum?

Ante Resolutionem

27 Suppono primò: *dub.* 3. *reſol.* 1. pro 1.*part.* ſufficienter probatum, ignorantiam hîc & nunc actualiter invincibilem & neceſſariam excuſare à formali peccato actuali novo, & condiſtincto à formali peccato, in quo fuit voluntaria; ſecus verò à formali peccato habitualiter perſeverante, in quo tanquam cauſa fuit actualiter, & adhuc eſt habitualiter voluntaria.

28 Suppono ſecundò ex dictis *dub.* 3. *reſol.* 1. pro 2.*part.* Hanc doctrinam præcisè (nota *præcisè*; quia mentem ſuorum Authorum non eſt meum hîc indagare, nec vacat.) *Ignorantia, etiam quæ neceſſitatis eſt, non voluntatis, hoc eſt invincibilis, non caret* pec-

peccato, est dogma fidei ab Antiquis traditum, & contrarium solemne dogma Pelagianorum. inter varios posse hunc verum sensum habere, *Ignorantia, etiam quæ hîc & nunc actualis necessitatis est, & non voluntatis hîc & nunc actualis, hoc est hîc & nunc actu invincibilis, non caret peccato formali, indistincto ab eo habitualiter perseverante, in quo actualiter fuit, & adhuc est habitualiter voluntarium, est dogma fidei ab Antiquis traditum, & contrarium quoad peccata parvulorum solemne dogma Pelagianorum.*

29 Deinde hanc præcisè. *Planum igitur est, juxta mentem, tam Palæstinæ Synodi, quàm Augustini, eandem hâc ex parte approbantis, oblivionem & ignorantiam subjacere peccato, non solum, quandò eveniunt secundum voluntatem, sed etiam quandò secundum necessitatem.* inter varios posse etiam hunc verum sensum habere. *Planum igitur est, juxta mentem, tam Palæstinæ Synodi, quàm Augustini, eandem hâc ex parte approbantis, oblivionem & ignorantiam subjacere peccato formali, indistincto ab originali* (de quo ibi) *habitualiter perseverante, in quo actualiter fuerunt, & adhuc sunt habitualiter voluntariæ; non solum, quandò eveniunt secundum voluntatem hîc & nunc actualem; sed etiam quandò secundum necessitatem, hîc & nunc quidem actualem, sed quæ fuit actualiter, & adhuc est habitualiter in peccato isto originali, habitualiter perseverante, voluntaria.*

30 Denique hanc præcisè. *Ut ratio quæpiam sit peccaminosa, oportet, ut procedat ab homine, qui noscit, & percipit, quid boni malive in ea sit, & antequam id videat, aut animum reflectat, actio neque bona est, neque mala. Est contra communia Christianæ Theologiæ principia, & innumera, etiam immanissima, hominum peccata excusat cum pernicie animarum.* posse denique inter alios sensus hunc verum habere: *Ut actio quæpiam sit peccaminosa formaliter, peccatô formali, indistincto ab habitualiter perseverante, in quo actualiter fuit, & adhuc est habitualiter voluntaria, oportet ut actu procedat ab homine, qui actu noscit, & actu percipit quid boni malive, in ea sit, & antequam id hîc & nunc actu videat, aut animum hîc & nunc actu reflectat, actio neque bona est, neque mala formali malitiâ, indistincta à malitia formali peccati habitualiter perseverantis, in quo actualiter fuit, & adhuc est habitualiter voluntaria. Est contra communia Christianæ Theologiæ principia, & innumera, etiam immanissima, hominum peccata in infidelibus adultis, quibus originale nondum remissum est, & aliis suâ culpâ obduratis, quibus Deus ad tempus in pœnam sui peccati gratiam illuminationis & conversionis negaverit, excusat cum pernicie animarum.* An autem ista damnatio, saltem à quantitate Censuræ, & suorum Authorum mente præscindendo, non sit allatô sensu vera, examinabunt Orthodoxi Theologi, Sedes Apostolica judicabit, nihil evincet contra D. Fagnan. & nos D. Caramuel, priusquam esse falsam demonstrarit. Si dixerit se allatum sensum admittere, doctrinam verò, quod indistinctè, & crudè nimis sit à suis authoribus proposita, rejicere; non minus crudam proposuit, uti in præmissis ad *dubium hoc* vidimus, priusquè in seipso corrigere debuisset, quod in aliis reprehendit. Vide Censuram D. Sinnichii in præmissis ad *dub.* 8. *num.* 56. quæ etiam hîc locum habet: & nota D. Caramuelem, aliosque nonnullos tumultuariè nimis & calumniosè eminentioris notæ Theologos, propter illas tres propositiones aut similes, quasi hæreticæ essent, aut ab

ab Ecclesia damnatæ, suis Censuris notare, cum verum sensum â nobis allatum intendere possint, nec fortè alium intendant. Intereà sit

RESOLUTIO.

31 Dico liberum in causa, quod si contra legem sit, est peccatum formale, non rectè vocatur illud, quod oritur necessariò à causa, quam hic & nunc tollere possum.

32 Probatur primò ex præmissis contra Caramuelem n. 17. *Præmitto primò* usque ad *n.23.*

33 Probatur secundò. Augustinus libro 1. Retractationum cap. 15. aiens: *Qui verò cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideò facit contra præcepta justitiæ, in hoc ità peccatum est, ut sit etiam pœna peccati* Resolutionem efficaciter probat, intellectus de infante, cui nondum est remissum originale peccatum, uti intelligi potest ex illo ejusdem Augustini lib. 1. de peccatorum meritis cap. 35. *Illam prorsùs recentium natorum profundissimam ignorantiam videamus* &c. *Illas, inquam*, subdit cap. 36. *consideremus tenebras mentis utique rationalis, in quibus & Deum prorsùs ignorant, cujus Sacramentis, etiam cum baptizantur, obsistunt &c. An nullum est ignorantiæ malum, & ideò nec purgandum? Et quid illa vox*, delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris? *Etsi enim damnabiliora peccata sunt, quæ à scientibus committuntur; tamen si ignorantiæ peccata nulla essent, hoc non legeremus, quod commemoravi*, delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris. *In illas ignorantiæ densissimas tenebras, ubi anima infantis recentis ab utero* &c. *non solum indocta, verumetiam indocilis jacet* &c. Infrà autem, de eodem infante loquens, ait, *Iste autem nesciens ubi sit, à quo creatus, à quibus genitus sit, jam reus delicti* (ubi supponit originale ei nondum remissum) *necdum capax præcepti, tam profunda ignorantiæ caligine involutus & pressus, ut neque tanquam de somno excitari posset* (ecce asserit ipsum hic & nunc non posse causam tollere) *ut hæc saltem demonstrata cognoscat: sed expectetur tempus, quô hanc nescio quam veluti ebrietatem, non per unam noctem, sicut quælibet gravissima solet, sed per aliquot menses atque annos paulatim digerat: quod donec fiat* (nota non obstare dictam impotentiam, ne in eo sint peccata, quibus suprà dixit *etsi enim damnabiliora* &c.) *tam multa, quæ in majoribus puniuntur, toleramus in parvulis, ut numerari omninò non possint.* Et confirmat lib. de libero arbitr. cap. 3. *Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur, noluit intelligere, ut benè ageret: sed & illa ignorantia, quæ non est eorum* (puta adultorum) *qui scire nolunt, sed eorum* (puta infantium) *qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiternô igne ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omninò, quod crederet* (nam equidem est in peccato originali, in quo, tanquam causa, ignorantia illa est illi voluntaria) *sed fortassis, ut mitius ardeat.* Et lib. 1. de adulterin. conjug. cap. 9. *Jacobus Apostolus ait, scienti bonum facere, & non facienti peccatum* (puta formale) *est illi. Numquid ideò non peccatum* (utique etiam formale) *est illi, qui nescit bonum facere, & ideò non facit? utique peccatum* (nempe formale) *est; sed hoc gravius, si etiam sciat, & non faciat: nec illud ideò nullum, quia minus.*

34 Subsumo: atqui Augustinus in istis locis

locis supponit dari infantium peccatum formale, liberum in peccato originali habitualiter perseverante causa, quod, attento ipsorum infantili statu, necessariò hic & nunc actu oritur à peccato originali habitualiter perseverante causa, quam hic & nunc tollere non possunt, uti legenti patebit: ergo &c. Probatur minor pro prima parte: quia illud debet esse liberum; in se autem non potest esse tale: ergo debet esse tale in originali habitualiter perseverante causa, quam hic & nunc tollere non possunt.

35 Probatur secundò: quia aliter explicari non possunt authoritates Anselmi Cantuariensis, Bernardi, D.Thomæ & aliorum *dub.* 3. *n.*40. citatæ, ut eas & probationes *ibid.n.*41. & 42. allatas consideranti manifestum erit: ergo &c.

36 Objectiones autem sunt præoccupatæ, tum *ibidem à n.* 48. *ad n.*63. tum in præmissis ad hoc *dubium*, contra Caramuelem & Præsuppositis ad dubii Resolutionem.

D. CARAMUEL.

Apologematis *pro doctrina de probabilitate* Epist.2.

1 NUm.82. Resolutio III. *In omni opinione probabili datur ignorantia invicibilis.* Patet: nam, si veritatem evidenter cognosco, non habeo opinionem probabilem: &, si veritatem voluntariè & vincibiliter ignoro, virtualiter scio (hoc est ità me habeo, ac si illam scirem) adeoque nec habeo opinionem probabilem.

2 *Num.*290. *Sic inquam.* Probabilitas à peccato excusat. Et cur? Quia, si illa non excusaret, nec excusaret à peccato ignorantia invincibilis, quæ in omni probabili opinione invenitur; & est formalis ratio, ob quam opinio probabilis excusare dicatur. Huc enim Theologi universi recurrunt, ut laudabilem opinionum probabilium usum, contra nostri ævi Novatores defendant: qui enim, aut veritatem certò sciret, aut illam vincibiliter ignoraret, uti benignitate probabilium sententiarum non posset. Et cur ignorantia invincibilis excusat? Quia, si non excusaret, homini Deus præciperet impossibilia: nam præciperet, ut sciat, quæ scire non potest.

AUTHOR.

3 Contra primum ex *n.* 82. Ista Resolutio III. reverà non patet; sed admodùm obscura est. Neque ratio, quam D. Caramuel subdit; potius probat, *in omni opinione probabili dari ignorantiam invincibilem*, quam *voluntariam & vincibilem*: nam si habeam opinionem probabilem, nec veritatem evidenter cognosco, nec ignoro invincibiliter. Prius patet; quia ratione formidinis de opposita veritate, inclusæ in ipsa opinione probabili, nondum sum certus, saltem moraliter, de veritate unius partis, potius quàm alterius. Posterioris ratio est; quia nondum certus, inquirere debeo, donec sim certus, saltem moraliter, quod, unam partem præ alia amplectendo, errem invincibiliter, si errem: sub opinione igitur probabili præcisè, tamdiu veritatem voluntariè & vincibiliter ignoro, quamdiu diligentiam necessariam non adhibuero, ut perveniam ad illam certitudinem moralem; quâ tamen positâ, cessat opinio esse probabilis præcisè, & certitudinem veritatis unius partis moralem induit, ut infrà videbitur. Ac proindè tantum abest, ut in omni opinione probabili detur ignorantia invincibilis, uti resolvit D. Caramuel, quin potius in nulla præcisè probabili detur; sed sola vincibilis, sub qua veritatem nondum scio, sive nondum ità me habeo, ac si illam scirem; sed inquirere debeo de illa, saltem in materia periculosa, donec ad dictam certitudinem perveniam; & ità quidem, ut, si usque ad illam inquirere negligam, dicar operari ex ignorantia culpabili & pravæ dispositionis, prout infrà probabimus.

4 Contra secundum ex *num.* 290. D. Caramuel falsum supponit, dicens: *Probabilitas* (puta in materia morali & periculosa) *à peccato excusat.* Oppositum enim dubiis sequentibus probabitur. Item falsum supponit pro ratione subdens; *quia si illa non excusaret, nec excusaret à peccato ignorantia invincibilis, quæ in omni opinione probabili invenitur.* Nam statim ostendimus, in nulla opinione probabili præcisè ignorantiam invincibilem inveniri. Addit quidem, & benè, *ignorantiam invincibilem esse formalem rationem, ob quam opinio probabilis excusare dicatur:* (sed, nisi probet sub opinione probabili præcisè, haberi ignorantiam invincibilem, ipsi non favet: uti nec, quod subdit, *qui enim, aut verita-*

veritatem certò sciret, aut illam vincibiliter ignoraret, uti benignitate probabilium sententiarum non posset; quia dicimus, reverà neminem posse benignitate sententiarum probabilium præcisè uti, nisi accedat judicium invincibile, & ideò certum moraliter, quod, sequendo, invincibiliter erretur, si erretur, uti infrà probabitur; alioqui certum putamus, ipsum sequi solam ignorantiam vincibilem, & in materia morali ac periculosa culpabilem: judicium autem illud non includi in opinione probabili, tam certum est. *Primò*: quàm non includi in ignorantia vincibili. *Secundò*: in dubio præcisè. *Tertiò*: in indeterminato quoad certitudinem moralem unius partis præ alia. *Quartò*: in periculoso, & non excusante à formali peccato, de quibus plura *dubio* 7. Ista & sequentem resolutionem maturè perpendat D. Caramuel, & indubiè statim aquilinis suis oculis videbit, nisi videns non videat, quàm leviter *num.* 106. scripserit: *Sanè in omni opinione probabili datur ignorantia invincibilis, & hæc unica linea toti libro D. Merendæ, toti libro D. Fagnani respondet.* Verè equidem respondet, sed D. Caramueli se *in hac unica linea*, plusquam arenosa sui, contra totum D. Fagnani, Prælati in Curia Romana & universali Ecclesia celeberrimi librum, verè omni scientiâ morali & invidiâ nocibili supremum, Apologematis infamissimi insipienter jecisse fundamenta.

5 P. Vincentius Baronius præmissam D. Caramuelis doctrinam impugnat *disp.* 2. *sect.* 1. *Exam.* 2. *Epist. Caram. art.* 2. § . 2. hôc modô, *adstruit tertium consectarium, omni opinioni probabili subesse ignorantiam invincibilem; quâ assertione evertuntur omnia religionis & probitatis fundamenta, ut suprà insinuatum est, & res adeò aperta est, ut vix egeat probatione: nam ignorantiam invincibilem* secundô Theoremate *definit, eam esse*, quæ sit naturalis & necessaria, & quam pro loco & tempore nequeat superare, licèt aliô potuisset curari, *ex hoc igitur* secundo & tertio Theoremate *deducitur liber cujuslibet religionis, sectæ aut religioni deest sua, sicut & cuilibet stulto verisimilis ratio, quæ probabilitatem apud ipsos inducat, ac proindè ignorantiam invincibilem, quæ nequeat tolli, nisi per evidentiam; hæc enim una potest probabilitatem abigere, frustrà verò in hoc caliginoso loco evidentiam rerum consequi speres, aut tentes.*

6 Sed contra: impugnatio ista adeò apertè à mente Caramuelis aberrat, ut vix egeat refutatione; quia ad tollendum ignorantiam in-

vincibilem, quam D. Caramuel in opinione probabili includit, non requirit evidentiam, sive demonstrationem peripateticam: nam *num.*311. dicit illam *esse impossibilem*; sed illam, quæ *in legitima forma habet certas, & indubitatas præmissas*, quales indubiè non habent, cujuslibet religionis, sectæ & opinionis errores: opinionem verò probabilem abstractim sumptam definit illam, *quæ pro se habet rationes fortes, nullam autem demonstrativam*. Vide ipsum infrà *dub.*7. *n.*35. Et *Apologematis* num. 104. ubi sic, *si objectum esset dissonum sacræ Paginæ, nec verum, nec bonum, nec honestum esset.* ac proindè nec *probabile*; quia haberet contra se *rationem demonstrativam*. Unde statim respondebit: aliæ religiones, sectæ &c. habent contra se rationem demonstrativam ex præmissis, certis & indubitatis à S. Scriptura, Conciliis, Patribus & motivis irrefragabilibus: atqui contra certitudinem, sive rationem demonstrativam, non datur probabilitas; ergo &c.

7 Addit quidem *infrà ibid.* P. Vincentius Baronius: *Sed reponet Lutheranus aliquis, tantum abesse, ut hæc responsio vim* (id est, *certam & indubitatam* à Scriptura) *demonstrationis habeat ad fidem stabiliendam, quin potius aperta sit petitio principii, aut eversio tuorum principiorum. Sic enim urgeo.* Argumentô, quod vocant ad hominem. *Opinio probabilis à dubia distinguitur hôc discrimine quasi essentiali à te constituto, quod dubia nitatur ratione levi, probabilis graves habeat, quibus se tuetur, & adversam opinionem impetat: atqui Lutheranis, Calvinistis, & omnibus denique Philosophis ac Sectariis, non desunt nomina & momenta rationum multò apud ipsos graviora, quàm Caramuel velit nobis Dianam esse. Ergo habent opinionem probabilem suorum errorum, ac subindè ignorantiam invincibilem, quæ illos ab omni peccato excuset.*

8 Sed contra etiam est 1. Quod argumentetur contra Doctorem Catholicum, & quidem ab Alexandro VII. in Italia, ubi viget inquisitio, constitutum Episcopum, qui opinionem probabilem non minùs rigorosè accipit, quàm cæteri Probabilistæ Catholici, de quibus nos infra *dub.*7. *n.*44. 70. 71. *& seq.* Opinio autem cujusvis Lutherani in damnatis contra Lutherum, non est Catholicis probabilis, sed certò & indubitatè falsa. 2. Quod definitio *probabilis* juxta Caramuelem non sit, *quæ rationes graves habet* præcisè, sed cum hoc addito, *nullam contra se demonstrativam*, sensu suprà datô: Lutheranismus autem, Calvinismus,

nismus, & aliæ sectæ habent contra se rationes istô sensu demonstrativas, prout omnis Orthodoxus fateri debet. Unde corruit tota adversus D. Caramuelem Vincentii Baronii impugnatio, quâ reverà hîc, & prius in *Epistola ad ipsum*, eundem injustè gravat.

9 Addit iterum ibidem art.3. §.1. in fine. *Novum & inauditum est, testimonia, fide tenenda, demonstrare, quæ credimus mysteria Trinitatis* &c. *eorumq; scientiam parere. Deindè dicitur Apostolos, fidei ministros, demonstrationum locô, adhibuisse miracula: ergo illis deerant demonstrationes Caramuelis.*

10 *Præterea communis est omnium Theologorum sententia ex S. Thoma, fidei objectum differre à scibili; quod istud cogat ad assensum, ad illud verò persuadendum necessaria sit pia voluntatis affectio, ut suppleat vim argumenti. Certè si fides, etiam apud Christianos, induci nequeat vi probationum, nisi voluntas intellectum impellat, quid fiet Ethnicis & impiis, apud quos fides, & fidei argumenta, nullô locô sunt? Quarè, quidquid poterit Caramuel, totâ, quâ valet, Dialecticâ, admovere argumentorum, apud illos nunquam opinionis & probabilitatis fines excedet: & cum aliundè illos doceat probabilitatem quamcumque securam esse, & esse locô invincibilis ignorantiæ, hôc secundô assertô magis à fide amplectenda semovebit, quàm omnibus argumentis possit ad illam suscipiendam impellere, & tandem eorum arbitrio relinquet fidei rejiciendæ vel amplectendæ electionem, promissâ in alterutram partem securitate.*

11 Sed *n.6. &* 8. reverà impugnatio hæc, jam contra exhausta, nihil roboris addit. *Primò:* quia D. Caramuel non vult *testimonia fide* divinâ *credenda demonstrare* (demonstratione peripateticâ, quæ evidentiam naturalem supponit) *quæ credimus mysteria Trinitatis &c.* sed demonstratione dumtaxat, quæ sit *Conclusio syllogismi, cujus utraque præmissa ita est certa, ut neutra in dubium, aut quæstionem probabilem vocari possit, &* hôc sensu sit *propositio certa & indubitata,* ut patet ex ejus *Apologem. n.*309. Hanc autem Conclusionem dici posse demonstrationem & scientiam, quàm peripateticæ accipiantur, latiori acceptione, quâ Theologiæ *tom.* 1. *disp. proœmiali* probavimus, Theologiam verè esse istô sensu scientiam, qualem Aristoteles, defectu fidei, qui hîc proindè curari non debet, non agnovit, videtur indubitatum: neque id est novum & inauditum in scholis, ut *ibidem* patet. Adhibuerunt au-

tem Apostoli miracula: quia ipsorum testimonia nondum erant fide divinâ, certâ & infallibili, prout modò, recepta: S. Thomas verò loquitur de scibili peripatetico. *Secundò*: Ista demonstratio Caramuelis est fortior ad convincendum Ethnicos & impios, quàm sit istius Authoris principium, *standum pro lege contra libertatem*: quia si de lege supernaturali agatur, in ista demonstratione comprehenditur, quam eâdem obstinatione rejiciunt, quâ fidei mysteria, nec aliter, quàm hæc probatur, aut efficacius Ethnicis vel impiis, quàm D. Caramuelis demonstratione, ab isto Authore, aut quovis Theologo demonstratur; neque uspiam D. Caramuel docet contra hanc demonstrationem dari securam probabilitatem; sed oppositum frequenter. Vide *dub. 7. resol. 7. n.* 163. 164. 165. *&* 173. Responsa ad argumenta D. Sinnichii, quibus ista sunt affinia, si non ab his genita: si verò de lege naturali, quam sibi præscripserunt, eos in suis erroribus confirmat.

DUBIUM QUINTUM.

An in omni opinione probabili præcisè detur ignorantia invincibilis veritatis, bonitatis &c.?

RESOLUTIO.

12 Dico: tantum abest, ut in omni opinione probabili præcisè detur ignorantia invincibilis veritatis, bonitatis &c. quin potius in nulla detur.

13 Probatur: quia ignorantia invincibilis fundat certitudinem moralem, quod ex ea operando non peccetur, peccatô novô & condistinctô ab eo, in quo est voluntaria: atqui nulla opinio probabilis præcisè talem certitudinem fundat: ergo &c. Major patet ex præmissis *dub.* 3. *Resol.* 1.

Probatur Minor primò: quia cum opinio probabilis præcisè pro utraque parte habeat rationes suasibiles, dubitationem fundat, pro qua parte veritas sit, juxta illud Aristotelis 1. *top. cap.* 9. *in principio*, ubi sic differit, inquit D. Fagnanus *in cap. ne innitaris nu.* 142. sunt autem problemata, & de quibus contrarii sunt syllogismi: dubitationem enim habent, utrum sic se habeant, an non; eò quòd de utrisque sunt rationes suasibiles. Atqui opinio illam dubitationem fundans moralem certitudinem non fundat, uti per se manifestum est: unde cap. *Nervi* 13. *dist.* cap. *de frigidis & maleficiatis*. cap. *illud de præsumptione*. cap. *inquisitionis de sent. excom.* & aliis multis, *probabile* pro *dubio* sumitur, quare Bartolus

in

in lege admonendi *ff.* de jurejurando. *Dubius dicitur, qui non certitudine scit, sed applicat animum suum ad semiplenam probationem*, qualis reverà nequidem est opinio probabilis præcisè: ergo &c.

14 Probatur minor secundò. Nullum dubium aut scrupulus præcisè talem certitudinem fundat, ut omnes fatentur: sed opinio probabilis firmiores rationes habet pro altera parte, quàm dubium aut scrupulus: ergo &c. Probatur minor: quia, uti etiam omnes fatentur, dubio aut scrupulo præcisè subsunt tantum rationes leves; opinioni verò, etiam pro altera parte, rationes graves, sive alicujus momenti: ergo &c.

15 Probatur minor tertiò. Actus omnis, quamdiu se habet ad verum & falsum vincibiliter, est incertus, ut omnes etiam fatentur: atqui omnis opinio, quamdiu est probabilis præcisè, se habet ad verum & falsum: ergo est incerta: unde valdè asseveranter Bernardus lib. 2. de consid. ad Eugen. c. 2. *profectò opinio falli & fallere potest*. Ergo nulla probabilis præcisè dictam certitudinem fundat.

16 Probatur minor quartò. Juxta Caramuelem *Apologematis* pro doctrina de probab. Epist 4. num. 311. *præmissæ certæ & indubitatæ sunt, de quibus nullus prudenter dubitat, nullus judicat esse probabiles*: atqui nullus de opinione probabili præcisè non dubitat, an sit vera vel falsa, nullus non judicat esse probabilem: ergo opinio probabilis præcisè non est certa & indubitata: ergo certitudinem non habet, de qua supra, etiam ipsô Caramuele, ut statim docente: sed sibi contradicendi libertatem non raro ut pallium assumit.

17 Probatur minor quintò. Opinio probabilis dicit *probabile est rem esse*, & juxta D. Caramuelem post Platum, quem citat *ibidem num.* 314. fol. 106. *probabile est rem esse & probabile est rem non esse, sunt propositiones æquivalentes*. Et infrà, *hæc assertio* probabile est rem esse, *æquivalet huic*: hæc positio, *Res est*, habet pro & contra rationes fortes: non autem, aut pro, aut contra, ullam demonstrativam. Atqui actus dicens, *probabile est veritatem esse*, & *probabile est veritatem non esse*, vel, *veritas habet pro & contra rationes fortes; non autem, aut pro, aut contra, ullam demonstrativam, id est certam & indubitatam*, uti ex ipso vidimus, non habet talem certitudinem, de qua in *probat*. Ergo &c.

18 Probatur minor sextò. Qui amplectitur certitudinem, de qua in probab. nullo discrimini se committit, nec proindè mortaliter peccat: sed qui amplectitur opinionem probabilem præcisè, quatenus dicit *probabile est esse licitum*, *probabile est non esse licitum*, alicui se discrimini committit; ac proindè in materia graviter prohibita mortaliter peccat, juxta illud Eccl. 3. *qui amat periculum, peribit in illo*: ergo non amplectitur certitudinem, de qua in *probat*. Ergo opinio probabilis præcisè talem certitudinem non habet. Undè consideratissimè Bernardus lib. 5. de Consid. cap. 2 suprà citato, *Et hoc sciendum, quia opinio, si habet assertionem, temeraria est*. Alias probationes vide infrà *dub.* 7. quas sapientissimè, ut solet, prosequitur D. Fagnanus, & D. Caramuel non attigit, quia enervare non potuit.

D. CA-

D. CARAMUEL.

Apologematis *pro doctrina de probabilitate* Epist. 4.

1 NUm. 287. Catena Hæreseos Jansenianæ. Hæresis Janseniana, iterum iterumque suppressa, condemnata, proscripta, mutatâ larvâ in Orbem literarium revertitur, ut insultu alterô Romanam Ecclesiam expugnet. Heri illa Religionem mentita, omnes Doctores Orthodoxos esse Pelagianos asseruit: & Assertiones, quas Articulis fidei accensuerat Tridentinum Concilium, hæreseos insolenter damnavit. At hodiè mentita Pietatem in male pexo Antonii Merendæ volumine, quod de Consilio scribitur, doctrinæ laxæ & temerariæ Theologos universos accusat.

2 Et quid quæso prætendunt Janseniani, cum se morum relaxatorum reformatores simulant, cernuaque omnibus Viris doctis obvertunt? Obtinere, ut in Vulgi tribunali ultima illa annulletur sententia, quam contra Jansenii perniciosa deliria in supremo Romanæ Ecclesiæ tribunali per Innocentium X. Spiritus Sanctus pronunciavit. Huc eorum technæ, & cavillationes conspirant. Singuli in Argos versi, cautè & accuratè circumspiciunt, an pateat rima, quà se ingerere possint. Oportet igitur oculos aperire: & quandò vigilant Adversarii, ut arietent Ecclesiam, debemus etiam invigilare, ne opprimamur incauti: sed potius rebellem heterodoxumque retundamus insultum.

3 *Num.* 288. Profectò Janseniana Hæresis, est quædam Catena continua; quæ multos adhuc vinctos detinet. Paucos illa habet annulos, sed tam connexos, ut qui retineat unum, debeat cæteros necessariò tenere. Debemus igitur universos confringere; ne, si vel unum toleremus, omnes tolerare cogamur. Totam illam considera ad brevem synopsim reductam.

JAN-

JANSENIANÆ HÆRESEOS.

PRIMUS ANNULUS.

Liberum hominis, post naturæ lapsum, arbitrium, consistit in libertate à coactione; non autem in libertate à necessitate.

Fuit olim Manichæorum, & posteà Lutheri & Calvini, quorum discipuli hæreseos paulatim remiserunt rigorem, quousque Cornelius Jansenius languentem jam errorem ad pristinum rigorem revocavit.

Hæc est omnium aliarum hæresum, quas Janseniani sustinent, fundamentum & basis: nam cæteræ omnes ex ista necessariò inferuntur.

SECUNDUS ANNULUS.

Ergo peccat homo in eo quod necessariò facit, & etiam in eo, quod necessariò omittit. Ergo eôdem modô de merito, ac de demerito est Philosophandum.

Ergo ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Oritur necessariò ex præmissa.

Et, me judice, mirum omninò est, homines rationales in hanc materiam devenisse: si enim ad cœlum aut infernum nos deducit necessitas, cessant virtutes vitiaque: & æterna fælicitas aut infelicitas, non à merito aut culpâ, sed à fortuna sola pendet.

TERTIUS ANNULUS.

Ergo necessaria Deus interdum inhibet: & impossibilia interdum præcipit.

Ergo aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant.

Sicut deficiente gratiâ est impossibile interdum adimplere præcepta, etiam præsente gratiâ est impossibile præcepta divina violare: homo enim numquam gratiæ resistit: non enim est talis gratia, ut ei voluntas possit resistere vel obtemperare: cum voluntate enim necessariò ad actionem concurrit.

Ergo auxilia sufficientia non dantur.

Ex præcedentibus hæc omnia necessariò nascuntur, nec propugnari ab illo poterunt, qui velit præcedentia negare.

QUARTUS ANNULUS.

Ergo præcepta impossibilia obligant hominem, si impossibilitas se tenet ex parte intellectus.

Ergo ignorantia invincibilis non excusat.

Ex præcedentibus necessariò deducitur.

QUINTUS ANNULUS.

Ergo via, quæ ducit ad vitam, tam est arcta, ut nullas probabiles opiniones admittat.

Ergo non excusatur apud Deum, qui in praxi juxta sententiarum probabilium benignitatem operatur.

In hanc tota exonerat hæresis Janseniana: & ex hac iterum renasci potest.

SEXTUS ANNULUS.

Ergo præcepta impossibilia etiam obligant hominem si impossibilitas se tenet ex parte voluntatis.

Ergo etiam, si se tenet ex parte alicujus sensus aut potentiæ extrinsecæ.

Sequitur necessariò ex præmissis.

M   Sep-

SEPTIMUS ANNULUS.

CHristus igitur non est mortuus pro omnibus: neque pro omnibus fudit suum sanctissimum sanguinem. Patet: quia, si gratiæ sufficientes non dantur, illis, qui efficaces non habent, nihil omninò fuit Jesus-Christus promeritus.

In hanc etiam ex alio latere Propositionum tota exonerat hæresis Janseniana: qui enim admittat hanc, non poterit alias negare.

4 *Num.* 289. Hæc est totius hæreseos Jansenianæ idea; quam ideò expressi, ut unô intuitu videre possis, quàm sint concatenata hujus novæ Religionis deliria, & quàm irreligiosa dogmata, quæ in animos incautos obtrudunt. Tacent hodiè: & de quinque illis Propositionibus, quas condemnavit Apostolica Sedes, nihil publicè obganiunt: sed mutatâ dialecto easdem omnes aliis verbis reponunt, dicuntque, *Peccant, qui in materia conscientiæ sequuntur opiniones probabiles.* Imò ulterius progressi, sententiam oppositam, quæ omnium est, temerariam, & evidenter falsam, & dignam censurâ succlamant. Profectò, non omnes Viri docti dialectum istam capiunt; nec omnes, quid Janseniani dicant, & quò tendant, intelligunt; & hanc ob rem oportet verba hæc ex Jansenio Idiomate in linguam communem transferre. Ego igitur, qui à multis jam annis cum Jansenianis disputo, & eorumdem exactè circumloquia cognosco, assumam Translatoris officium, & hanc mysticam lineam in linguam communem convertam: & sic inquam. Hæc verba, *Peccant omnes, qui in materia conscientiæ sequuntur opinionem probabilem*, dialecti Jansenianæ sunt, & complectuntur omnes hæreses, quas anno 1653. pridie Calendas Junias, Apostolica Sedes ultimâ sententiâ condemnavit. Qui enim hanc Propositionem rejicit, totam hæresim Jansenianam condemnat, &, qui Jansenianus est, hanc ipsam negare non potest. Hunc discursum analyticum seu resolutorium considera.

5 *Num.* 290. Sic inquam. *Probabilitas à peccato excusat. Et cur? Quia, si illa non excusaret, nec excusaret à peccato ignorantia invincibilis, quæ in omni probabili opinione invenitur, & est formalis ratio, ob quam opinio probabilis excusare dicatur. Huc enim Theologi universi recurrunt, ut laudabilem opinionum probabilium usum, contra nostri ævi Novatores defendant: qui enim, aut veritatem certò sciret, aut illam vincibiliter ignoraret, uti benignitate probabilium sententiarum non posset. Et cur ignorantia invincibilis excusat? Quia, si non excusaret, homini Deus præciperet impos-*

impossibilia: non præciperet, ut sciat, quæ scire non potest. Et cur, quæso, non concedimus posse & solere Deum præcipere hominibus impossibilia? Quia, si illa juberet, homines necessariò peccarent. Et cur tandem dici non possunt homines necessariò peccare? Quia, peccarent in eo, quod necessariò facerent; mererentur in eo, quod necessariò omitterent; & contra: adeoque interiori gratiæ nunquam resisterent; imò nec resistere possent: & absente gratiâ efficaci non haberent auxilia sufficientia, ut concupiscentiæ insidias noscerent, & insultus retunderent: & hanc ob rem tota humana libertas, quæ ad merendum & demerendum est, soli opponeretur coactioni, & non excluderet necessitatem.

6 *Num.* 291. Sicut ingenium manuduxit Analysis: Syntaxis poterit. Ergo, modò compositoriò inversò ordine, à primo hæreseos Jansenianæ fundamento incipiamus.

7 Sic Jansenius discurrit. *Liberum hominis post naturæ lapsum arbitrium in libertate à coactione consistit; non autem in libertate à necessitate.* Si hoc semel concedatur, de cæteris non est sollicitus, quia debent necessariò concedi. *Si enim homo operatur liberè in his, quæ necessariò facit: etiam peccare & mereri homo poterit in his, quæ necessariò facit. Ergo ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ libertas à coactione sufficiet, & non requiretur libertas à necessitate. Si peccat homo in his, quæ necessariò facit, peccabit in operatione, quam non potest omittere: &, quia peccare est violare præceptum, præceptô proculdubiò obstringetur ad omittendum, quæ non potest omittere, aut ad faciendum, quæ non potest facere. Ergo aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant. Ergo potest & solet Deus jubere homini, ut supra vires mentis intelligat, supra vires voluntatis amet, & supra vires sensuum & potentiarum operetur. Ergo apud Deum non excusat ignorantia invincibilis, quia tenetur homo scire, quæ scire non potest. Ergo nec excusare poterit Probabilitas, quia tenetur homo facere, quod est certò bonum, etsi illud insuperabiliter nesciat.* Ergo idem est, accusare eos, qui ad sententias probabiles proprias opiniones conformant, quàm Jansenii errores revocare, excusare Lutherum & Calvinum, & reum agere Spiritum Sanctum, qui eorumdem execranda deliria per Concilii Tridentini Patres, nec non per Pium IV. Pium V. Gregorium XIII. Urbanum VIII.

& tandem per Innocentium X. & jam iterum per Alexandrum VII. ultimâ sententiâ condemnavit.

8 Sed hæc omnia uberius in Hyperaspiste Physico-Ethico, quem legere potes, pertracto.

AUTHOR.

9 QUod ante sæpiùs, iterum dico, hîc hæresim Jansenianam pro vel contra, quod sciam Superioribus ingratum, discutere non suscepi. Sed D. Caramuelis dumtaxat Apologema *pro doctrina de probabilitate, contra D. Fagnanum*, enervare. Igitur breviter, supersedendo injuriosis scommatibus & calumniis; quia ad oculum patent.

10 Vel enim D. Caramuel hanc doctrinam admittit. *Liberum in causa, quod si contra legem sit, est peccatum formale, indistinctum ab habitualiter perseverante, in quo fuit actualiter, & adhuc est habitualiter liberum, rectè vocatur illud, quod attentô actuali statu peccatoris, oritur necessariò à causa, quam hîc & nunc actualiter tollere non potest.* Vel illam rejicit, dicens, hanc solam esse veram. *Liberum à causa, quod si contra legem sit, est peccatum formale, indistinctum ab habitualiter perseverante, in quo fuit actualiter, & adhuc est habitualiter liberum, non rectè vocatur illud, quod, attentô actuali statu peccatoris, oritur necessariò à causa, quam hîc & nunc actualiter tollere non potest.* Non enim datur medium inter idem præcisè *rectè vocari* & idem præcisè *non rectè vocari*, ut patet; quia contradictoriè repugnant.

11 Si priorem doctrinam admittat

12 Quæro primò. An consequenter hanc doctrinam non admittat. *Ignorantia libera in causa, quæ si contra legem sit, est formale peccatum, indistinctum ab habitualiter perseverante, in quo fuit actualiter, & adhuc est habitualiter libera, rectè vocatur illa, quæ, attentô actuali statu ignorantis, oritur necessariò à causa, quam hîc & nunc actualiter tollere non potest.*

13 Quæro secundò. An ad istam consequenter, etiam hanc non admittat. *Et ista ignorantia libera* &c. *quæ, attentô actuali statu ignorantis, oritur necessariò à causa, quam hîc & nunc actualiter tollere non potest, est ignorantia actualiter invincibilis non excusans à peccato, indistincto ab habituali-*

bitualiter perseverante, in quo fuit actualiter, & adhuc est habitualiter libera. Ergo *ignorantia invincibilis non excusat à peccato, sensu pro utraque parte datô.*

14 Si præter priorem, consequenter hanc utramque doctrinam cum sua legitima consequentia admittat. Aut doctrinam, quam ipse admittit, Catena Jansenianæ hæreseos concatenavit, & dicere debet, *hæc verba* Ignorantia invincibilis non excusat à peccato, sensu pro utraque parte datô, *quæ ut veram doctrinam admitto, dialecti Jansenianæ sunt, & complectuntur omnes hæreses, quas annô 1653. pridiè Calendas Junias Apostolica Sedes ultimâ sententiâ condemnavit. Qui enim hanc propositionem rejicit, totam hæresim Jansenianam condemnat, & qui Jansenianus est, hanc ipsam negare non potest.* Aut Catena Jansenianæ hæreseos malè hanc propositionem *Ignorantia invincibilis non excusat à peccato,* sensu, quem admittit, ut potest, intellectam concatenavit. Et calumniosè de nostris & D. Fagnani verbis, dicit, *Hæc verba*, peccant omnes, qui in materia conscientiæ sequuntur opinionem probabilem (adde *præcisè* ad utriusque sensum *dub.6. num.*39. expressum) *Dialecti Jansenianæ sunt, & complectuntur omnes hæreses, quas annô* 1653. *pridiè Calendas Junias Apostolica Sedes ultimâ sententiâ condemnavit. Qui enim hanc propositionem rejicit, totam hæresim Jansenianam condemnat, & qui Jansenianus est, hanc ipsam negare non potest.* Si D. Caramuel hæc maturè & suô Aquilinô ingeniô perpenderit, indubiè calumniam fatebitur, & insuper se somniasse, & non discurrisse, tam ista Hæreseos Jansenianæ catenâ suam doctrinam concatenando, quàm per eam nihil ad rem contra D. Fagnanum & nostram propositionem proferendo: nam ut ipsemet Caramuel *num.* 43. contra D. Fagnanum loquitur, *Si dicatur non esse ad rem: somniat, & non discurrit D. Fagnanus: ille enim somniare (apud Homerum, aliò, quàm solent homines sapere) dicitur, qui profert, quæ non sunt ad rem.*

15 Si priorem doctrinam rejiciat, & solam posteriorem admittat, efficaciter rejectus est in præmissis ad *dub.* 3. & Resolutione ejusdem dubii; debebitque peccatum habituale rejicere, & solum actuale agnoscere: & consequenter, negando habituale originale in infantibus, totum Pelagianismum renovare, & Christi patientis ac baptismi necessitatem extinguere: uti &, negando habituale personale in adul-

tis, pœnitentiæ sacramentum judicare frustraneum, cum ad habitualium in eo dumtaxat, non ad actualium in eodem remissionem sit institutum: quæ, cum sint Janseniana hæresi horribiliora, longè aliam catenam merentur. Ne tamen hæc ficta, & per solam exaggerationem dicta videantur, omnia sic deduco.

16 Si priorem doctrinam rejiciat, & solam posteriorem, videlicet, *Liberum in causa, quod si contra legem sit, est peccatum formale indistinctum ab habitualiter perseverante, in quo fuit actualiter & adhuc est habitualiter liberum, non rectè vocatur, illud, quod attentô actuali statu peccatoris, oritur necessariò à causa, quam hic & nunc actualiter tollere non potest.* admittat, prout alioqui admittere debet,

17 Quæro primò. An consequenter hanc non admittat. *Ignorantia libera in causa, quæ si contra legem sit, est peccatum formale, indistinctum ab habitualiter perseverante, in quo fuit actualiter, & est adhuc habitualiter libera, non rectè vocatur illa, quæ, attentô actuali statu ignorantis, oritur necessariò à causa, quam hîc & nunc actualiter tollere non potest.* Hanc enim consequenter admittit, vel negat, quam ibi admittit. Unde

18 Quæro secundò. An ad istam consequenter etiam hanc non admittat, *Et ista ignorantia libera &c. quæ, attentô actuali statu ignorantis, oritur necessariò à causa, quam hîc & nunc actualiter tollere non potest, est ignorantia actualiter invincibilis, excusans à peccato, indistincto ab habitualiter perseverante, in quo fuit actualiter, & adhuc est habitualiter libera.* Ergo *peccatum habitualiter perseverans*, prout est ista ignorantia, quæ fuit actualiter, & adhuc est habitualiter libera in peccato habitualiter perseverante, *non est peccatum*, prout non est peccatum *ignorantia actualiter invincibilis, excusans à peccato, indistincto ab habitualiter perseverante, in quo fuit actualiter, & adhuc est habitualiter libera.* Ergo juxta istam D. Caramuelis doctrinam *peccatum habituale non est peccatum.* sensu pro utraque parte datô.

19 Attendat D. Caramuel, hæc verba: *peccatum habituale non est peccatum, Dialecti Pelagianæ sunt, & complectuntur omnes hæreses, negantes originale in parvulis, necessitatem Christi Passionis, Baptismi, imò & pœnitentiæ in adultis, quas jam pridem Tridentinum, Florentinum, Ephesinum, Arausicanum, Diospolitanum, Milevitanum* &c. *ultimâ sen-*

tentiâ

tentiâ condemnavit. Qui enim hanc propositionem rejicit, totam istam hæresim condemnat, & qui Pelagianus est, hanc ipsam negare non potest.

20 Parcat obsecro D. Caramuel, si hâc retorsione utar; nam ipse contra D. Fagnanum *nu.*303. sic obloquitur. *At illi Plautus*: qui quod volt, dicit, quod non volt, audit. *Erit igitur aliquis, qui eodem ipsi obloquatur idiomate.* Addo ego, D. Caramuel, *quos vult Hæreseos Jansenianæ catenâ concatenat, eâdem vel pejori* certâ & indubitatâ, *dum non vult, concatenatur.*

ALIA REFUTATIO

Caramuelis ex Vincentio Baronio examinatur.

21 HIc *Author, ut aliàs dixi, opportunè occurrit, ante impressionem nostri* Apologematis *in Caramuelem* retorti: *opportunè, inquam, ut hinc inde adjectis periodis à nobis laudaretur, & confirmaret, quæ diximus, aut refutarentur ea, quæ contra mentem nostram dixit, ac potissimum instar Achillis.* Disp.2. sect.1. art.3. §.2. *ubi sequentia lego.*

22 Totum Apologematis robur collegit Author Epistolâ quartâ, prolixiore toto reliquo opere: nam quæ præmisit illi vel adjunxit, ferè sunt Parerga. Priusquam hanc Epistolam aggrediar acriori examine discutiendam, refutatis tribus prioribus Epistolis, additamenta quartæ *hoc §.* brevi decurram, & dejiciam unicâ explicatione quartæ nostræ regulæ, quam his verbis interpretor: *E duabus opinionibus, pugnantibus hinc pro lege, inde pro libertate, primam esse deligendam, hôc solum nomine, quod sit tuta & probabilis; non attentô gradu majoris probabilitatis, nec ratione ignorantiæ invincibilis, quam falsò dicitur includere; nec quia est certæ veritatis; sed quia est certæ bonitatis.* Addimus sic explicatæ regulæ; nunquam à Summis Pontificibus dispensatum contra hanc regulam, id est contra opinionem paris aut majoris probabilitatis pro lege stantem, & stare reputatam, in gratiam partis, quæ libertati & commodo favet.

23 Sic explicata regula, omnes *Caramuelis* evertit argumentationes, quas verè dicere possis perpetuas à Thesi propositâ exerrationes: ut mirum

mirum sit ac penè prodigio simile, hominem subtilissimum, qui à tot annis huic controversiæ de probabilitate, quasi *Prometheus Caucaso* adhæresciт, non capere, aut dissimulare mentem nostram, à qua longissimè recedit omnibus argumentis, quæ fusissimè & verbosissimè prosequitur, *quatuor prioribus Appendicibus* ad *Epistolam quartam*.

24 Nemo sanè, nisi hujus controversiæ ignarus, potest dubitare, quin tota contineatur regulis à nobis constitutis. Sed nulla est, in quam non impegerit graviter adversarius. Si meminisset *primæ*, nempè *hâc disputatione de opinionum delectu*, non agi de rebus, quæ ad speculationem pertinent; sed tantum de agendis & de moribus, abstinuisset à commemoratione decreti de Conceptione; quæ est extra ambitum moralium quæstionum, & fidei subsellium, quæ necessariò credendis attendit, non probabilibus, quorum numero adversarius accenset *hanc quæstionem*. Ergo nihil refert ad subjectam controversiam, etiamsi velis fidei materiam complecti: sed de his supersedeo; quia extra Thesim sunt, & fortè plura dicentur *discussione quartæ Epistolæ*. Si adversarius percepisset vim, & dimensus fuisset *tertiæ regulæ* ambitum, observasset sine dubio dispensationes Pontificias à voto solemni, aliasque id genus, exclusas esse à *nostra disputatione*. Nam quascumque solent concedere Pontifices, non exigunt ad *Caramuelis*, aliorumque laxorum mentem, quasi è duabus opinionibus, quarum una stet pro lege, pro voto solemni, altera pro libertate, etiamsi paris sint probabilitatis, *secundam* anteponere, liceat *primæ*. Sed id agunt Sapientissimi Pontifices ex aliis regulis, maximè ex *tertia nostra*, cum è duobus malis, minus est eligendum: vel ex *quarta*, quæ permittit ab opinione pro lege recedere, si dispensanti videatur esse tenuissimæ probabilitatis, quæ nequeat cum adversa sententia æquô jure contendere: hæc dicta sint obiter; quia à dispensationibus repetita objectio recurret *Epist.* 4.

25 Sed gravissimè, idque pluries, ad minus ter aut quater, in *ultimam regulam* peccavit: & quotquot in *Appendicibus* habet in nos argumenta, sunt mera sophismata & falsi *hujus regulæ* sensus; quæ perindè facescunt nudâ illius explicatione. Dum statuimus, è pugnantibus inter se opinionibus, anteponendam eam, quæ legi favet: hoc illi jus asserimus, non ratione probabilitatis, sed securitatis causâ; nam qui legi adhæret, nullum peccati & salutis adit periculum, quod semoveri

vix

vix poteſt ab adverſa opinione pro libertate. Hâc genuinâ & ſimplici interpretatione occupavimus, & evertimus duo Caramuelis ſophiſmata. Oleum planè & operam perdit, dum ità contra nos arguit: *debeo eligere probabiliorem*, *ergo poſſum minus probabilem*. In hac conſequentia inconſequenti probanda mirè ſibi placet, & vult videri adeò acutus, ut poſſit extundere aquam è pumice, oleumque de ſaxo duriſſimo, & quidlibet ex quolibet elicere: inde etiam excurrit, *ſi probabiliora ſectanda ſunt, præcipi à Deo impoſſibilia*. Quis enim enumeret aut metiatur gradus probabilitatum? Nec Angelus quidem ille, quem Joannes vidit metientem cum regula Jeruſalem cœleſtem.

26 Sed hæc omnia evaneſcunt *noſtræ regulæ* nudô ſenſu: *opinionem pro lege* dicimus, *opinioni pro libertate præferri oportere*, ſeu majoris, ſeu paris, ſive etiam paulò minoris ſit probabilitatis, dummodò ſuperſit illi aliqua ab argumentis & ab Authoribus non contemnenda.

27 Unâ fideliâ duos parietes dealbamus, eâdem reſponſione validè refellimus aliud ſophiſma, monitô Dialecticô ex *prima Epiſtola pag.* 15. repetitum, ibique ſolutum. *Si ad ſecuritatem conſcientiæ ſufficit opinio Fagnani, quæ eſt probabilis ſtans pro lege; ergo mea ad id ſatis eſt, quæ ſtat pro libertate; quia idem habet jus probabilitatis.* Ex falſo *antecedente* infertur falſum *conſequens:* Non probabilitas quæcumque ſecura eſt vi ſuâ, ſed ratione legis, à qua ſtat, & quæ ſui amantes eximit à periculo peccati & damnationis, etiamſi non ſit certæ & neceſſariæ veritatis: probabilitatem meritò ſimilem dixeris Hederæ ſe ipsâ debili, quæ fundamento, arbore aut pariete fulciri debet, ut poſſit aſſurgere; ità probabilitas ſecuritatem à peccato, à lege tantum habet; à ſeipſa verò, minimè: tantum abeſt, ut eam poſſit mendicare à commodo, à libertate, à voluptate, quibus dum favet, miniſtra eſt Philaphtiæ, & omnium vitiorum origo.

28 Hinc etiam ſolvitur tertium ſophiſma numero 109. *opinio quæcumque probabilis eſt certa:* hoc falſiſſimum eſt, & venenum latet ſub hujus vocis *certa propoſitio*, æquivocatione; aliud enim eſt opinionem, quæ favet præcepto, eſſe certæ veritatis; aliud, eſſe certæ honeſtatis & ſecuram: ut qui illam ſequuntur, licèt indubitatæ veritatis non ſit, immò fortè falſa & improbabilis, nihil tamen mali & peccati incurrant. Illuſtrandæ tanti momenti veritati, exemplô eſſe poſſunt tres opiniones

initiô *hujus articuli* insinuatæ ut improbabiles; quarum *prima* ad validam & utilem absolutionem Sacramentalem requirit contritionem perfectam; *altera* dies Festos asserit justis perindè ac peccato lethali inquinatis, ex præcepto singulari colendos, eâdem dilectione Dei ex charitate; *tertia* lapsum in gravem culpam novi peccati accusat, dilatione pœnitentiæ, quâ resurgat, perindè ac furem dilatâ restitutione. Si quis has opiniones, quæ stant pro lege secutus, cum accedit ad Sacramentum pœnitentiæ, cum Festos dies colit, vel ubi primum peccavit, prorumpet in ardentissimum Dei amorem, & identidem hos charitatis & pœnitentiæ actus eliciet, damnabísne peccati? Immò dices hunc errorem felicissimum, & quamvis sequatur opiniones improbabiles, nec Caramuel ipse negabit, certæ esse honestatis, licèt sint dubiæ veritatis, immò falsæ. Audebítne *Caramuel*, suis pro libertate opinionibus, eam securitatem asserere, quam vindicamus validè, opinionibus pro officio & lege stantibus? Sed adeò sunt in hac re dissimiles *D. Fagnani* & *Caramuelis* opiniones, ut summæ sit cæcitatis & audaciæ illas æquare: nos verius *Apostoli* verbis concludimus *quod infirmum & stultum est Dei*, ac legis, *fortius est hominibus* & libertate ac voluptate; itá planè improbabiles pro lege opiniones magis sunt certæ honestatis & securæ, quàm quæcumq; à *Caramuele* & à *Diana* probabilissimæ pro libertate invectę.

29 Hactenus solvimus tria sophismata ex appendicibus; ad quartum accedo omnium fallacissimum: dicam unô verbô verè *catenam* vocari, quam sibi nectit, & arctiùs implicat, dum nititur nos Jansenismô illigare: illius erroris putat se festucam videre in oculo nostro, & ex charitate velle eruere; nec palpat, nec sentit, in suo trabem erroris omnium gravissimi, qui possit incautos in atheïsmum detrudere, à quo propiùs ejus principia absunt, quàm nostra à Jansenismo. Quod ad nos attinet, ridemus toties objectum Jansenismum, & nullâ verisimili ratione probatum, & sæpius à nobis validè depulsum. Negamus & pernegamus ex *nostra de opinionis pro lege delectus regulâ*, ullâ consecutione inferri, *Deum impossibilia præcipere*, quod toties obtruditur, & nunquam probatur: neque enim, ut primo Sophismate dictum est, opus est scrupuloso examine graduum probabilitatis, quasi ad lancem appensæ; satis est nosse, quod nec pueri ignorant, quid sit honestũ, quid justum; quô constituto, cõstat esse tenendum, dummodò necessarium sit aut probabile,

bile, sive paris, sive majoris aut paulò minoris probabilitatis, quàm adversa sententia: unde ergo infers, nos velle, *Deum præcipere impossibilia?*

30 Quia, inquis, ignorantia invincibilis non excusabit à peccato, si probabilitas non excuset; neque enim id potest, nisi beneficiô ignorantiæ invincibilis, quam involvit, & nisi excusaret, seu probabilitas, seu ignorantia invincibilis, *Deus præciperet impossibilia*, nempè ut sciamus, quæ scire non possumus. Responsio hæc, quâ unâ nititur tota causa probabilitatum pro libertate, plures habet errores, quàm verba: si nostræ defensionis rationem tantum haberemus, supersedendum esset à longiore hujus argumenti solutione; quia plenè illi satisfactum est, *nostræ regulæ* interpretatione, *de sectanda opinione pro lege*, quam omninò à quæstione de ignorantia invincibili sejunximus, ut nihil ferè commune habeant, hæ duæ gravissimæ controversiæ. Deindè diximus, nostram regulam posse conciliare diffidentes hâc in re modernos Theologos ab antiquis sanctis Patribus. Prætereà addidimus, ignorantiam invincibilem tolli, non solum opinione probabili de honestate actionis, sed ipsâmet dubiâ, *an res, quæ instat agenda, cum lege conveniat, & sit permissa, aut prohibita*, ut ex mente omnium Philosophorum relatum est, verbis Ciceronis, *ipsam dubitationem rationem habere injuriæ*, ut pudendum videatur Theologo, id negare de opinione probabilissima, rem esse iniquam, quod Philosophi asserunt de ipsamet dubitatione. Unde immeritò nobis objicit Caramuel, *nisi probabilitas excuset, hominem peccaturum necessariò*: hoc enim falsissimum est; nec aliô probat argumento, quàm manifestâ petitione principii. Quæro enim à te, cur censeas, cum dubito, non solum levi conjecturâ, sed etiam gravi argumentô, an juramentum falsi cum restrictione mentali ex *Tamburino* licitum, sit damnandum, ut ipsemet concedis; si hoc juramenti genus animô sic comparatô usurpem, peccem necessariò ex ignorantia invincibili? Ego, juxta mea principia, dicam peccare quidem, idque liberè, non necessariò; quia ratione dubitationis à te ipso insinuatæ, ignorantia invincibilis tollitur, aut resolvitur in ignorantiam vincibilem, ubi primū ortum est dubium; & cum invaluit, in opinionem probabilem, ac proindè sequendam; quia stat pro lege, hujusmodi juramentum, verum esse perjurium. Ergo ex meis principiis, ne vel minima quidem suspicio est, me peccare necessariò ex ignorantia invincibili: quandoquidem ipsamet dubitatio monet

N 2

monet ab actione suspecta abstinendum. Cur verò tu id contendis? Nempè ex tua fundamentali Theologia, *pugnantium inter se opinionum probabilium quamlibet tutam esse, etiamsi stet pro libertate contra probabiliorem pro lege:* hæc tota tua est *probatio*, id est, *nostra thesis*, id est, *manifesta petitio principii*. Ergo *tela* est *aranearum* tua argumentatio, & non *catena ferrea*, nisi ut alliget, & dejiciat in horrendos errores.

31 Sed incautum & præcipitem in nos æstu disputationis ábripi video, & in profundum omnium errorum delabi adversarium, dum *invincibilem ignorantiam, individuam vult esse omni probabilitati:* quam sibi foveam effodit, hôc asserto? in quæ præcipitia deducit homines? Certè quisquis negat ignorantiam invincibilem posse tolli, aut resolvi in ignorantiam vincibilem solâ scientiâ rerum de quibus opinamur, jam pluries demonstravi, quòd inde idololatriam docet fieri probabilem, Atheïsmum securum, & ab omni periculo peccati aut damnationis immunem. Superioribus argumentis hoc novum addo: si ignorantia invincibilis nequeat tolli, nisi per scientiam rerum, de quibus dubitamus, immeritò *Apostolus* Romanorum primo *inexcusabiles* pronunciat antiquos Philosophos, quod cum Deum cognovissent ex creaturis, ut Deũ minimè coluerint, illiq; gratias egerint, ut bonorum omnium Authori, primæ sui, & rerum universi causæ. Sed quos damnat *Apostolus*, absolvit *Caramuel*; contendo enim his Philosophis, quos *inexcusabiles* pronunciat *Paulus*, non defuturam ignorantiam invincibilem, quâ imbui vult omnes opiniones probabiles, ut tutæ fiant, & ab omni peccato excusent, idque dogma Fidei putat, nec posse negari sine aperto Jansenismo.

32 Contra hanc fundamentalem Theologiam observandum mihi statuo, *monitum dialecticũ* adversarii, ne ejus probabilitatem merè probabilibus, sed omninò necessariis & certis impugnem: non potest imprimis dubitare, quod expressis verbis ex *Apostolo* retulimus, antiquis Philosophis præstanda fuisse, quæ, suâ culpâ omiserunt, religiosi cultus & grati animi in Deũ officia, profecta ex notitia Dei à creaturis haustâ, illum esse mundi conditorem, & rerum humanarum curam habere. Addo aliud principium non minus certum: illam Dei notitiam, quæ à Philosophis hujusmodi obsequia exigebat, comparatam fuisse, vel testimoniis fide tenendis, vel demõstratione Peripateticâ, vel argumentis gravibus, intra fines probabilitatis: neque enim possumus cõminisci aliud

genus

genus cognitionis, quâ potuerint peragi rei & *inexcusabiles* Philosophi. Tertium adjungo principium, idque certissimum: cognitionem illam non fuisse, nec primi, nec ex *Caramuele* secundi generis; ergo tertii, nempè, probabilis est cognitio ex creaturis, ducens ad unius numinis existentiam, providentiam, quæ subindè exigeret cultum religionis, gratum animum, &c. Ergo falsa est tota Theologia fundamentalis Caramuelis, *omnem opinionem probabilem tutam esse, includere, &c.* Has consequutiones evidentissimas non potest negare, nisi velit Antiquos habuisse Dei notitiam ex testimoniis fide dignis, vel ex demonstrationibus peripateticis: Neque enim aliud superest responsum, aut effugiũ: at primum non modò falsum est, sed incredibile & ridiculum: neque enim *Apostolus* Philosophos *inexcusabiles* concludit, quod fidem repulerint, de qua nihil illis unquam auditum, & quomodò credidissent sine prædicante? sed quod abusi sint notitiâ ex creaturis comparatâ: at illa, vel demonstrativa est, vel probabilis: demonstrativam de unitate, providentiâ, creatione mundi, se nunquam habuisse jurabunt *Epicurus*, *Lucretius*, nec habere potuisse asserent *Nominales* nonnulli, quibus ipse *Caramuel* assentitur eôdem monitô, cum demonstrationem peripateticam dari, aut confici posse negat: quodnam ergo genus cognitionis superest, *ut inexcusabiles* sint Philosophi, quàm probabilis, quâ unâ vult *Caramuel* omnia excusari? Diligentiùs quàm sperabat, & fortè optasset, monitum ejus dialecticum observavi; semotis probabilibus, certis & necessariò veris cum illo egi: & eò deventum est, ut vel falsus sit *Apostolus*, dum *inexcusabiles* pronunciat Philosophos, quod creatorem sibi notum ex creaturis colere neglexerint, vel deceptus sit *Caramuel*, cum asserit cognitionem, nec fide partam, nec demonstratione, ac proindè probabilem, tutam esse ab omni peccato, & ignorantiam invincibilem habere, quæ quisque negaverit, sit Jansenista.

33 Nolo expendere alias Appendices, in quibus amicorum in se congesta encomia, & in *D. Fagnanum*, aliosque à se dissentientes, probra & dedecora leguntur propè infinita: Magis sanè ex charitate & modestiâ fuisset, hæc omnia à suo libro voluisse submota, aut, se insciô & invitô, videri inserta fuisse. Verum non est passus nos hæc de se suspicari, nam *p.* 203. fatetur suâ operâ, hæc omnia Apologemati addita, cum hoc elogio, *paucis lineis majorem complecti doctrinam*, *quam li-*

bros integros. Et si constitutum erat hæc evulgari, variandus fuerat stylus, nè constaret *Caramuelem*, potius quàm amicos loqui; nec erant apponenda, quæ licèt vera, vix poterant salvô pudore legi; nec intelligo potuisse, salvâ conscientiâ, dicere, *Crispum Borgiam, librô contra Caramuelem scriptô, rethoricari, & eadem diversis verbis, quibus multa folia prodigit, eloqui: è contra clarissimum Dominum Caramuelem Laconicè dialecticari, unô foliô multas quæstiones curiosas & necessarias excitare, & ex uno fundamento tribus lineis expedire.* Cætera amicorum elogia patior vera esse, sed miror voluisse laudari à Laconismo, & à brevi multarum quæstionum resolutione: cùm unam hîc susceperit agitandam, & omnibus paginis incipiat, nunquam desinat, eadem ubique proponat.

AUTHOR.

34 NUm. 22. P. Vincentius Baronius §. 1. *ibidem*. sic habet: *Huc tota vertitur disputationis alea: hîc stabilienda est regula, quam verè dixeris signum, cui non minus, quàm Christo contradicitur.* Pugnantibus inter se, paribus, aut parum disparibus, rationum momentis, opinionibus, hinc pro lege, inde pro libertate, nunquam deserendum primam opinionem unicè tutam, maximè si præscribat media per se instituta ad salutem. *Et hic est primus hujus regulæ gradus, cui Suarez, Recentiorum gravissimus, adhæret: secundus illi proximus est.* Neque recedendum ab opinione pro lege, etiam cum favet rei ex solo præcepto necessariæ, nisi adversa opinio pro libertate infinitis partibus ità vincat, ut tenuissima probabilitas illi reliqua sit. *Num.* 22. *suprà* addit *quam Regulam his verbis interpretor.* E duabus opinionibus hinc pro lege, inde pro libertate, primam esse deligendam, hoc solum nomine, quod sit tuta & probabilis, non attentô gradu majoris probabilitatis, nec ratione ignorantiæ invincibilis, quam falsò dicitur includere, nec quia est certæ veritatis, sed quia est certæ bonitatis. *Addimus* &c.

35 Sed contra, ni fallor, P. Vincentius Baronius hîc contra se pro Domino Caramuele pugnat. Quæro primò. *An pugnantibus inter se paribus, aut parum disparibus, rationum momentis, opinionibus, nunquam sit deserenda prima opinio pro lege* invincibiliter ignorata, aut pro lege probabiliter

babiliter nota, aut pro lege certò nota? Si primum: pugnat contra lumen naturæ, & probata *dub.3. resol.1. parte 1.* imò & seipsum, *ibidem art.1.* in fine, dicentem, *demonstrabo stare regulam firmissimam de delectu tutioris opinionis in rebus dubiis & controversiis, etiam si demus Caramueli ignorantiam invincibilem* (nota) *excusare à peccatis, quæ ex illa proficiscuntur, quo unô verbô corruunt omnia ferè utriusque Authoris argumenta.* Numquid & suum Achilleum? Si secundum: haud minus rationabile est hoc judicium, *fortè lex non est*, quàm hoc, *fortè lex est:* & cum aliundè libertas sit in certa possessione, contra quam prævalere non potest dubia possessio legis, dum post sufficientem inquisitionem censetur invincibiliter ignorari; quia, non solum in materia justitiæ, sed & virtutis obedientiæ ac aliarum, *melior est conditio possidentis*, uti patebit infrà *dub. 7. suppos.* 8. & ibidem *Resol.* 11. & 12. Nihil plus, saltem præcisa nostra limitatione, quam Author ille *n.*30. malè sejungit, totô suô *Apologemate* prætendit Caramuel. Ipse proindè aliundè nobiscum impeti debet, ex eo videlicet, quod qui legem probabiliter novit, hanc ignoret vincibiliter, & de illa sic inquirere debeat, donec censeatur, judiciô prudentum, illam ignorare invincibiliter; quia sola ignorantia invincibilis legis; non verò vincibilis, qualis alioqui subest, excusat à peccato. Unde non satis opportunè *art.* 1. *in fine* statim citatô, laudat Mercori prudentiam his verbis: *Quidquid sit de ignorantiæ invincibilis insuperabili difficultate summè laudanda est Mercori prudentia, quod laxissimarum probabilitatum usum, intra certas metas cohibiturus, abstinuerit à proposita quæstione, an detur juris naturalis Dei existentiæ, & unitatis, boni honesti* (cur non addit *legis positivæ?*) *ignorantia invincibilis.* Quia nisi in hac excusante à peccato, tanquam supra firmam, & unicam petram ædificet, superficiem in pura arena probabilitatis Caramuelicæ, ut videbimus statim, fundat. Si tertium: oppositum non reperiet in toto *Apologemate* Caramuelis; sed id ipsum sæpius, saltem implicitè, affirmatum. Quæro secundò. An tenuissima probabilitas pro lege, relicta, non sufficiat ad ignorantiam vincibilem legis, sic ut de hac teneatur inquirere, donec prudentum judicio legem ignoret invincibiliter? Si affirmet sufficere: per ipsum ignorantia vincibilis legis excusat à peccato, quod nec D. Caramuel, nec ullus Orthodoxorum, hucusque dixit. Si neget sufficere, admittit ignorantiam in-

vinci-

vincibilem sub ista tenuissima probabilitate, & consequenter, nisi ad ignorantiam invincibilem à peccato excusantem recurrat, salvare non potest à peccato casus, quos adfert *numero* 28. suprà: sicut autem ab hac & in hanc tota resolvi debet peccati contra legem excusatio, ità & in cæteris omnibus. Unde, *paucis verbis, corruunt omnia ferè utriusque* Mercori & Vincentii Baronii, pro ipso & se *argumenta*, dum hæc volunt à quæstione de ignorantia invincibili sejungi.

36 Sed quid ad Regulæ quartæ interpretationem, quam addit? Oppositas statim difficultates incurrit; & magis intricat, dum addit. Primò: *hôc solum nomine, quod sit tuta & probabilis.* Quia (præterquam quod nihil *tutum improbabile*, ac proindè frustrà addatur *& probabilis,*) servare tres opiniones, quas refert *suprà num.* 28. est tutum; & tamen *ibidem* dicit, illas opiniones esse *improbabiles*. Imò quæritur, quô fundamentô dicat, illas esse *improbabiles*. Si probabili tantum, ubi oppositum est tenuissimæ probabilitatis, ut docet *ibidem art. tertio.* Imprimis, illud *probabile* respectu *tenuissimè probabilis*, solùm habet vim probabilioris, nisi velit illud *tenuissimè probabile* includere ignorantiam invincibilem legis, quod non vult, dicens, *non attentô gradu majoris probabilitatis.* Deindè, per hanc *tenuissimam probabilitatem* non tollit *probabilitatem pro lege*, quæ includitur in isto probabili fundamento contra legem; quia, uti patebit infrà *dub.* 7. *num.* 37. dum concludit, *probabile esse, non esse contra legem,* indivisibiliter concludit, *probabile esse, esse contra legem*, & sic docet licere sequi fundamentum, sive opinionem probabilem contra legem, quâ parte dicit, licere sequi istam *opinionem probabilem*, neglectâ *tenuissimâ probabilitate* sive *aliunde rationis aut opinionis adversæ nullitate* pro lege: sed evidentius Regula 2. quam *ibidem* §. 1. præmittit, asserens, *eam opinionem tutam esse, quæ argumentis, quantum materia moralis patitur, validis fulta, nullâ aliunde ratione aut opinione adversâ colliditur:* quia, præcisâ ignorantiâ invincibili obligationis hujus, illa semper adversam sub iisdem argumentis probabilibus concludit, ut diximus. Unde hinc iterum ex toto D. Caramuelis *Apologema* confirmat, nisi istam *tenuissimam probabilitatem* sive hanc *aliunde rationis aut opinionis adversæ nullitatem*, sic explicet, ut includat ignorantiam invincibilem legis, quam his verbis, *nec ratione ignorantiæ invincibilis* rejicit; & dicat tandem cum

cum Job cap. 6. verſ. 7. *Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt.* Addit ſecundò: *Nec quia eſt certæ veritatis.* Quæro: an veritas ignoretur vincibiliter, an invincibiliter? Si prius: recurrit oppoſitio facta *num.* 35. Si poſterius: Oppoſitio facta *num.* 36. & Jobi cibus in anguſtiis. Addit tertiò: *Sed quia eſt certæ bonitatis.* Verum in tribus caſibus ſuprà *num.* 28. memoratis, eſt *certa bonitas*, & tamen per ipſum obligatio *improbabilis*, quæ non cohærent.

37 Ad num. 23. Vereor, attentis jam præmiſſis contra ea, quæ habet *num.* 22. nè D. Caramuel hanc retortionem faciat. *Sic rejecta regula omnes* Vincentii Baronii *evertit argumentationes, quas verè dicere poſſis perpetuas à Theſi exerrationes; ut mirum ſit, ac penè prodigio ſimile, eum, qui tot ſudoribus huic controverſiæ de probabilitate, quaſi* Promotheus Ceucaſo *adhæreſcit, non capere aut diſſimulare mentem meam, ad quam proximè accedit, potiſſimis argumentis, quibus me pro Mercoro impetit.*

38 Ad num. 24. Cum venia & pace P. Vincentii Baronii dixerim. Nequidem ipſe hujus Controverſiæ gnarus videtur, aut eam penetraſſe, dum illam independenter ab ignorantia invincibili excuſante à peccato reſolvere prætendit. Quoad diſpenſationes Pontificias noſtram ſolutionem habes infra *num.* 56. ante *dub.* 9.

39 Ad num. 25. Reſpondebit fortè D. Caramuel id retorquendo in ſuum Authorem. *ſed graviſſimè* Vincentius Baronius, *idq; pluries, ad minus ter aut quater in ultima iſta regula contra finem à ſe intentum peccavit, & incautè meam ſententiam confirmavit, & quotquot pro iſta regula habet argumenta, ſunt meæ ſententiæ confirmatoria, & regulæ mihi evidenter faventis ſenſus, quæ perindè faceſſunt, nudâ iſtius regulæ rejectione allatâ* ad num. 22. Addit quidem: *Dum ſtatuimus è pugnantibus inter ſe opinionibus anteponendam eam, quæ legi favet: hoc illi jus aſſerimus, non ratione probabilitatis, ſed ſecuritatis causâ; nam qui legi adhæret, nullum peccati & ſalutis adit periculum, quod ſemoveri vix poteſt ab adverſa opinione pro libertate.* Sed contra: *Si anteponenda opinio, quæ legi favet, non ratione probabilitatis, ſed ſecuritatis causâ*, non eſt, cur illas tres opiniones, de quibus ipſe *num.* 28. quæ favent legi, non anteponat oppoſitis, quæ favent libertati? Deindè: ſi *non ratione probabilitatis*, cur illas dicit *improbabiles*, defectu majoris probabilitatis, quam tenuiſſimæ? Denique: ſi *ſecuritatis causâ* præcisè, etiam illæ

tres habent, præcisâ majori probabilitate, securitatem: ergo hujus causâ anteponendæ, quod negat. Imò priusquam judicetur de securitate, judicandum est de periculo: ubi verò concurrunt certa libertatis, & dubia sive probabilis dumtaxat, post diligētem inquisitionem, legis possessio, pro libertate & ignorātia invincibili legis resolvendum; tum quia melior est cōditio possidentis libertatis; tum quia censetur invincibiliter ignorari lex, quatenus in possessione prævalens possessioni libertatis: alioqui resolvere debet, sub ignorantia invincibili legis esse resolvendum pro lege, quod est erroneum ex dictis *dub.4.resol.1.pro 1. parte*; neque ipse id resolvere potest, ut sequitur à fortiori ex præmissis *num.36*. Unde verendum, nè etiam D. Caramuel, quod Author ille *ibidem* subdit, in ipsum sic retorqueat: *hac refutatione occupavimus, & evertimus, istius Authoris potissimæ Regulæ interpretationem. Oleum planè & operam perdit, dum ità contra nos arguit*: debeo eligere opinionem securam; ergo pro lege post diligentem inquisitionem dubiè & probabiliter dumtaxat possidente, contra libertatem certò possidentem. *In hac consequentia inconsequenti probanda mirè sibi placet, & vult videri adeò acutus, ut possit extundere aquam è pumice, oleumq; de saxo durissimo, & quidlibet ex quolibet elicere.*

40 *Ad num.26.* Eandem retortionem timere debet; quia ipsius argumenta evanescunt nudâ quartæ regulæ & interpretationis ejus, quam adfert, *num.35.* à nobis præmissa rejectione.

41 *Ad num.27.* Nihil urget, ut exactius præmissis responsum demus.

42 *Ad num.28.* P. Vincentius Baronius, dixi, pro Caramuele contra se pugnat, & suam potissimam regulam per tres illas opiniones, quas fatetur *improbabiles* destruit, ut vidimus *num.36. & 39.* licèt enim ibi de illis hoc asserat, *ità planè improbabiles pro lege opiniones, magis sunt certæ honestatis & securæ, quàm quæcumque à* Caramuele *&* Diana *probabilissimæ pro libertate invectæ.* Tamen *ibidem* ante §. 1. sic resolvit: *Deindè admittimus probabilitatem, quæ stat pro libertate, tutam fieri posse, si nulla impetatur opinione, aut ratione sibi infestâ; vel ità invalescat* (nota) *ut tenuissimam ac penè nullam opinioni contrariæ probabilitatem relinquat, quales sunt tres, quas subjungo,* videlicet suprà allatæ: his autem oppositas, Caramuel & Diana putant probabilissimas pro liber-

tate

tate invectas: quomodò igitur est ità sui oblitus, ut de illis hîc dicat, *ità planè improbabiles pro lege opiniones magis sunt certæ honestatis & securæ, quàm quæcumque à Caramuele & Diana probabilissimæ pro libertate invectæ?* Si capiat ipse, non satis expressit: quia hinc velle debet illas tres sibi improbabiles, esse magis certæ honestatis & securas, quàm sint sibi probabilissimæ oppositæ.

43 *Ad num.* 29. Verè dixit, *verè catenam vocari, quam sibi nectit Caramuel, & arctiùs implicat, dum nititur nos Jansenismô alligare, & illius erroris putat se festucam videre in oculo nostro, & ex charitate velle eruere, nec palpat, nec sentit, in suo trabem erroris omnium gravissimi.* (Non quidem *qui possit incautos in Atheïsmum detrudere, à quo proprius ejus principia absint, quam nostra à Jansenismo*, ut malè putat Author ille; quia id satis præoccupatum est suprà, ante *dub.* 5. à *num.* 5. *ad* 12. sed quem tetigimus hîc num. 19.) *Quoad nos attinet vidεmus toties objectum Jansenismum, & nulla verisimili ratione probatum, & sæpiùs à nobis validè depulsum.*

44 *Ad num.* 30. Melius dixisset, *& suam Responsionem, & dictum Caramuelis, plures habere errores, quàm verba.* Tum quia, ista Responsio in hoc Dictum incidit, ut patet ex præmissis; tum quia fundatur in regula & ejus interpretatione, quatenus *opinionem pro lege omninò à quæstione de ignorantia invincibili sejunxit*, efficaciter rejectis. Tum quia, malè supponit à se benè dictum, *Regulam suam posse conciliare dissidentes hac in re modernos Theologos ab Antiquis Sanctis Patribus.* ut vidimus suprà *dub.* 3. *num.* 98. *in Coroll.*

45 *Ad num.* 31. Resolutioni à nobis statim adferendæ apparenter favet, si hoc solùm excipias, quod quidem ignorantia invincibilis tolli aut resolvi possit in ignorantiam vincibilem per oppositam opinionem probabilem, ante adhibitam sufficientem diligentiam ut vincatur, cum reverà sit vincibilis tantum: sed non post hanc, sic adhibitam, ut positâ ex una parte antecedenter certâ possessione libertatis, per opinionem ante istam adhibitam diligentiam possessio pro lege evinci non possit; quia hôc casu, ut patet, est ità judicio prudentum, imò reipsâ, invincibilis, ut sola scientia, sive notitia moraliter certa (quam hîc scientiam vocat D. Caramuel) tolli possit: neque in eo est periculum erroris, aut umbra recessus ab Apostolo *inexcusabiles* pronuntiante

antiquos &c. quia Dei cultus ab istis Philosophis neglectus, neque supponit adhibitam sufficientem diligentiam ad vincendum opinionem, vel potius errorem, de Deo non colendo, neque sub hac sufficienti adhibita diligentia ignorantiam invincibilem possessionis legis de Deo colendo in concurrentia opinionis pro libertate de non colendo, cujus sit certa possessio; quia, neque ista libertas; neque hæc possessio legitima esse unquam potest, ut patet. Vide *dub.7. resol.* 11. & 21. ubi de his specialius, ut consideranti patebit. Dixi *apparenter*: quia ut vidimus ante *dub.5. à num.5. ad* 12. Caramuel non agnoscit opinionem probabilem contra principia certa, in quæ impingit Idololatria, Atheïsmus &c. unde vereri debet P. Vincentius Baronius, nè etiam hîc à D. Caramuele excipiatur; nam illa censura est valdè exorbitans à mente D. Caramuelis, ut *locô cit.* vidimus.

46 *Ad num.*32. Respondebit Caramuel: Philosophos Dei cognitionis, & cultus necessarii habuisse principia divina fide credenda, & paulò latius, quàm peripateticè demonstrativa, contra quæ, ut diximus, non agnoscit opinionem probabilem. Et hinc evanescunt omnes *consecutiones*, quas Author ille dicit, esse contra Caramuelem *evidentissimas*, nec aliud effugium quærere debet Caramuel, aut conspicilium, ut videat Authorem istum, non solum non egisse *certis, & necessariò veris*; sed nequidem *probabilibus*.

47 *Ad num.*33. Benè confirmat ea, quæ sæpè notavimus. Sed attentis præmissis

Ego probare non possum P. Vincentii Baronii hanc, quam habet *disp.*2. *sect.* 6. §. *ultimo* totius operis sui Conclusionem. *Difficillimam & intricatissimam controversiam tandem absolvimus, solutis & exhaustis omnibus, quæ fœcundissimi ingenii Author propè infinita congessit, texendæ suæ Genealogiæ probabilitatum, cujus seriem ab orbe condito, ad nostra usque tempora deduxit, improbô prorsùs labore, & exitu non admodùm felici. Quid enim aliud expectare possis de opere adeò præpostero, quô rem à quatuor diebus natam, probari oportuit mundo fuisse corvam, ejusdem cum cœlo originis & perennitatis? Quot & quanta necessè fuit comminisci ad comparandam antiquissimæ nobilitatis opinionem, inventô novô, cujus primum Authorem superior ætas tulit?* &c. *Et hæc præter argumenti dignitatem, & amplitudinem maximam, causa fuit prolixioris hujus dissertationis,*

quâ

quâ respondendum fuit Authori, qui infinita congessit; omnia decurrit, omnia delibavit, pauca ac propemodum nulla seriò & accuratè tractavit. Si hanc methodum imitatus, plurimis delibatis, nihil definivissem; quid ex nostra concertatione reportares, erudite Lector, emolumenti? Reverà difficillimam & intricatissimam illam controversiam nedùm exhausit, dum quæstionem de ignorantia invincibili à peccato excusante sejunxit, ut vidimus *numero* 30. Sed nequidem attigit, ut suprà probatum est; & Caramuelis catenam fugiens, quam frangere non poterat, in ejusdem probabilitatum præcisè puteo submergi maluit: quid autem hinc emolumenti queat reportare Lector, non video, nisi *dissertationem de ignorantia invincibili excusante à peccato* &c. adjungat, quam sejunxit; & resolvat, post adhibitam sufficientem pro lege inquisitionem, sub ignorantia legis invincibili præviè certam possessionem libertatis contra legem à peccato excusare, ut suprà probavimus, & iterum infra *dub. 7. resol. 11. & 12.*

DUBIUM SEXTUM.

An hæc propositio. Peccant omnes, qui in materia conscientiæ sequuntur opinionem probabilem præcisè, *defendi possit sine Hæreseos Jansenianæ periculo?*

RESOLUTIO.

48 Dico. Propositio hæc *peccant omnes, qui in materia conscientiæ sequuntur opinionem probabilem præcisè*, non solum, sine ullo hæreseos Jansenianæ periculo defendi potest; sed conformiter ad S. Scripturam, decreta Pontificum, SS. Patrum ac aliorum authoritatem, & rationes efficacissimas, debet.

49 Probatur prima pars: quia totum periculum, quantum colligitur ex hæreseos Jansenianæ catena à D. Caramuele efformata, & contra ipsum paulò ante efficaciter soluta, consistit in hac propositione, *ignorantia invincibilis non excusat à peccato*, sine qua D. Caramuel putat hanc defendi non posse, *peccant omnes, qui in materia conscientiæ sequuntur opinionem probabilem præcisè.* Atqui: neque in hac propositione, *ignorantia invincibilis non excusat à peccato*, hôc modô intellecta, *Ignorantia libera in causa, quæ si contra legem sit, est for-*

male peccatum, indistinctum ab habitualiter perseverante, in quo fuit actualiter, & adhuc est habitualiter libera, quæ quatenus, attentô actuali statu ignorantis oritur necessariò à causa, quam hîc & nunc actualiter tollere non potest, est invincibilis, non excusat à peccato, indistinctò ab habitualiter perseverante, in quo fuit actualiter, & adhuc est habitualiter libera. est ullum periculum hæreseos Jansenianæ, uti præmissa ad *dub.* 4. & ejus *resol.* ad *dub.* 5. & ejus *resol.* & ad hoc *dubium*, consideranti patebit, imò in illius rejectione est longè gravioris hæreseos periculum, ut statim contra D. Caramuelem à *num.* 15. *ad* 21. vidimus. Neque ad alteram propositionem defendendum, est necessarium defendere istam propositionem, etiam istô modô intellectam; sed hanc dumtaxat, *omnes, qui in materia conscientiæ sequuntur sententiam probabilem præcisè, sequuntur in materia conscientiæ ignorantiam vincibilem, nullus invincibilem*, siquidem, *omnes peccant, qui in materia conscientiæ sequuntur ignorantiam vincibilem*: ergo &c. Major est indubitata ex principiis D. Caramuelis Adversarii, allatis ante *dubium quintum*. Minorem fatebuntur omnes, qui statim, & locis citatis, præmissa maturè perpendent. Consequentia est legitima, & ex præmissis ut sic certis & indubitatis demonstrativa ad mentem D. Caramuelis, ut vidimus ante *dub.* 3. *num.* 17. Ergo & hæc propositio consecutiva, *peccant omnes, qui in materia conscientiæ sequuntur opinionem probabilem præcisè, sine ullo Hæreseos Jansenianæ periculo defendi potest*, est legitima, & ex isto syllogismo certo & indubitato, ad hominem demonstrativa: ac proindè tantum nostra sententia ab hæresi Janseniana recedit, quantum oppositi ad hominem demonstratio.

50 Probatur secunda pars: ex dicendis *dub.* 7. per totum; sed maximè *resol.* 7. 8. & 9. quæ, ne idem repetere debeamus, ibi tanquam propriô locô commodius videre poteris.

D. CARAMUEL.

Apologematis *pro doctrina de probabilitate* Epist. 2.

1 N*Um.* 80. & 81. Dabo igitur aliqua Protheoremata, sine quibus, nec sciri poterit, quid Juniores affirmant, neque quid D. Fagnanus impugnare conatur. Sit ergo Resolutio.

2 I. Opinio probabilis abstractim sumpta, dicitur, *quæ pro se habet rationes fortes, nullam autem demonstrativam: quæ contra se habet rationes fortes, nullam autem demonstrativam.* Secunda pars oritur ex primâ. Hæc definitio est Rationali & Authenticæ, intrinsecæ & extrinsecæ communis, ut statim videbimus.

3 Ut eam exactè intelligas, adnotato, propositionem, quæ non est per se nota, suaderi ratione, vel nullâ, vel levi, vel gravi, vel demonstrativâ. Si nulla, dicitur *dubia negativè*: si levi, *dubia positivè*: si gravi, *probabilis*: si demonstrativâ, *indubitata & certa*.

4 Dubium negativum à positivo distinguitur realiter; non autem moraliter aut virtualiter. Et demonstratur; quia, cum rationes leves ad regimen conscientiæ non serviant, ità se habent, ac si essent nullæ, ac si in rerum naturâ non essent. Ergo dubium positivum, ut realiter habeat rationes aliquas, moraliter loquendo, habet nullas. (Caveat Lector, ne dubium cum probabilitate confundat: id enim frequentissimè facit D. Fagnanus: nam hæc ad conscientiæ securitatem sufficit, illud non sufficit.)

5 *Num.* 82. *&* 83. V. *Repugnat alteram contradictionis partem esse probabilem, & alteram non esse probabilem.*

6 Patet: quia ubi adest evidentia, abest probabilitas: & ratio gravis illa dicitur, quæ habet solutionem, non quidem evidentem, sed gravem; quæ autem solvi non potest, quamdiu solvi non potest, est demonstrativa. Solutio gravis, nascitur à ratione gravi sententiæ oppositæ. Ergo repugnat rationes hujus sententiæ benè & plausibiliter solvi, nisi opinio opposita habeat rationem plausibilem & bonam, ex qua illa bona & plausibilis solutio nascatur. Et hîc abesse logomachias desiderans, moneo, Aristotelem malè Probabilitatem definiisse: illud enim, quod placet pluribus, melioribus doctioribusque, non est jam merè probabile, sed probabilius: nam ut sit probabile (nempe, authenticâ) sufficit, ut multis bonis & doctis placeat. Quamobrem, si quis loqui volet cum Aristotele, auferet divisionem notissimam, certissimamque, quâ Positiones in Magis, Æquè, & Minus probabiles dividi solent:

7 VI. *Formido est quidam erroris timor: qui reperitur in omni opinione probabili.* Sed ubi, quæso, reperitur hic timor? In objecto, an in actu? In objecto communiter. Rem expono.

8 Hæc propositio: *Materia existit existentiâ formæ.* Est probabilis: & Dominicanus illam defendit cum formidine objectivâ, non cum formali. *Sanè cum objectiva.* Quia ex vi rationum, quibus à suis Authoribus probatur, hujus Assertionis objectum potest aliter se habere, &

re, & fortassis aliter de facto se habet. *Sanè sine formali.* Quia Dominicanus certò scit hanc esse D. Thomæ; certò scit se honestè procedere, & observare juramentum, quandò hanc tuetur; essetque perjurus, & eliceret actum certò malum & inhonestum formaliter, si diceret, *Materia non existit existentiâ formæ.*

9 *Num.* 104. Ponere volebam calamum; sed quia fortè majori luce indiges, ut inoffensô pede ingredi possis in scholam, præsentemque disputationem audire: addam sequentes lineas, ut tuis oculis videas, nec non manibus palpes, quàm crassos errores Viri in una Facultate magni, si in aliâ, quam ignorant, audescant, frequentissimè incurrant. Attende.

10 Assertio prima. *Certitudo honestatis est duplex: formalis videlicet & objectiva. In omni opinione probabili, reperitur certitudo honestatis formalis, & incertitudo honestatis materialis seu objectivæ.* Honestates has duas D. Fagnanus confundit: quia, ut opinor, hanc distinctionem primæ Tonsuræ Theologis notam, apud Canonistas non audivit. Sanè honestas formalis est actus, & objectiva objecti. Dicit Petrus. *Deipara sine labe est concepta.* In hac propositione duo consideranda sunt: actus ipse & objectum. Hoc est probabiliter verum, probabiliter consonum sacræ Scripturæ, adeoque probabiliter honestum: nam, si per impossibile esset sacræ Paginæ dissonum, nec verum, nec bonum, nec honestum esset. At ille (actus) non est probabiliter honestus, &c. sed certò honestus, certò licitus, certò bonus: quamobrem à sanctiss. D. N. Alexandro VII. non solum, qui illum esse malum, sed qui dubitant, an sit bonus, damnantur. Vide num. 51.

11 *Num.* 105. Assertio secunda. *Malitia est duplex: absoluta videlicet & hypothetica. Vocamus* absolutam *illam, quæ de facto actui inest*; hypotheticam, *quæ de facto non inest, sed inesset, si aliqua poneretur conditio.* Hanc etiam distinctionem ignorat D. Fagnanus, & ideò has duas malitias, totô cœlô differentes, confundit. Fertur lex à legitimo Superiore, ne quis deferat gladium. (Pono esse necessariam, & ex nullo capite invalidam.) manet in Cancellariâ: non publicatur. Ausonius bonâ fide gladiô accinctus in forum prodit. Annè hæc actio est mala? Aio hanc Ausonii actionem, nec formaliter, nec materialiter esse legi contrariam: adeoque nec formaliter, nec materialiter malam:

lam: non enim habet malitiam absolutam, sed hypotheticam: nam in illo Ausonii actu malitia de facto non est, esset tamen, si lex esset sufficienter promulgata, ità ut ab Ausonio cognosceretur. Ratio est: quia Legislator non vult, imò nec potest, suâ lege obstringere illos, qui eam invincibiliter nesciant. Hinc ad Decalogum & Jus divinum transeo. Est Decalogus, lex liberè lata, saltem quoad totam secundam Tabulam, ut cum Scotistis existimo. Ut ut sit necessariò lata, est liberè intimata in utraque sententia, ut optimè suadent Salmanticenses, *tom.* 4. *tract.* 1. *disp.* 7. *dub.* 1. *num.* 2. *pag.* 149. Nulla lex illum, qui eam invincibiliter ignorat, obligat: & nulla illi, qui eam invincibiliter ignorat, legitimè & sufficienter intimata est. Porrò exemplum. Joannes de la Val *in Compendio Bonacinæ*, verb. *Matrimonium*, n. 124. sic inquit. *Probabile est, non esse denegandum debitum conjugi, petenti solum cum peccato veniali.* Et citat Bonacinam *tom.* 1. *pag.* 305. *num.* 10. *&* 11. Ponamus hanc conclusionem esse falsam. Ergo stando hypothesi erit matrimonialis lex, *Ne debitum reddito conjugi, petenti cum peccato veniali.* Sed quibus hæc lex posita? illísne, qui illam invincibiliter ignorant? Minimè; quia illis non est sufficienter proposita. Ergo nec illis, qui oppositum probabiliter putant: nam nec his est sufficienter proposita; invincibiliter enim ignorant veritatem. Pergamus. Arsinda Theodoro, suo marito reddidit debitum: aut menstrui tempore (hoc enim exemplô utitur eximius & ingeniosus Doctor Bonacinæ Abbreviator *ubi supra*:) aut peccanti venialiter quoad modum (si in hoc veniale potest dari.) Peccavit illa? Formaliter non peccavit: quia actum formaliter honestum elicuit; nam sequebatur opinionem probabilem, quam falsam esse ignorabat invincibiliter, quam, aut rationum pondere pressa, aut saltem Theologorum authoritate ductâ, prudenter veram judicabat. An peccavit illa materialiter? Nec hoc: violavit enim legem, quæ sibi, utpotè nondum sufficienter proposita, nondum erat imposita. Superest igitur, ut illa debiti redditio in hoc casu habeat malitiam hypotheticam: non quidem malitiam, *quæ sit*; nulla enim est formaliter, aut materialiter; sed *quæ esset*, si illa lex fuisset sufficienter hominibus intimata.

12 *Num.* 106. Sanè in omni Opinione probabili datur ignorantia invincibilis (& hæc unica linea toti libro D. Merendæ, toti libro

D. Fagnani respondet: ipsi enim frequenter eò argumentum propellunt, ut dicant, debere nos veritatem diligentius inquirere:) qui enim veritatem scit, opinionem non habet: & qui scire potest, habet ignorantiam crassam & superabilem, ac propterea virtualiter scit (hoc est, prudentum judiciô ità se habet, ac si de facto sciret) & ideò excusari non potest: ex hac etiam doctrina totî libro D. Prosperi Fagnani satisfit: omnia enim, quæ dicit, possunt ad hanc formam reduci.

13 *Agens morale, ut licitè operetur, debet habere certitudinem de honestate & bonitate sui actus.*

14 *At ille, qui juxta probabilem operatur sententiam, de honestate & bonitate sui actus non habet certitudinem, sed solummodò probabilitatem.*

15 *Ergo, qui juxta probabilem operatur sententiam, non operatur licitè.*

16 *Ergo, peccat, qui in materia conscientiæ sequitur opinionem probabilem.*

17 Et constat ex dictis responsio. Sic inquam. *Agens morale, ut licitè operetur, debet habere certitudinem de sui actus honestate & bonitate: formali*, concedo. *De materiali*, nego. Nam, cum mihi Superior præcipit aliquid, quod est probabiliter bonum, certò scio meum actum formalem, quô obedio, honestum esse: & tamen utrum materia & objectum, circa quæ ille actus versatur, sint bona, incertum est.

18 *At ille, qui juxta probabilem operatur sententiam, non habet certitudinem, sed probabilitatem solummodò de sui actus honestate & bonitate: formali.* Nego. *De objectiva & materiali*, transeat. Consultò dixi *transeat*; nam juxta Assertionem secundam, in plerisque omnibus probabilitatibus abest etiam malitia materialis: unde, etsi opinio, quam sequor, esset falsa, meus actus esset bonus formaliter & materialiter.

19 *Ergo*, &c. nego primam illam consequentiam rotundè.

20 *Ergo*, &c. nego secundam etiam: Nam ex præmissis negatis, non autem concessis deductæ.

AUTHOR.

21 Satisfit iis, quæ D. Caramuel habet *num.* 80. 81. 82. *&* 83. Ac imprimis admitto definitionem opinionis probabilis abstra-ctim sumptæ: nondum tamen tutæ; nisi sub ultimis particulis *nullam autem demonstrativam* subaudiat, *sed, post sufficientem adhibitam legis ex opposito obligantis inquisitionem, legis ex opposito obligantis ignorantiam invincibilem*; quia alioqui, ante istam inquisitionem & hanc ignorantiam, *Opinio, quæ pro se habet rationes fortes, nullam autem demonstrativam*, per opinionem probabilem legis ex opposito obligantis, admittit, hujus ignorantiam vincibilem, quæ in omnium Orthodoxorum sententia non excusat à peccato. Si illud prius subaudiat, longè tutior & magis Orthodoxa est ipsius, quàm Vincentii Baronii sententia, ut patet ex præmissis contra hunc ante *dubium* 5. & 6. sed eo subauditô seipsum jugulat, & in D. Fagnano impugnat, quod ipsemet sentit. Si hoc posterius, evidenter errat. Quidquid tamen de ejus mente sit, procedo ad ea, quæ habet num. 82. & 83. Ac proinde

22 Quærò primò. An opinio illa formalis non trahat secum formidinem formalem in intellectu de eo, *quod fortè sit vera* ob rationes fortes veritatem suadentes, & *simul fortè falsa*, ob rationes fortes simul falsitatem suadentes; nam *ibidem Protheoremate V.* sic habet, *Repugnat alteram contradictionis partem esse probabilem, & alteram non esse probabilem*: sicut opinio objectiva, ei respondens, secum trahit formidinem materialem in objecto de eo, *quod fortè sit vera*, ob rationes fortes veritatem suadentes, & *simul fortè falsa*, ob rationes fortes simul falsitatem suadentes; nam *ibidem Protheoremate VI.* sic habet, *Formido est, quidam erroris timor, qui reperitur in omni opinione probabili.* Et addit, *Sed ubi, quæso, reperitur hic timor? In objecto, an in actu? In objecto communiter.* Igitur vel in objecto ut objecto opinionis probabilis reperitur erroris timor, vel in objecto ut condistincto ab objecto opinionis probabilis? Si prius: objectum ut objectum opinionis probabilis, est timor objectivus seu formido objectiva, id est *objectum, quod potest aliter se habere, & fortassis aliter de facto se habet*, ut loquitur *ibid. num.* 83.

 Infero:

Infero: ergo, ſicut objectum ut objectum opinionis formalis probabilis eſt timor objectivus ſeu formido objectiva, ſive objectum ut objectum formidinis formalis, ità opinio formalis probabilis eſt timor ſeu formido formalis; nam actus, qui objectô ſaltem inadæquatô non diſtinguuntur, pluſquam numerô non diſtinguuntur: ergo timor ſeu formido formalis in actu ut actu opinionis formalis ſemper reperitur, & non tantum in objecto communiter. Si poſterius præterquam quod male dicat, in objecto omnis opinionis probabilis reperiri timorem erroris, ſi hic poſt ſufficientem adhibitam inquiſitionem invincibili judicio de illius ignorantia invincibili ſubjiciatur.) Manet quæſtio: cur, ſicut omne objectum opinionis formalis probabilis trahit ſecum objectum condiſtinctum formidinis formalis, ità omnis opinio formalis probabilis non trahat ſecum formidinem formalem condiſtinctam? non enim eſt ratio, cur opinio formalis probabilis præcisè magis impediat formidinem formalem condiſtinctam, quàm objectum ut objectum opinionis formalis præcisè impediat objectum condiſtinctum formidinis formalis. Igitur conſequentia tenet à pari: nec eam negare poteſt D. Caramuel abſque *Logomachia*, quam *abeſſe optat.*

23 Addit quidem *num.* 83. Hæc propoſitio *materia exiſtit* &c. Sed reverà id non ſatisfacit: quia ſaltat ab opinione probabili præcisè ad ſcientiam, *quâ Dominicanus certò ſcit hanc eſſe D. Thomæ; certò ſcit ſe honeſtè procedere, & obſervare juramentum, quandò hanc tuetur: eſſetque perjurus, & eliceret actum certò malum & inhoneſtum formaliter, ſi diceret, materia non exiſtit exiſtentiâ formæ.* Opinio autem probabilis præcisè ab his omnibus præſcindit, & tantum ab his differt, quantum opinio à ſcientia, juramento &c. Neque id eſt, opinionem formalem probabilem præcisè non trahere formidinem formalem, uti opinio objectiva probabilis præcisè trahit formidinem objectivam; ſed adjectam formalem ſcientiam, juramentum &c. impedire formalem formidinem de errore morali formali, quomodò adjecta objectiva ſcientia, juramentum &c. ſimiliter impedit formidinem objectivam de errore morali objectivo, de quo ſolo hîc eſt ſermo, quidquid ſit de phyſico iſto objectivo, qui hîc parum curatur, modò ille vitetur.

Adde: quod in materia indifferenti, & utrinque probabili de exiſtentia materiæ per exiſtentiam formæ, *Dominicanus* juxta Caramuelem

lem *esset perjurus, & eliceret actum certò malum & inhonestum formaliter, si diceret*, materia non existit existentiâ formæ: *quia certò scit, hanc opinionem esse D. Thomæ, certò scit se honestè procedere, & observare juramentum, quandò hanc tuetur.* Ergo in materia morali & periculosa D. Caramuel erit prævaricator, & eliciet actum certò malum & inhonestum formaliter, si, positâ ratione utrinque probabili præcisè, dicat pro libertate contra legem possidentem, *lex non obligat*; quia certò scit, hanc sententiam, *qui amat periculum peribit in illo*, esse S. Scripturæ, certò scit se honestè procedere, & observare fidem, quandò istam sententiam tuetur.

24 Quæro secundò. In quo differat objectum formidinis formalis ab objecto dubii positivi formalis? D. Caramuel hîc nullam differentiam adfert, nec potest; quia nulla est: nam objectum dubii positivi formalis est, *quod potest aliter se habere, & fortassis se aliter de facto habet; quod fortè ita est, fortè ita non est* &c. quod totum, & nihil plus, aut minus, ad objectum formidinis formalis requiritur, ut consideranti patebit. Hôc autem datô, dubium positivum formale & formido formalis, nequidem objectô inadæquatô distinguentur; ac per consequens non distinguentur plusquam numerô, ut supra vidimus: & hinc consequenter, eôdem modô se habet dubium formale ad opinionem formalem præcisè, quô ad hanc se habet formido formalis. Item, sicut ex præmissis, omnis opinio formalis præcisè, vel est formido formalis, vel hanc secum trahit; ità omnis opinio formalis præcisè, vel est dubium formale, vel hoc secum trahit: ac proindè opinio probabilis præcisè, formido & dubium positivum, allatô sensu disjunctivô, rectè confunduntur, sive de formali agatur, sive de objectivo.

25 Unde D. Caramuel hîc cautelam valdè crudam apponit, dicens, *Caveat Lector, ne dubium cum probabilitate confundat, id enim frequentissimè facit D. Fagnanus.* Cur non benè? *Nam hæc*, inquit D. Caramuel, *ad conscientiæ securitatem sufficit, illud non.* Cur secus, si rectè confundantur, ut vidimus? Non sunt loquelę, neque sermones. Resp. *confundere caveat.* Reponit D. Fagnanus *caveat in praxi cõscientiæ distinguere*, & multis probat periculum, & quod *qui amat periculum, peribit in illo.* Eccl. 3. Quibus, utpotè principali fundamēto hujus propositionis, *Ad securitatē conscientiæ non sufficit opinio probabilis præcisè.* Quam D. Caramuel Apologemate

 accerri-

acerrimô contra D. Fagnanum impetit, fortiùs obsistere debuisset, quàm unicô *caveat* debilissimô, nè convictus videretur, prout reverà est: quod sic probo. Non ob aliud dubium non sufficit ad conscientiæ securitatem, quàm quia in dubio non datur ignorantia invincibilis ejus, de quo dubito; nam ubi hæc adest, nulla formido erroris, nullum est periculum peccati, novi & actualis, distincti à sua causa habitualiter non perseverante: atqui in nulla opinione probabili datur ignorantia invincibilis ejus, de quo opinor, uti *dubium* 5. probatum est. Vide sex *Probat. minoris* ibi allatas. Ergo &c.

26 Confirmatur. Ideò dubium ad conscientiæ securitatem non sufficit; quia dubitans reflexivè judicat (sive ob rationes nullas, sive ob leves, perindè est,) *fortè esse licitum*, *fortè non esse licitum*; & ideò securitatem conscientiæ non habet, quam haberet, si invincibiliter judicaret, *se invincibiliter ignorare, non esse licitum*, ut statim diximus: atqui opinans probabiliter, cum, ipsô Caramuele fatente, pro se habeat rationes fortes, & contra se habeat rationes fortes, reflexivè judicat, *fortè esse licitum*, *fortè non esse licitum*, quod per rationes utrinque fortes non magis tollitur, quàm per rationes utrinque nullas, ut patet: ergo similiter opinio probabilis ad conscientiæ securitatem non sufficit: ergo malè *cavet* D. Caramuel, quod benè *confundit* D. Fagnanus. Igitur ulterius

27 Ut satisfiat iis, quæ habet D. Caramuel *num.* 104. Quæro imprimis. An actus, quô Petrus præcisè dicit, *Deipara sine labe est concepta*, quatenus id præcisè dicit, sit *certò honestus*, *certò licitus*, *certò bonus*, vel non; sed nonnisi quatenùs attingit per se, vel per actum adjunctum, hoc aliud objectum propter quod, *quia pluries juravi piam sententiam me defensurum esse*, *&* *Ecclesia*, *ut ut concedat*, *quod sentiam alterutrum*, *jubet tamen*, *ut vel taceam*, *vel loquar cum Doctore subtili*? Si prius: cum istam certitudinem accipere debeat ab isto objecto præcisè, istud objectum præcisè debet esse objectivè *certò honestum*, *certò licitum*, *certò bonum*, prout ille actus formalis, præcisè per ordinem ad illud, est formaliter *certò honestus*, *certò licitus*, *certò bonus*, ut patet; quia, uti quod post Augustinum & Aristotelem omnes docent, *ex objecto & potentia*

tentia paritur notitia ; ità ex objecto certo & potentia paritur notitia certa : alioqui non satis apparet, cur Wicleffus, Arius, Lutherus, Calvinus, & similes Hæresiarchæ, non habuissent notitiam certam de suis erroribus & hæresibus objectivis, præcisè sistendo in suo privato spiritu cornuto ; quem, dum sic confirmat D. Caramuel, Cathedræ Petri, ut fidei controversiarum Judicis necessitatem infirmat, & tollit, ut consideranti patebit : ac per consequens falsa est *Assertio prima* D. Caramuelis, falsum, quod subdit, *hoc objectum est probabiliter honestum. Ille actus non est probabiliter honestus, sed certò honestus* &c. Benè è contra Dominus Fagnanus ibi honestatem formalem & objectivam hâc ratione confundit, quod, ibi præcisè sistendo, ibi non sit certitudo honestatis formalis, nisi sit certitudo honestatis objectivæ, nec sit incertitudo aut probabilitas objectivæ, quin ei respondeat sua formalis. Unde D. Caramuel, ut retorsione utar, *ibi honestates has duas malè* distinguit; *quia, ut opinor, istam* confusionem *primæ tonsuræ Theologis notam, apud* Apologistas *non audivit.* Si posterius dicat, ut debet, sibi contradicit: nam actus ille est *certò honestus, certò licitus, certò bonus* ; non quatenùs præcisè tendit in hoc objectum *Deipara sine labe est concepta* ; sed quatenùs per se, vel adjunctum actum, attingit istud aliud objectum *propter quod* ; à quo totam suam moralem certitudinem emendicat : & si objectum cum tali adjuncto objecto consideres, non minus, quàm actus sit formaliter, erit objectivè *certò honestum, certò licitum, certò bonum.* Unde hîc iterum D. Caramuel duas honestates malè distinguit, quas D. Fagnanus, sensu datô, benè confundit, & ut telum in D. Fagnanum malè vibratum iteratò in ipsum retorqueam, *oculis videmus, nec non manibus palpamus, quàm crassos errores, D. Caramuel, vir alioqui magnus, in Apologia audescens, frequentissimè incurrat.* Sive ut subtiliter P. Vincentius Baronius *disput.* 2. *sect.* 1. Exam. 3. Epist. Caram. §. 3. *Id nobis ignorantiæ prodigium est, aut temeritatis, dari veritatem, aut falsitatem, certitudinemque, cui nulla objectiva respondeat : hoc nè Deo quidem concessum est, ut scientiam habeat rei non scibilis, id est veritatem formalem rei, quæ objectiva careat.*

28 Adde

28 Adde tamen, D.Caramuelem ad certitudinem honestatis istius actus illud adjunctum requirere, ut patet partim ex præmissis contra ea, quæ habet *num.* 83. partim, ex iis, quæ *ibidem* habet num. 84. *Similiter hæc propositio*, Deipara sine macula concepta est (*quæ ad fidem & mores pertinet, ut demonstrabitur inferius*) *est probabilis. Illam pronuncio cum formidine; sed objectivâ, non formali.* Sanè cum objectivâ. *Quia rationes, quibus à Scoto probatur, non sunt demonstrativæ: & ex vi illarum potest res ipsa aliter se habere, & forsitan aliter se habet.* Sanè sine formali. *Quia pluries juravi (in omni enim promotione Academicâ hoc laudabile juramentum emittitur,) piam sententiam me defensurum esse: & Ecclesia, ut ut concedat, quod sentiam alterutrum, jubet tamen, ut vel taceam, vel loquar cum Doctore Subtili. Ergo dicendo*, Deiparam sine macula conceptam esse. *non jam dubiè, non jam probabiliter, sed certò scio, me benè loqui, me honestè loqui, me stare juramento proprio, & Ecclesiæ præcepto: & peccarem omninò, perjurus & inobediens essem, & elicerem actum, non jam dubiè, non jam probabiliter, sed certò malum & inhonestum, si linguâ contrarium assererem.*

29 Satisfit tertiò iis, quæ D. Caramuel habet *num.* 105. Imprimis admitto distinctionem ibi allatam, quam Vincentius Baronius locô citatô absque ulla ratione *paradoxum & commentum novum* vocat; cum malitiam absolutam indubiè agnoscat, & hypotheticam agnoscere debeat, quæ esset absoluta, si abesset ignorantia invincibilis, quam nobiscum vult excusare à peccato, licèt hanc malè sejungat à sequenda opinione pro lege, supra ad *dub.6. n.36. & 39.* Sed reverà D. Caramuel *dicit, quod vult, & non timet audire, quod non vult*, licèt Plautum legerit, uti notavimus suprà in præmissis ad *dub. 6. num.* 20. Dicit, *hanc distinctionem ignorat D. Fagnanus, & ideò has duas malitias, totô cœlô differentes, confundit.* Ipse hanc distinctionem fundat in ignorantia invincibili, D. Fagnanus illam noscit, approbat & confirmat ex D. Thoma, ut vidimus ad *dub.* 2. *num.* 8. *& sequentibus.* Quomodò igitur D. Fagnanus ignorat? Hoc reverà ignorat D. Caramuel. Ubi obsecro Dominus Fagnanus istas duas malitias confundit? Ignorat D. Caramuel; alioqui locum citasset. Quia tamen non omnia ignorat Dominus Caramuel.

Quæro: an (dum ad Casum de Arsinda respondet: *Formaliter non peccavit; quia actum formaliter honestum elicuit; nam sequebatur opinionem probabilem, quam falsam esse ignorabat invincibiliter, quam aut rationum pondere pressa, aut saltem Theologorum authoritate ducta, prudenter veram judicabat*) in Arsindæ opinione probabili, *quam falsam esse ignorabat invincibiliter*, formido, sive erroris timor, reperiebatur, vel non? Si prius: stat cum ignorantia invincibili falsitatis, sive erroris, timor, ac consequenter non magis ignorantia invincibilis falsitatis excusat à peccato, quàm perseverans timor falsitatis, sive erroris, quod ipse, ut vidimus in præmissis ad *dub.* 5. vult esse basim totius hæreseos Jansenianæ. Si posterius: fallit *num.* 83. ex *ipso citatô*, dicens, *formido est quidam erroris timor, qui reperitur in omni opinione probabili*; quia ibi impeditur per *ignorantiam invincibilem* &c. Deindè si ibi non reperiatur, non ideò Arsinda non peccavit formaliter, *quia opinionem probabilem præcisè secuta est*; sed *quia opinionem probabilem & judicium de ignorantia invincibili falsitatis secuta est*, & sic, non quia secuta est *opinionem probabilem præcisè*, quæ stat cum ignorantia vincibili, uti cum formidine, sive timore falsitatis seu erroris, sed quia *opinionem moraliter certam*, aut *certificatam per annexum judicium de ignorantia invincibili falsitatis*; quod judicium est tam moraliter certum, quod sequendo eam non peccetur formaliter, quàm quod ignorantia ista invincibilis excuset à peccato formali. *Hanc distinctionem ignorat D. Caramuel, & ideò has duas opiniones, totô cœlô differentes, confundit*, & sic telum, quod in D. Fagnanum malè torsit, in ipsum benè retorquetur.

30 Satisfit quartò iis, quæ D. Caramuel habet *num.* 106. D. Caramuel falsùm supponit, dicens: *Sanè in omni opinione probabili datur ignorantia invincibilis*, ut patet ex præmissis *dub.* 5. (& hæc unica linea toti libro Apologetico D. Caramuelis respondet in ruinam, toti, è contra, D. Fagnani libro in ædificationem.) Tam enim falsum est, *in omni opinione probabili dari ignorantiam invincibilem*, quàm per ipsum verum est *formidinem, sive erroris timorem, reperiri in omni opinione probabili*. Si dicat se loqui de formidine objectiva. In *Satisf.* 1. *num.* 22. rejectus est, uti & *Satisf.* 3. solutio, quam adhibet argumento Fundamentali D. Fagnani. Si addat se per opinionem probabilem intelligere illam, *quæ contra se habet rationes fortes, nullam autem demonstrativam*, præoccu-

patus est *num.* 21. & cum eâ ratione, quâ vult *formidinem, sive erroris timorem, reperiri in omni opinione probabili,* velle debeat in illa reperiri ignorantiam vincibilem oppositæ legis; non magis velle potest, opinionem probabilem, ob has particulas *nullam autem demonstrativam* excusare à peccato formali, quàm ignorantiam vincibilem, ut patet.

31 Pro clariori tamen luce distinctæ ab eo majoris, sic: *Agens morale, ut licitè operetur, debet habere certitudinem de sui actus honestate & bonitate: formali concedo. De materiali nego.* Quæro à D. Caramuele: an certitudo de sui actus honestate & bonitate sit præcisè ab actu tendente præcisè in objectum incertæ honestatis & bonitatis objectivæ: an tantum ab isto actu & simul adjuncto, quô operans invincibiliter judicat se ignorare invincibiliter inhonestatem & malitiam formalem sui actus, & ignorantiam invincibilem excusare à peccato? Si prius: actus ille certitudinem suæ honestatis & bonitatis formalis sumere debet præcisè ab objecto incertæ honestatis & bonitatis objectivæ, quod evidenter repugnat; nam objectum dare *formaliter*, quod *objectivè* non habet, tam evidenter repugnat, quàm objectum incertum *ut objectum incertum præcisè* esse objectum actus certi, objectum probabile *ut objectum probabile præcisè* esse objectum actus scientifici & demonstrativi. Si posterius: iterum quæro: an objectum istius actus & simul adjuncti actus, quô operans invincibiliter judicat se ignorare invincibiliter inhonestatem & malitiam formalem sui actus, sit objectum objectivè incertum præcisè, objectum objectivè probabile præcisè &c. sive, objectiva honestas & bonitas incerta præcisè, objectiva honestas & bonitas probabilis præcisè &c. vel non? Si sic: recurrit evidens repugnantia, de qua statim. Si secùs: objectum est certum, non probabile &c. sive objectum est honestas & bonitas objectiva certa, honestas & bonitas objectiva non probabilis &c. ac per consequens Agens morale, ut licitè operetur, tam debet habere certitudinem objectivam (eô sensu, quô formalem) de honestate & bonitate sui operis, quàm formalem. Quarè fallit D. Caramuel *ibidem* dicens, *Et constat ex dictis responsio.* nisi de falsa & nulla loquatur, uti etiam patet ex *Satisfact.* 1. Addit quidem. *Nam, cum mihi Superior præcipit aliquid, quod est probabiliter bonum, certò scio meum actum formalem,*

malem, quô obedio, honestum esse; & tamen utrum materia & objectum, circa quæ ille actus versatur, sint bona, incertum est. Sed iterum fallit, non ponens ex parte materiæ & objecti *objectum actus, quô certò scio meum actum formalem, quô obedio, honestum esse:* nam si illud ponat, statim apparebit objectum hoc, *ratione adjuncti talis objecti*, tam esse objectivè certum, quàm actus, quô obedio, sit formaliter certus, *ratione adjunctæ talis scientiæ.* Igitur

32 Pergo ad distinctionem minoris, quam subdit D. Caramuel, hôc modô. *At ille, qui juxta probabilem operatur sententiam, non habet certitudinem; sed probabilitatem solummodò de sui actus honestate & bonitate:* formali, *nego.* De objectiva materiali, *transeat.* Quæro, ut ante. An ille, qui juxta probabilem operatur sententiam, habeat certitudinem, & non solum probabilitatem de sui actus honestate & bonitate formali, à sua sententia probabili præcisè, ab actu tali sententiæ probabili respondente præcisè &c.? An tantum ab ista sententia & simul adjuncta, quod ibi operans ex ignorantia invincibili excusetur à peccato, & hinc moraliter certò operetur, ac insuper ab isto actu & simul adjuncto, quô operans invincibiliter judicat se ignorare invincibiliter inhonestatem & malitiam formalem sui actus, & ignorantiam invincibilem excusare à peccato &c.? Si prius &c. Si posterius &c. uti suprà utrumque jam aliquoties, specialiter *num.* 27. rejectum est; id enim eludendis mille talibus distinctiunculis sufficit.

33 Unde: non solum *irrotundè* utramque consequentiam negat D. Caramuel: sed manifestum est, quod *irrotundè nimis* tam asseveranter & explosoriè *num.* 106. dixerit: *Sanè in omni Opinione probabili datur ignorantia invincibilis: & hæc unica linea toti libro Merendæ, toti libro D. Fagnani respondet: ipsi enim frequenter eò argumentum propellunt, ut dicant, debere nos veritatem diligentius inquirere, qui enim veritatem scit, opinionem non habet: & qui scire potest, habet ignorantiam crassam & superabilem, ac propterea virtualiter scit (hoc est, prudentum judiciô, ità se habet, ac si de facto sciret) & ideò excusari non potest: ex hac etiam doctrina toti libro D. Fagnani satisfit.* Cum nequidem integrô sui Apologematis librô uni lineæ D. Fagnani, *In nulla opinione probabili præcisè datur ignorantia invincibilis*, sive, quam continuò impugnat, *in materia fidei & morum non sufficit opinio probabilis,*

bilis, vel solùm apparenter satisfecerit: hincque rotundissimè ac firmissimè stet, sine ulla solutione, doctrina D. Fagnani, juxta formam, ad quam ipsemet D. Caramuel illam reduxit.

34 Si verò dicat, istam lineam in tota doctrina D. Fagnani non reperiri. Respondeo: ipsum continuò, specialiter *num.* 305. his verbis, *in materia fidei & morum ad conscientiæ securitatem probabilis sententia non sufficit, est fundamentalis Maxima, quam D. Fagnanus assumit*, totam doctrinam D. Fagnani ad istam lineam reducere, ac sic ad ipsius exemplum nos illam ad *ibi* & *num.* 12. allatam reduxisse. His itaque præmissis, sit

DUBIUM SEPTIMUM.

An in materia conscientiæ, sive fidei & morum, liceat sequi opinionem probabilem præcisè, sive sine addito invincibilis ignorantiæ legis moraliter certificante?

PRÆSUPPOSITA

Ad decem Resolutiones sequentes.

PRÆSUPPOSITUM PRIMUM.

35 Suppono primò: *Opinionem probabilem præcisè esse assensum cum formidine de opposito*, sive *cui quidem falsitas subesse potest; sed pro se habet alicujus momenti fundamenta.* Addunt aliqui, *nullum tamen contra se convincens.* Sed vel hi subaudiunt, *post sufficientem adhibitam inquisitionem*, vel *ante*? Si prius: non definiunt opinionem probabilem præcisè, sed cum addito, nempe, *sub ignorantia invincibili opposita legis moraliter certificante*, & hôc datô, dicere non deberent, *licere sequi opinionem probabilem* præcisè & sine addito, sed cum isto addito dumtaxat, ut sit sensus *non licet sequi opinionem probabilem, nisi* cum addito *sub ignorantia invincibili oppositæ legis moraliter certificante*, quod non dicunt; & si dicerent, nobiscum & cum D. Fagnano convenirent. Si posterius: cum ante illam inquisitionem subsit ignorantia vincibilis, frustrà addunt, *nullum contra se convincens*: quia, hôc

hôc non obstante, manet præcisè probabilis, sub ignorantia vincibili & periculosa, quamdiu non est adhibita sufficiens oppositæ legis inquisitio, sic, ut hujus accedat ignorantia invincibilis. Dum autem D. Caramuel *Apolog. fol.* 206. vult opinionem, quæ dicit præcisè *probabile est rem esse*, æquivalenter dicere, *probabile est rem non esse*, ipse ab opinione probabili, non excludit ignorantiam vincibilem: nec illud additamentum intelligit *post*, sed *ante*, *adhibitam inquisitionem* dictam, dum opinionem probabilem definit, *quæ pro se habet rationes fortes, nullam autem demonstrativam*, id est, quæ solvi non possit pro eo tempore, quô demonstrativa dicitur, juxta illud, quod habet *ibidem num.* 82. *Ratio, quæ solvi non potest, quamdiu solvi non potest, est demonstrativa.* Nam, ut ipse loquitur *num.* 311. ibidem. *Interim: quia demonstrationis meminimus, ut sciat argumentator, quàm ego illum benignè ad demonstrationes conformandas condemno, quæ ex ultimi Syllogismi Majori potuit addiscere, ut melius sciat, his paucis dilucido Assertis. Primum* demonstratio peripatetica est impossibilis: *tam multa enim, & tam ab usu scholæ aliena postulat Aristoteles, ut hucusque nullam peripateticam in libris legerim. Secundum.* Demonstratio, quæ hodiè in mundo formatur, illa est, quæ in legitima forma construitur, habetque certas & indubitatas præmissas. *Tertium.* Certæ & indubitatæ sunt, de quibus nullus prudenter dubitat; nullus judicat esse probabiles. *Huc pertinent per se nota principia: huc Articuli Fidei: huc veritates determinatæ ab Ecclesia,* &c. *Quartum.* Propositiones Fidei quà tales ratione demonstrari non possunt: at testimoniis Fide tenendis, etiam quà tales possunt. *Quintum.* Dantur etiam demonstrationes ad hominem. *In his non requiritur formam esse legitimam, sed sufficit à respondente illam admitti. In eisdem non requiritur esse veras præmissas, sed sufficit à respondente illas concedi.*

36 Dixi *opinionem ab intrinseco probabilem præcisè*: quia opinionem ab intrinseco probabilem definit num. 89. *quæ habet sufficientem authoritatem & probabilior, quæ majorem habet authoritatem.* Et addit. *Hîc tantisper hæreamus: nam non omnes sciunt, quid Probabilitas authentica sit, secundum suum metaphysicum conceptum considerata.*

Porrò nuda Authorum nomina, etsi millena sint, non faciunt opinionem probabilem. Demonstratur: quoniam hæresis Lutherana, verbi gratiâ, multos Theologos & libros habet, & tamen probabilis non est. Ratio est; quia contra certitudinem, non datur probabilitas; & Lutheranam hæresim esse falsam certum est; nam illam condemnavit Ecclesia: cui omnes (etiam Hæretici) tenentur obedire & acquiescere.

Huic positioni, Deipara originali labe caruit, *ego probabiliter assensum præbeo: aliqui probabiliter assensum negant: at S. Brigitta, positâ revelatione, huic eidem positioni probabiliter assentiri non potuit, etsi milleni Theologi assererent, aut milleni negarent; quia, cognitâ in revelatione veritate, cessat omnis formido, venit certitudo, quæ opponitur probabilitati. Sic similiter. Huic positioni*, Si Spiritus sanctus non procederet à Verbo, non distingueretur ab eo. *Probabiliter Thomistæ adhærent: ab eadem probabiliter dissentiunt Scotistæ: & interim S. Teresia, positâ revelatione de sublimi Trinitatis mysterio, certò cognovit veritatem, & neutrum potuit probabiliter dicere: & hoc, etsi milleni Dominicani hinc, milleni Franciscani inde disputent, & suam sententiam singuli rationibus*

optimis suadeant. Hic tamen difficultatem reperit P. Vincentius Baronius *disp. 2. sect. 1. Exam. 2. Epist. Caram. §. 2.* Et subdit, *à nullo antequam Caramuelem legissem, audivi dictum, privatas revelationes D. Brigittæ, aut cujuslibet Sancti, esse indubitatæ fidei, & millenos Theologos nihil curare, quidquid contra sentiant. Non ita sanè D. Teresia & Sanctorum reliqui, quibus secreta cœlestia privatim revelata sunt, quin potius dubii & trepidi humillimè subjiciunt Theologorum censuræ, quidquid à Deo credunt se excepisse.* Verumtamen vel D. Caramuel loquitur de Dei revelatione immediata, quam bannes 22. *q.* 1. *art.* 5. & *q.* 5. *art.* 1. docet fieri per Dei intuitionem, & nos post ipsum *tom.* 3. *tract.* 2. *disp.* 1. *dub.* 3. vel de mediata per creaturas. Si prius: à Caramuele & veritate aberrat P. Vincentius. Si posterius: ille rectè, Caramuel malè. Utrumque patet.

37 *Stat igitur probabilitatem extrinsecam, non consistere formaliter in Authorum nominibus, etsi sint plurima & gravia. Ergo ut probabilitatem internam ab externa debitò modò quis discernat, lineas subsequentes consideret.*

38 Hæc omnia benè & ad mentem nostram D. Caramuel. Sed quod subdit num. 91. *Opinio probabilis ut sic, à rationali & authentica abstracta, debet sic* definiri: *Ubi non datur certitudo (hoc est, ubi ignorantiâ invincibili, non autem vincibili, quæ virtualiter scientia est, obnubilamur) opinio, quæ ratione gravi fulcitur, est probabilis.* Manifestam in terminis oppositionem involvit, videlicet *non dari certitudinem, ubi ignorantiâ invincibili obnubilamur;* nam tam certum est *ignorantiæ invincibilis obnubilationem*, esse *certitudinem moralem, quod ex tali ignorantia operando non peccetur*, etiam juxta ipsum Caramuelem, quàm indubitatum est, etiam per ipsum num. 105. *Legislatorem non velle, imò nec posse*, in foro conscientiæ & culpæ (quod malè omittit D. Caramuel; nam fallit in foro externo & pœnæ) *suâ lege obstringere illos, qui eam invincibiliter nesciant.* Et ibidem infrà: *legem, minimè esse positam illis, qui illam invincibiliter ignorant; quia illis non est sufficienter proposita.* Ac proindè omittere debuisset parenthesim, & sic verè dixisset, *Ubi non datur certitudo: opinio, quæ gravi ratione fulcitur, est probabilis*, idque consonanter suæ definitioni opinionis ab intrinseco probabilis, quam sub vera explicatione *num.* 35. præmisimus.

39 Sed petes: cur nos addiderimus præcisè, etiam ex mente D. Fagnani. Ratio est: quia præterquàm quod D. Fagnanus illam particulam satis exprimat, per ly *non sufficit*, ubique asserens, *opinionem probabilem in materia fidei & morum non sufficere ad conscientiæ securitatem*: eâ ratione quâ D. Fagnanus, D. Caramuel & alii omnes in opinione probabili includunt formidinem, sive timorem erroris, ab ea excludunt certitudinem, si illam physicam, hanc physicam, si illam moralem, hanc moralem; alioqui inconsequenter loquerentur: ergo omnes, sive cum D. Fagnano negantes, sive cum D. Caramuele affirmantes, *licere in materia conscientiæ, sive fidei & morum, sequi opinionem probabilem*, loquuntur *de opinione probabili præcisè*, id est cujus rationes & authoritates sunt tantum probabiles, nulla certa seu demonstrativa ad sensum *num.* 35. datum; alioqui si addatur *certa* seu *demonstrativa*, sive physicè, sive moraliter, ab addita, supra probabilitatem ex rationibus probabilibus, mutuat

tuat certitudinem ex aliis rationibus certis seu demonstrativis, & sic solummodò dici debet probabilis, ab hac *abstractim* & *præcisè* sumpta, vt per se manifestum est; nam cum hac *concretim* in certam transit physicè aut moraliter, prout concreta fuerit certa.

SECUNDUM PRÆSUPPOSITUM.

40 Suppono secundò. Conscientiam dubiam passim dici duplicem: unam positivè dubiam, quæ caret gravi dubitandi ratione, habet tamen levem; si enim gravem haberet, juxta communem esset probabilis: & negativè dubiam, quæ, nec gravem, nec levem dubitandi rationem habet. Quia tamen ratio levis in moralibus pro nulla reputatur, & qui conscientiam suam levi ratione dirigit, moraliter eam nullâ ratione dirigit, non puto distinctionem inter conscientiam positivè & negativè dubiam esse faciendum, nisi sub dubia positivè comprehendatur probabilis, uti, virtualiter saltem, comprehendi, suprà probatum est; eò quòd judicium probabile ex natura rei sit hujus dubii positivi fundamentum, *fortè est verum, fortè non est verum*, quia ei falsum subesse potest: *fortè est licitum illud sequi*, quia fortè est verum: *fortè non est licitum illud sequi*, quia fortè est falsum, in practicis. Unde sit

TERTIUM PRÆSUPPOSITUM.

41 Suppono tertiò. Etiam dubium esse duplex, unum propriè dictum, & *judicii suspensio, defectu rationis sufficientis ad judicandum pro alterutra parte:* alterum impropriè & latè sumptum, & *est judicium probabile*, de quo suprà egimus; inter quod & judicium dubium propriè dictum, id solum differentiæ est, quod dubium propriè dictum sit *suspensio assensus pro utravis parte dubii præcisè*; impropriè dictum verò sit *determinatio pro utravis parte dubii, quod probabile dicitur.* De qua determinatione, quæri potest: non quidem, an sit determinationis suspensio, cum sit ipsa determinatio in actu; sed an non sit determinatio ex motivo probabili, quod determinationem illam suspendere debebat, haud secus quàm dubium propriè dictum suspendit assensum pro utravis parte dubii præcisè? Videtur omninò, quod sic ex præmissis dub. 4. in *sex. probat. minoris*, & dicendis infrà fusiùs: quia dubium practicè propriè dictum dicit, *practicè fortè est, fortè non est*, & ideò assensum practicum pro utravis parte suspendit; motivum verò probabile practicum dicit, *est ità practicè, ut falsum practicè subesse posit*: atqui quod *ità est practicè, ut ei falsum practicè subesse posit*, reverà *practicè fortè est, fortè non est*, propter quod dubium propriè dictum suspendit assensum practicum pro utravis parte; ergo motivum probabile practicum, reverà *practicè fortè est, fortè non est*, & ideò determinationem pro utravis parte suspendere debet, ac debuit: & hinc de-

determinatio ista, sub motivo probabili, eôdem modô se habet, quô se haberet sub dubio propriè dicto, nec aliter differt à determinatione dubia, quàm actuata periculosa ab actuabili periculosa, quàm malum in actu à malo in potentia, ut *dub.* 4. deduximus, & infrà fusiùs.

42 Nec dicas primò: motivo probabili practico non posse *practicè falsum subesse.* Quia imprimis illud est, quod quæritur, & oppositum infrà probabimus. Deindè, sicut probabile, *est cui falsum subesse potest*; ità probabile practicum, *est cui falsum practicè subesse potest*, ut patet.

43 Nec dicas secundò: non dari probabile practicum, sed solum probabile speculativum practicè certum. Quia sicut dubio speculativo respondet dubium practicum; ità & probabili speculativo respondere debet probabile practicum: eò quòd probabile non mutet essentiam, propter accidens, sive praxim additam. Deindè praxis sequitur naturam sui principalis; est bona vel mala, naturalis aut supernaturalis, meritoria aut demeritoria, prout actus, qui practicatur, ut omnes fatentur. Denique non est, unde probabile speculativum fiat practicè certum, nisi ab unione cum altero judicio practicè moraliter certo, sive moraliter invincibili, quod hîc & nunc, practicando, non peccetur; sed cum hoc judicium etiam dubium reddat practicè certum, semper remanet eadem ratio probabilis ac dubii, & probabilis practici ac dubii practici, & tam sub uno, quàm sub alio debet operatio libera, sive non necessaria suspendi, quamdiu illud secundum judicium non adest, à quo ad operandum licitè in materia fidei & morum fiat determinatio.

QUARTUM PRÆSUPPOSITUM.

44 Suppono quartò. Omnem opinionem, esse privativè probabilem inter Catholicos, quæ habet has conditiones negativas. Primò: quod non sit *hæretica*, id est immediatè & clarè repugnans aut contradicens alicui veritati à Deo revelatæ, directè in libris Canonicis, vel indirectè in fidei traditionibus aut decretis, juxta concordem Ecclesiæ & SS. Patrum sensum. Secundò *erronea* id est, citra hæresim, repugnans aut contradicens opinioni ab Ecclesia universali, aut sanctis Patribus universaliter receptæ in materia fidei aut morum: unde illæ, quæ extra materiam fidei in sola speculatione sistunt, non debent dici *erroneæ*, præsertim si in Scriptura, vel SS. Patrum, vel Doctorum ab Ecclesia non damnatorum, authoritate, & solida ratione, fundentur; in quo turpiter errant nonnulli leves Censores, inter quos præter D. Caramuelem multoties, notavimus PP. Arriagam & Herincx Cursus nostri Theologici *to.*4.*tract.*1.*disp.* 2. *dub.*4. numerandos. Tertiò *Hæresim sapiens*, id est quæ quidem non est apertè hæretica; sed tamen sapientibus videtur habere aliquem apparentem sensum & præseferentiam talem, licèt fortè reipsâ verum sensum habeat, & hinc nequidem erronea sit; sufficit enim, quod ex illa, prout apparet, & præsefert, per legitimam consequentiam inferri possit aliqua hæretica. Quartò *malè sonans* sive *piarum aurium offensiva*, id est, quæ præsefert duplicem sensum apparentem, quorum unus est pius, alter

ter

ter impius, sicut horrorem causet in auribus eorum, qui illas habent plenas veritatibus, principiis fidei vel Christianæ pietatis consonantibus. Quintò *temeraria*, id est, quæ in materiam fidei vel morum intrudit, vel ab ea extrudit, sine sufficienti authoritate, vel ratione, aliquid à Theologis nondum receptum. Sextò *Scandalosa*, id est, quæ præbet occasionem ruinæ contra fidem, aut mores bonos, juxta communem SS. Patrum & timoratorum Theologorum in Ecclesia receptos. Additur à variis *nova*; sed cum omnis opinio Theologica, hodiè recepta, semel fuerit nova, non satis apparet, quarè quatenus nova præcisè, id est *nova non hæretica*, *non erronea*, *non hæresim sapiens, non malè sonans, sive non piarum aurium offensiva*, *non temeraria*, *& non scandalosa*, censura novitatis infamari debeat; cum necesse sit, his exclusis, opinionem istam esse in materia indifferenti respectivè ad materiam fidei, & morum bonorum, in Ecclesia communiter à SS. Patribus ac Theologis receptorum, solidâ ratione munitam. Opinio autem probabilis positivè inter Catholicos est, *quæ semper S. Scripturæ & Ecclesiæ definitionibus*, *communi SS. Patrum consensu & lege naturæ salvis*, *fundatur in authoritate alicujus*, *vel aliquorum Doctorum in Ecclesia* (sub conditionibus *Resol.* 2. ex P. nostro Lezana & D. Fagnāno adferendis) *probatorum*, *rationibus congruis*, *& solutione congrua fundamentorum oppositæ opinionis*, *cum formidine de hujus veritate*. Vide tamen dicta *num.* 35.

QUINTUM PRÆSUPPOSITUM.

45 Suppono quintò. Inter Doctores satis convenire, quod non liceat sequi sententiam minus probabilem, relictâ probabiliori, ubi ex sequela istiusmodi sententiæ, minus vel etiam æquè probabilis, malum resultans est notabiliter gravius, quàm ex sequela probabilioris: vel saltem ubi illud est in se valdè notabile, & quodammodò irreparabile; ex probabilioris verò nullum, vel saltem modicum: quia, uti ex terminis satis patet, ille non agit prudenter, qui se vel proximum sine urgenti causa, notabilis damni periculo exponit, ut v. g. si ex testimonio probabili, quod retrò sepem fera sit, non homo, relictô probabiliori, hominem locô feræ occidat: vel etiam, si in baptismo (& sic de aliis Sacramentis) utens forma probabili, relictâ probabiliori, infantem permittat, fortè in suo originali, sine alio baptismo mori. Idem est de medico in ordinandis pharmacis, & Judice in proferendis sententiis, si utantur pharmacis & sententiis probabilibus, relictis moraliter certis, quæ morali adhibitâ diligentiâ haberi possint, & indè permittant suum infirmum, alioqui sanandum, miserè mori, & suum clientem, alioqui justè lucraturum litem, miserè depauperari: quia illis, inquiunt, utpotè fidelibus sanitatis spiritualis & corporalis, ac temporalis justitiæ, administratoribus, tutissimâ viâ est incedendum, ne illa periculo cum ingenti proximi præjudicio exponant: & periculum ipsis ad culpam imputetur, licèt reipsâ

præjudicium non sequeretur; quia moraliter præjudicium censetur procurasse is, qui hujus proximum periculum voluntariè posuit.

46 Adde tamen Multum differre *opinionem esse tutiorem*, & *opinionem esse probabiliorem*; quia illa est, quam sequendo, minus est peccati periculum sive quæ magis peccandi periculum removet, ut si quis v.g. restituat, dum probabiliter sub ignorantia invincibili debiti opinatur, se ad restitutionem non obligari: hæc autem, quæ habet firmiora fundamenta, quàm opposita habeat, sive quæ sub ignorantia invincibili oppositæ veritatis verisimilior apparet, ut v.g. si allatô casu non restituat. Unde patet contingere posse, quod opinio sit probabilior, & tamen minus tuta; item tutior & tamen minus probabilis: ac proinde, quod detur probabiliori tutior, licèt physicè moraliter non detur tutâ tutior, ut infrà *num.* 208. & 333. videbimus.

SEXTUM

PRÆSUPPOSITUM.

47 SUppono sextò. Ex Cajetano 2. 2. *q.* 47. *art.* 3. Alensi *in Summa p.* 1. *q.* 16. quos sequuntur Medina, Azorius, Salmanticenses nostri 1. 2. *q.* 57. *art.* 5. D. Fagnanus *in cap. ne innitaris* & alii. Objectum prudentiæ debere esse certum, sive prudenter agentem debere semper invincibiliter judicare, opus suum esse honestum, seu conforme Dei legi vel consilio. Sumitur ex Aristotele 6. *Ethic. cap.* 6. ubi prudentiam definit, *rectam rationem agibilium, sive habitum vera cum ratione activum, circa ea, quæ & bona & mala homini sunt.* Et meritò: quia ratio dubia, aut probabilis ut talis, habet in cognitione errandi periculum annexum, dum virtualiter dicit, *forte erro*: ille autem imprudens est, qui extra casum necessitatis sub tali cognitione agit. Quod verò *Proverb.* 23. dicatur *prudentiæ tuæ pone modum.* Non obstat; quia vel agitur de prudentia malè affectata; vel ly *prudentiæ* in genitivo accipiendum, ut sit sensus *tuæ prudentiæ modo utere.* Ut rectè S. Thomas 1. 2. *q.* 47. *art.* 4. Neque etiam obstat: quod indè sequi videatur, sapientem debere esse sine ulla ratione, aut officii alicujus exercitatione, semper Stoicum & quasi dormientem; eò quòd, juxta Academicos, homini mortali omnia sint probabilia præcisè, dubia & incerta. Quia cum hoc verum non sit, ut patet in rebus fidei, quoad illas optimè negatur sequela: quidni & quoad alias? Quia licèt omnes aliæ res, tam speculativæ, quàm practicæ, & è contra, non essent certæ certitudine physicâ speculativâ aut practicâ; eò quòd in hac vita mortali, dum agimus dependenter à sensibus externis, qui physicè falli possunt, rerum intrinseca non penetremus, juxta illud Apost. 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate.* Possunt tamen nobis in hac vita esse certæ certitudine morali speculativâ aut practicâ: hæc autem certitudo probabilitatem præcisè, dubietatem & incertitudinem moralem, quidquid sit de physica, excludit, quod sufficit ad operandum sapienter & prudenter. Quarè Augustinus lib. 19. de Civit. cap. 18. *Quod attinet ad illam differentiam, quam de Academicis novis Varro adhibuit, quibus incerta sunt omnia, omninò Civitas Dei talem dubitationem, tanquam dementiam,*

detestatur, habens de rebus, quas mente atque ratione comprehendit, etiamsi parvam, propter corpus corruptibile, quod aggravat animam, *quoniam sicut dicit Apostolus,* Ex parte scimus; *tamen certam scientiam: creditque sensibus in rei cujusque evidentia, quibus per corpus animus utitur, quoniam miserabilius fallitur, qui numquam putat esse credendum: credit etiam Scripturis sanctis & veteribus & novis, quas* Canonicas *appellamus; unde fides ipsa concepta est,* ex qua justus vivit, *per quam sine dubitatione ambulamus, quamdiu peregrinamur à domino.*

SEPTIMUM PRÆSUPPOSITUM.

48 Suppono septimò. Certitudinem practicam boni operis vel omissionis, in materia morum esse duplicem: unam physicè talem, alteram moraliter talem: practica autem certitudo physica boni operis vel omissionis ejus est, quæ omnem actualem formidinem de opposito, sive peccato, per sensationem aliquam expellit, ut v. g. si feram jaculeris, dum vides esse feram, & non hominem; unde fundatur in evidentia sensus aut sensationis ejus: practica verò certitudo moralis boni operis, vel omissionis ejus, est, quæ omnem formidinem actualem de opposito, sive peccato expellit per accedens judicium firmum, quod talem sententiam hic & nunc sequendo invincibiliter erretur, si erretur, ac consequenter non peccetur, juxta dicta *dub. 2. Resol. 1.* sic ut naturæ jam corruptæ in non revelatis aut inevidentibus totius securitatis, sive in naturalibus, sive in positivis, fulcrum aliud non sit radicaliter, quàm ignorantia invincibiliter judicata invincibilis, sic ut operando, vel omittendo, invincibiliter erretur, si erretur: nam ut rectè D. Thomas q. 18. de verit. art. 6. *Non solum in statu innocentiæ nulla falsa opinio fuisset; sed penitus nulla in eo opinio fuisset.* Unde fundatur in communi prudentum operandi vel omittendi modo invincibili, aut principiis, quibus invincibiliter ad operandum vel omittendum moventur, sic ut invincibiliter errent, si errent: quô sensu rectè Aristoteles 6. Ethic. cap. 11. *Non minus enim seniorum, vel prudentum, & expertorum virorum sententiis, aut opinionibus, quàm ipsis demonstrationibus, mentem adhibere oportet. Nam usu, & exercitatione, quasi aspectum quendam adepti, rerum causas & principia cernunt.* Istorum autem virorum sententiæ & opiniones (ut rectæ sint, debent pro fine respicere bonorum morum formationem, & malorum reformationem: pro regula verò, cui conformentur, ipsam legem Dei naturalem & positivam: nam Christus ipse *Matth.* 19. volenti vitam æternam ingredi, dicit, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Quasi conformatio operationum & morum ad Dei mandata & legem, sit via & medium unicum ad cœli ingressum, juxta illud Psalmi 118. *In quo corrigit adolescentior viam suam? In custodiendo sermones tuos. Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo; quia in æternum mihi est. Super senes intellexi; quia mandata tua quæsivi.* Unde meritò Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 2. Parænesis, *Imbecillem mentem observata pietas sanet, ne in opinionem noxiæ falsitatis te-*

meritas inordinata præcipitet.

Quia verò in praxi, vel est necessariò operandum, vel non est necessariò operandum, præter finem & regulam istam pro utroque casu sua assignanda sunt principia practica. Principium autem pro casu, quô necessariò est operandum, est hoc: *Inter duo mala eligendum minus: atqui hoc est isto minus; ergo &c.* Pro casu, quô non est necessariò operandum, hoc: *potius ab opere abstinendum, quàm peccandi periculo se ultrò exponendum.* Communia pro utroque casu. *Bonum vel malum haberi debet, quod ratio invincibiliter, jura manifestè, vel Doctores unanimiter, nisi ratio ab eis non considerata invincibilis obstet, dictant esse tale.* Unde patet, habere certitudinem moralem, non esse ità difficile, ut varii putant. Et definiri potest, *quâ objectum, attentis circumstantiis & communiter accidentibus, ac propriis rationibus ejus, hîc & nunc invincibili operantis, vel omittentis judiciô, non potest aliter se habere, sic ut, operando vel omittendo invincibiliter erret, si erret:* ad quod sufficit, non operari malum scienter, aut ex ignorantia vincibili, quorum utrumque omnes fatentur esse malum, & ad vitandum tam facile, ac in horum omnium sententia peccatum vitare. Ex quibus, ut distinguas id, quod tali judiciô, seu moraliter, aliter se habere, aut ei falsum subesse non potest, ab eo, quod physicè aliter se habere aut ei falsum subesse potest, vel non potest.

49 Advertes imprimis: à certitudine morali fidei & opinionis humanæ physicè incertæ, fallibilis & inevidentis excludi. *Primò:* certitudinem fidei divinæ, quæ fundatur in veracitate Dei revelantis absolutè infallibilis. *Secundò:* certitudinem scientiæ viatorum, quæ fundatur in evidentia sensuum aut sensatorum naturaliter infallibilium. *Tertiò:* incertitudinem fidei aut opinionis humanæ, quatenus prudentum judicio de motivis, quibus hic & nunc in agendo vel omittendo nititur, annexam habet, non solum physicè, sed & moraliter, formidinem actualem de opposito, sive peccato. Addes deindè: certitudinem & infallibilitatem moralem fidei aut opinionis humanæ esse ad objectum opinabile adhæsionem firmam, quatenus communi prudentum agendi modo ex principiis invincibilibus, ut suprà explicuimus, hîc & nunc in agendo vel omittendo nititur, & nullam moraliter, etsi physicè aliquam, annexam habet formidinem de opposito sive peccato: hanc enim fidei & opinionis humanæ certitudinem & infallibilitatem moralem à certitudine fidei divinæ ac scientiæ viatorum, & ab incertitudine fidei ac opinionis humanæ, quatenùs probabilibus & moraliter fallibilibus motivis, hîc & nunc agendo vel omittendo, nititur, distinctam dari, solus ille negare potest, qui prudentiam Christianam supra allegatis principiis directam, aut rationem humanam naturalem quatenus legis divinæ typum & legem Dei secundariam, aut ignorantiam invincibilem, negat esse certò & infallibiliter inculpabilem & bonam, contra quem, non rationibus & argumentis, uti contra prudentem & legi subjectum, sed fustibus & pugnis, uti contra imprudentem & malitiosè exlegem, utpotè, qui omnis prudentiæ Christianæ principia & legis divinæ typos negaret, agendum esset.

Advertes secundò: nostram certitudinem moralem, ex ignorantia invincibili

petitam

petitam, solum habere locum in necessariis necessitate præcepti, non verò in necessariis necessitate medii, sic ut horum suppleat defectum, uti ad oculum patet: unde de ignorantia istorum, non horum, imposterum agemus.

Advertes tertiò. Non sufficere ad licitè operandum in materia fidei & morum, certitudinem honestatis, quæ subest levi conjecturæ de opposito, si non accedat Invincibile judicium de ignorantia invincibili oppositi: quia ante hanc vincibilis subesse censetur. Ac proindè, dum P. Vincentius Baronius post Mercorium *disp. 2. sect. 1. art. 3. §. 1.* vult sub præcisione ab ignorantia invincibili *in damnatione rei, qui testibus accusantibus fassus est, licèt fortè tædiò vitæ, & tormentorum metu, se falsò accusarit; hanc levem conjecturam non magis morari debere Judicem, ne damnet ad supplicium, quàm Philosophũ, ne sibi certò persuadeat hominẽ esse bipedem, quod nasci possint, & aliquandò nati sint monopedes, aut Apodes.* fallit: quia sicut hic Philosophus non certò moraliter assentitur huic propositioni *Petrus est bipes*, si de opposito levem conjecturam habeat, & non accedat invincibilis ignorantia oppositi, ità nec iste Judex, si hæc ignorantia invincibilis non accedat. Præterea, parum solidè ac minus subtiliter, de responsione in illo dogmate fundata, addit, *esse solidißimam & juxta subtilißimam, nodum plenè secare, controversiam dirimere, nec egere alia luce & probatione* &c. inciditque in omnes probabilistarum difficultates, ut vidimus ante *dub. 6. à num. 34. ad* 48.

OCTAVUM PRÆSUPPOSITUM.

50 Suppono octavò. D. Fagnanum non ægrè laturum, si hîc à Juristarum rigore, quem sequitur, cum Theologis passim recedamus, dicentes possessionem extra materiam justitiæ dari: sic tamen, ut à nobis extra illam non accipiatur propriè, sive prout in jure definitur, *Rei corporalis detentio, corporis & animi, jurisq; adminiculò.* sed impropriè, quatenus est vigor rei existentis, causans præsumptionem favorabilem pro vigente, ad eum modum, quô in materia justitiæ, possessio legitima eam causat pro possidente. Exempli gratiâ, *dubito, an voverim:* præsumitur, quod non, si post sufficientem adhibitam diligentiam censear invincibiliter ignorare me vovisse; quia melior est conditio libertatis meæ vigentis sub tali ignorantia invincibili juris oppositi, ut omnes fatentur: siquidem in dubiis vigor certus per obligationem incertam, adhibitâ ad cognoscendum sufficienti diligentiâ, invincibiliter ignoratam, non extinguitur, uti manifestum est. Ità etiam contingit in materia justitiæ, Exempli gratiâ, *dubito, an res, quam habeo, sit alterius:* præsumitur, quod non post &c. quia melior est cõditio dominii mei possidentis, sub tali &c. siquidem in dubijs possessio certa per alteritatẽ incertam, adhibitâ &c. non extinguitur. Ac proinde nihil contra communem Theologorũ à Juristis aut Legistis sperandũ, nisi rationem efficacem adferant. 1. Cur possessio ista impropriè dicta pro impropriè possidente causare non debeat præsumptionem ad eum modum,

quô propriè dicta illam pro propriè possidente causat? 2. Cur impropriè dicta possessio certa per alteritatem incertam, adhibitâ &c. extingui debeat; non verò possessio propriè dicta certa, per alteritatem incertam, adhibitâ &c.? nos verò de tali ratione danda omninò diffidimus. Unde, sub certa quadam proportione, possessio in materia justitiæ, ad vigorem in materia aliarum virtutum passim extenditur: quod & à te poterit, allatô sensu reservatô; quia in eo aliud mysterium non video. Sed quid si de ipso vigore rei dubitetur, ut v. g. an puer septennis habuerit usum rationis sufficientem ad vovendum: quid erit in possessione; an usus; an carentia rationis? Recurrunt varii ad declarationem juris communis pro usu: & meritò; quia judicium prudentum, in quo est sistendum, continet: sed cum jus commune sæpè resistat possessioni, nec omnes casus dubiæ possessionis comprehendat, nobis pro generaliori principio, videtur tale dubium ex communi prudentum sensu, super id, quod communiùs contingit, esse resolvendum: ac ideò usum rationis in septenni esse in possessione, uti communiter prudentes præsumunt. Eâdem autem ratione, quâ voluntas, ut omnes fatentur, est in possessione suæ libertatis, possessio extendi debet, quantum libertas, quæ in omnium virtutum exercitio reperitur: & sic possessio est titulus universalis, uti ipsa libertas; nam ut notat Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 5. n. 7.* & *tom. 5. disp. 40. sect. 5. n. 15.* Jus civile & canonicum, ex quibus regula ista possessionis desumitur, sine restrictione ad materiam justitiæ loquuntur.

51 Nec obstat: quod D. Fagnanus in *cap. ne innitaris, n. 205.* ità scribat: *His accedit, quod etsi in quæstione illa. An possessorium detur in incorporalibus, prævaluerit opinio affirmativa Innocentii, & Canonistarum,* in c. Querelam, de elect. *contra opinionem negativam Legistarum, de qua per speculat.* in tit. de restit. spoliat. in 4. p. 5. Nunc dicamus: *tamen controversia hæc procedit in causis civilibus tantùm; at verò in criminalibus, quamvis inquisiti allegare soleant, delictum non præsumi, nisi probetur; eò quòd unusquisque præsumatur bonus, quamdiu non probetur malus, & alia id genus: tamen non est hactenus auditum apud Jurisconsultos, ut in hac materia allegaverint possessionem: imò si reus accusatus, vel inquisitus de homicidio, furto, vel rapina, peteret se absolvi; eò quòd sit in possessione non committendi hujusmodi facinora, & Judex pronunciaret eum esse manutenendum in dicta possessione, esset profectò ridiculus. Quarè, si ubi agitur de crimine, ineptè allegatur possessio in materia justitiæ, etiam in foro judiciali; multò ineptius allegatur in materia aliarum virtutum, & in foro conscientiæ, in quo non benignior, sed tutior pars eligenda est, ut ostensum est suprà.* Præmiserat autem num. 194. *Hoc* in dubiis paribus melior est conditio possidentis, *habet locum dumtaxat in materia justitiæ, quæ est in ordine ad alium; non autem in aliis virtutibus, quæ sunt in ordine ad seipsum: quia nemo in sua possessione à seipso perturbatur, nec de illa secum contendit, aut litigat.* Nec, ut ait *Vasquez* in 1. 2. disp. 65. c. 3. vers. Qui verò priorem, *potest quis contra Deum opponere, quod melior sit conditio possidentis. Et sanè. Quis imaginari umquam poterit, Deum litigare, & contendere nobiscum de anterioritate & potioritate possessionis, quinimò & succumbere in causa, si nostra possessio anterior sit?*

52 Non obstat, inquam; quia evidenter loquitur de possessione, & præsumptione propriè dictis: nos verò de impropriè dictis: sicut verò admittit ob prævalentem opinionem affirmativam Innocentii & Canonistarum, contra opinionem negativam Legistarum, possessorium impropriè dari in incorporalibus Civilibus, non est, cur, simili improprietate, dari non possit in criminalibus: & sicut in criminalibus, inquisiti allegare solent, *Delictum non præsumi, nisi probetur; eò quòd unusquisque præsumatur bonus, quamdiu non probatur malus, & alia id genus*; ita non est, cur ob plurimorum Theologorum loquendi modum per improprietatem, non dicatur, *Delictum non possidere, nisi probetur; eò quòd unusquisque possideat suam bonitatem, quamdiu non probatur amisisse, & alia id genus*, ut v.g. *Lex positiva non possidet, nisi probetur; eo quod unusquisque possideat libertatem, in qua nascitur, quamdiu non probatur amisisse*. Certè mera est de nomine disputatio; cui inhærendum non videtur, dum nomina ista impropriè, & solum ad faciliorem explicationem à Theologis accipi, apertè declaramus, nec nos obindè negamus, sed *Resol.* 11. affirmamus cum D. Fagnano & aliis, in dubiis & probabilibus præcisè esse *tutiorem partem*, id est, remotam ab omni periculo peccati (uti communiter intelligi infra *Resol.* 4. etiam ex D. Fagnano probamus) *eligendam*; ad quod statuendum, videtur D. Fagnanus potissimum intendisse, ut probaret aliam regulam, *In dubiis paribus melior est conditio possidentis* &c. habere locum dumtaxat in materia justitiæ, uti in fine *Resol.* 3. & fusiùs *Resol.* 11. & 12. patebit. Igitur istâ disputatione de nomine prætermissâ, & his suppositis sit

RESOLUTIO I.

53 Dico primò. Ad opinionem probabilem in materia morali periculosa conscientiæ, fidei aut morum (de qua deinceps) quam sequi liceat, non sufficit præcisè authoritas unius Doctoris, etiamsi docti, pii & probi: quod addo; quia non omnes Doctores sunt docti: nam ut rectè Bresserus lib. 3. de conscientia cap. 3. *Experientia testatur, ad illos gradus Doctoratus* &c. *promoveri multos tenuiter solidâ doctrinâ tinctos; neque isti tituli conferunt doctrinam ex opere operato.*

54 Probatur prima pars: quia alioqui, cum nihil sit ità fatuum, absurdum & sceleratum, quod non habeat suum authorem & patronum, aliàs doctum, pium & probum, nihil erit ità fatuum, absurdum & exorbitans, quod non liceat sequi. Deindè authoritas, præcisâ ratione, est fatua & absurda: atqui neque istud, neque hanc sequi licet, ut per se manifestum est: ergo &c.

55 Concordat D. Fagnanus *in cap. ne innitaris.* Primò n. 331. *Quinimò apud multos receptum videtur, ut probabilitas opinionis non solum elicitatur ex rationibus, & argumentis congruentibus; sed etiam ex simplici authoritate unius docti, & pii Doctoris, ut tenent Gregor. de Valent.* in 1. 2. disp. 2. q. 12. punct. 4. q. 4. *Emanuel Sà* in Summ. in *ver.* Dubium n. 1. *Sanchez* in Decal. tom. 1. lib. 1. c. 9. n. 7. *Fillincius* tom. 2. tract. 21. c. 4. n. 134. *& alii apud Dianam* resol. moral. part. 4. tract. 4. Miscell. resol. 30. *Quod tamen vix dixerunt Doctores nostri de opinionibus Glossarum, ut notat Decius* in c. 1. n. 94. sup. eod. *Et quamvis hæc opinio ità generaliter*,

ter, & absolutè concepta sustineri non possit, ut dicemus infrà in 4. quæst. tamen quidam Author modernus viam quandam adinvenit eam defendendi: verisimiliter quidem, sed non verè, ut loquar cum Aristotele in 4. Metaph. c.3. post med. sic enim ratiocinatur: Sententia illa proculdubio est probabilis, quæ pro se habet quatuor saltem Doctores probos & doctos: Sed hæc sententia, quæ docet opinionem reddi probabilem ex authoritate unius Doctoris, habet pro se quatuor saltem Authores doctos & probos, videlicet, quos suprà proximè retulimus. Ergo probabilis est. *Quamobrem si unicuique licet sequi quamcumque opinionem probabilem, & probabilitas oritur etiam ex authoritate unius Doctoris: jam licet sequi opiniones ferè omnes etiam erroneas, ac temerarias, cum hodiè in moralibus nullum quasi sic paradoxum, quod non nitatur authoritate alicujus Doctoris; aut certè negari non potest quin errandi occasio hinc præbeatur minus doctis, qui veritatem profundius scrutari, nec solent, nec sciunt. Non enim desunt, ut sæpè audivimus, qui dicant; sufficit mihi, ut pro meæ conscientiæ quiete sic doceat talis, vel talis Theologus ex Neotericis, quibus magis deferendum esse, quàm antiquis, quorum opiniones possunt esse antiquatæ, confidenter affirmat Thomas Sanchez* in Decal. tom. D. cap.9. num. 11. *Quare hæc doctrina probabilitatum videtur fovere veluti quandam libertatem conscientiæ; ac proindè magnopere indigere dextera Dei, & beatissimi Romani Pontificis provisione, ne venenum, jam plus nimio dilatatum, ulterius serpat. Etenim si optimæ sunt leges, quæ quàmpaucissima judicis arbitrio reliquerunt, secundum Philosophum* 1.Rhe*tor. fateri oportet pessimam esse hanc doctrinam, quæ ferè omnia relinquit libero cujusque arbitratui. Nam, qui legem imperare jubet, is legem, & Deum imperare jubet: qui verò hominem, belluam adjungit, ut idem docuit* 3.Politicor. *Præsertim verò, quia idem Author modernus non erubuit suâ Epistolâ disseminare hanc propositionem, videlicet,* Opiniones probabiles efficere, ut quod olim peccatum erat, modò amplius non sit. *Quod si verum est, jam opiniones probabiles sunt supra legem Dei, & naturæ, & tamen D. Thomas* quodlib.8. art. 13. & quodlib.3. art.10. *palàm docuit, opiniones Magistrorum minimè efficere, ut quis excusetur à peccato, si agat contra legem Dei, sicut etiam tetigimus suprà* n. 319. *Nam ut dicitur Matth.* 15. Si cæcus ducatum cæco præstet, ambo in foveam cadunt. *Sed quicumque errat, cæcus est in quantum errat*, c. Hinc etenim, 49. dist. *Ergo quicumque sequitur opinionem errantis Magistri, in foveam peccati cadit.* Ad idem c. *Cum sit ars*, in fin. de ætat. & qualit. *Quapropter non immeritò Antonius Merenda in suo tractatu de hac materia, novissimè impresso, in præfatione* pag.7. n.14. *rotundis verbis affirmat, usum probabilitatum esse commentum diaboli ad enervandam vim præceptorum. Ad quod vide Epistolam Archiepiscopi Mechlinien-sis inferius relatam* n. 337. *nec non Epistolam Fratris Vincentii Baronii Diffinitoris Tolosæ Ordinis Prædicatorum, impressam initio Tractatus de probabilitate opinionum Fratris Julii Mercori ejusdem Ordinis, in qua refertur sanctissimi D. N. Alexandri præceptum, seu consilium in Generali Capitulo evulgatum, ac Theologis Thomistis quotquot sunt in Orbe Christiano à Diffinitoribus deferendum, videlicet: Tædere beatissimum* Patrem *tot novarum opinionum hoc sæculo in Theologiam moralem inductarum, quibus disciplina Evangelica resolvitur, ac conscientiis cum gravi animarum periculo illuditur, & se maximè velle à Theolo-*

gis

gis nostris in Ecclesiæ hoc morbo occultò laborantis remedium, opus parari ex severiori, & tuta sanctissimi Præceptoris doctrina, quò hæc morum, & opinionum licentia, quæ indies grassatur, quasi cauteriò cohiberetur.

56 Concordat secundò n. 412. *Quia hoc sæculò in moralibus nulla ferè est opinio, quantumcumque exorbitans, quæ aliquem non habeat sequacem. Quod enim vix tolerandum esset in philosophicis, Theologi nostræ ætatis, non pauci, in nulla re magis contendunt, quàm ut certatim in materia morum adinveniant plausibiles, & ingeniosas opiniones, palliò probabilitatis tectas, adeo ut, quod maximè deplorandum est, is præclarius agere, & majori laude dignus videatur, qui majus profert paradoxum. Quarè, si sequi liceat quamcumque opinionem probabilem, & probabilitas oritur solà authoritate unius Doctoris, jam licèt omnia tenere, & in praxi sequi, pro libera cujusque conscientia. Quod quàm sit absurdum, & alienum ab arcta via Evangelii, nemo non videt.*

57 Confirmatur ex eodem *ibidem* n.407. *Authoritate Aristotelis 1. Topic. cap. 1. ubi ait:* Probabilia autem sunt, quæ videntur omnibus, aut sapientibus, & his maximè notis. *Quem locum explicans Alexander ait:* Probabilia sunt, quæ omnibus, vel pluribus, vel sapientibus probantur, iisque vel omnibus, vel pluribus, vel maximè cognitis, ac probatis. *Et Boëtius de differ. Topic. c. 4. post princ.* Probabile verò (*inquit*) est, quod videtur vel omnibus, vel pluribus, vel maximè notis, atque præcipuis. *Ergo quæ videntur uni tantum sapienti, non sunt probabilia. Et consequenter authoritas unius viri, utcunque gravis & docti non reddit opinionem probabilem.* Limita ita ut eam sequi in materia fidei & morum non liceat, nisi accedat judicium invincibile, quod *liceat*, sic ut sequendo invincibiliter erretur, prout semper subaudit, juxta præmissa ad *dub.* 2. à *n.* 8. ad 15. nec plus petunt ejus rationes statim subjiciendæ, & positivè evincunt ejus verba *n.* 83. citanda.

58 Probatur secunda pars: quia sicut doctus, pius & probus vir interdum turpiter errat in facto, ità & in dicto: & consequenter, sicut factum illud sequi non licet, ità nec dictum; præsertim cum unius Doctoris, etiam docti, pii & probi sententia, contra torrentem Doctorum temeraria habeatur: ergo &c. consequentia patet: assumptum probatur ex sparsim resolutis in Cursu nostro Theologico contra D. Caramuelem.

59 Hæc solidè corroborat D. Fagnanus *in cap. ne innitaris.* Primò *n.* 408. ex *cap.* Noli meis, 9. dist. subdens, *Ubi Augustinus interrogatus respondit, scripturis suis pro firmo credendum non esse, nisi certum appareat. Per quem textum Petrus Brixiensis in Repertorio in ver. Credere, dicit; in tantum esse credendum dictis Doctorum, in quantum canonicis Scripturis deserviunt.*

60 Secundò *ibidem* ex *cap.* Ego solis, 9. dist. subdens, *Ubi similiter Augustinus profitetur se non credere Scriptoribus non Canonicis, quamvis doctis, & piis, nisi eorum dicta confirment, vel per alios Authores, vel per Canonicas, aut probabiles rationes. Ait enim:* Alios autem (*id est Scriptores non canonicos*) ità lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque polleant, non ideò verum putem, quia ipsi ità senserunt; sed quia mihi per alios Authores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.

61 Tertiò num. 409. *Ex generali regula,*

quod dicto unius non est credendum, *quia* vox unius, vox nullius, *ut* c.*Licet universis*. c.*Veniens*. c.*Jurejurando*, &c. *In omni negotio, de testib. l. juris jurandi*. C. eod. *Roman. singul.* 622. *incipien.* Dictum unius. *Quantumcumque sit gravis, & fide dignus, ut* c. A nobis, *& ibi Abbas* num. 1. *vers.* Nota *pulchrum textum*, de testib. *Et ideò non creditur magno Doctori attestanti de consuetudine, seu de communi usu loquendi, ut de Bartolo notat Baldus* in l. *Cum quidam*, §. Quod dicitur, *in fine*, ff. de acquirend. hæred. *& pluribus relatis ex communi firmat Decius* in cons. 472. *incipien.* testator legavit, *n.* 16. *in fine, vers.* *Secundò* responderi potest. *Ergo nec creditur Doctori attestanti de probabilitate, seu veritate alicujus opinionis.*

62 Quartò n. 412. *Ex sententia Parochorum Parisiensium, & Rothomagensium, qui cum anno* 1656. *proposuerint universo Clero Gallicano quamplurimas assertiones periculosas, authoritate Superiorum prohibendas, primò locò, tanquam aliarum præcipuam, posuerunt hanc, de qua nunc disputamus, videlicet* opinionem probabilem esse, cum ab uno solo Doctore gravi sustinetur, *ut dictum est* suprà *in* 3. *quæst. in* 40. fundamento, *n.* 336.

63 Quintò ibidem *ex Censura Facultatis Theologicæ Lovaniensis, ad requisitionem Episcopi Gandavensis, de qua* suprà n. 339. *vers.* His addimus. *Nam vigesimamsextam, & ultimam assertionem, videlicet:* Authoritas unius Doctoris probi & docti reddit opinionem probabilem: facultas hâc censurâ perstrinxit: Perniciosa est, & innumeras absurditates invehit in omni materia doctrinæ moralis. *Et septimam assertionem, id est*, Clarum & certum est Judicem non posse punire aliquem, qui secutus est opinionem probabilem; *Facultas Theologica notavit censurâ, ut infrà:* Assertio relata ad eam probabilitatem, quam assertio vigesimasexta, seu ultima obtendit, prorsùs falsa est, & judiciariæ potestatis perperam coarctiva, seditionum, ac rebellionum invectiva, publicæ tranquillitatis turbativa, nec in Republica rectè ordinata ullatenus toleranda.

64 Dices: uni homini credendum est, quamdiu non probatur mentiri; quia sicut omnis homo haberi debet bonus, quamdiu non probatur malus, ità & verax, quamdiu non probatur mendax; ergo &c.

65 Respondeo: imprimis omninò constare in periculo peccati, aut injuriæ tertii, hoc periculum esse removendum, saltem sub eadem utriusque partis contradictionis indifferentia; & ideò, ut rectè D. Fagnanus *ibid.* n. 414. *Si Episcopus, in remotis noviter provisus, à Papa intelligeret ex litteris sui agentis, vel alterius fide digni, Romæ expeditas fuisse Bullas suæ provisionis, & huic attestationi fidem adhibendo, non visis Bullis, acciperet possessionem sui Episcopatus, & illius administrationi se immisceret, utique non evaderet pœnas Extravagantis Bonifacii VIII.* Injunctæ, de elect. *ut alias vidi observatum; & meo tempore Sac. Congregatio Concilii laudavit Archiepiscopum Goanum, Indiarum Primatem, quod quamvis ex litteris sui agentis intellexisset, Bullas Papales suæ provisionis fuisse levatas, & casu periisse; tamen illis non receptis, nunquam potuit adduci, ut Archiepiscopatus administrationem susciperet cujuscumque necessitatis prætextu, ut scripsi plenius* in c. *Nihil.* n. 20. & 34. *infrà* de elect. *facit, quod notat Bartol.* in l. 2. §. *Si dubitetur.* n. 1. ad finem *vers.* Quædam sunt, *ff.* Quemadmodum testam. aper. *ubi tradit, standum non*

esse

esse testi unico, in his, quæ sunt magni præjudicii, veluti si attestetur de morte mariti; quia esset magna infamia, si mulier, vivente viro, nuberet; non enim posset in pristinum statum reponi; ejusq; sententia magis placet Thomæ Sanchez de matrim. *tom.* 1. *lib.* 3. *disp.* 46. *n.* 12. Igitur: quia nos sumus in materia morali & periculosa ut sic, nego consequentiam; fides enim, assensus &c. suspendi debet, nisi aliundè urgeat credendi, assentiendi &c. necessitas, de qua infrà.

66 Undè inexcusabilem puto Caramuelis ad Dianam adulationem in *præludio* suæ Theologiæ fundamentalis, *certi sumus tanto illius dogmata Theologorum firmari numero, ut quærenti, an hoc, aut illud liceat, sufficiat respondere, Diana dixit.* Alioqui etiam, quia *certi sumus tantò Lutheri & Calvini dogmata Lutheranorum & Calvinistarum firmari numerô,* quantô Dianæ dogmata Theologorum, *quærenti Lutherano aut Calvinistæ an hoc aut illud liceat,* sufficeret respondere, *Lutherus* aut *Calvinus* dixit, quod est evidentissimè falsum, & contra Augustinum lib. de Catechumenis rudibus cap. 25. *Cum videris multos, non solum hæc peccata divinæ legi adversa facere, sed etiam defendere, atque suadere, tene te ad legem Dei, & non sequaris prævaricatores ejus* (addi posset) *qui solò numerò contra tuæ conscientiæ dictamen, aliundè fixum, reddunt illa probabiliter licita; vel quorum opinio solo prævaricatorum numerò probabilis, passim ab ipsis non rejicitur, ut improbabilis.* Ac sic statim omnia erunt plena flagitiis & facinoribus, de quibus Hieronymus lib. primo adversus Jovin. cap. 6. *Scotorum natio uxores proprias non habet, & quasi Platonis politiam legerit, & Catonis sectetur exemplum, nulla apud eos conjux propria est; sed ut unicuique libitum fuerit, pecudum more, lasciviunt: Persæ, Medi, Indi & Æthiopes, regna non modica, & Romano Imperio paria, cum matribus & aviis, cum filiabus & neptibus copulantur: Massagetæ & Derbices, miserrimos putant, qui ægrotatione moriuntur, parentes, cognatos, propinquos, cum ad senectam venerint, jugulatos devorant, rectius esse dicentes, ut à se potius, quàm à vermibus comedantur. Tibareni, quos dilexerint, senes suspendunt in patibulis. Hircani volucribus & canibus semivivos projiciunt: Caspii iisdem bestiis mortuos, Scythæ, eos, qui à defunctis amati sunt, vivos infodiunt cum ossibus mortuorum. Bactri canibus ad hoc ipsum enutritis, objiciunt senes, quod cum Alexandri Præfectus Nicanor emendare voluisset, penè amisit provinciam. Coge Ægyptium, ut ovium lacte vescatur; impelle, si potes, Pelusiotem, ut manducet cæpe. Singulæ penè in Ægypto civitates, singulas bestias & monstra venerantur, & quodcumque coluerint, hoc inviolabile & sacrum putant* &c. *Pervides igitur, quod non solum in esu, sed & in sepulturis, & in connubiis, & in omni conversatione, unaquæque gens suo ritu, & proprietatibus vivitet, & hoc eam naturæ legem putare, quod didicit.* Quis obsecro Caramuel, Diana aut his similis asserere audebit, istis flagitia illa & facinora probare & sequi licitum, quatenus prævaricatores solô numerô, contra veræ conscientiæ dictamen aliundè fixum, reddunt illa probabiliter licita, vel quatenus illorum opinio solô suorum numerô probabilis, passim ab ipsis non rejicitur ut improbabilis? Ista meditetur, & videat, quàm sit periculosum sequi præcisè probabile ob dictum unius, quem plurimi cæcô modô sequuntur, nisi accedat certitudo moralis, quod sequendo non peccetur.

 67 Con-

67 Confirmatur: nequidem multorum præcisa authoritas (saltem viris doctis) sufficit, etiamsi Doctorum & Catholicorum: Ergo multo minus præcisa authoritas unius Doctoris, etiamsi docti. Consequentia patet. Antecedens probatur primò: Ex lege *unica* §. *sed neque* Cod. *de veteri juri enucleandi*, ubi Justinianus ait, *sed neque ex multitudine Authorum, quod melius & æquius est, judicatote, cum possit unius forsan & deterioris sententia* (puta nixa bonis rationibus & fundamentis) *multos & majores aliqua ex parte superare.* Secundò ex Pio II. ad Regem Galliæ, referente Conrado *de Contract.* tract. 7. q. 100. conclus. 1. *Scriptura, quæ asserit Proverb.* 11. ubi multa consilia, ibi salus. *Non multitudinem consiliorum requirit, sed maturitatem & digestionem; quia honestas aut justitia, non facilè suadetur multitudine, quæ variis affectibus agitata, frequenter inclinat ad pejora. Nec benè se res habet, ubi suffragia numerantur, non ponderantur, cum sæpè fiat, ut major pars vincat meliorem.* Tertiò ex Lactantio lib. 3. cap. 13. *Ne trahamur authoritate cujusquam, sed veritati potius faveamus & accedamus: nullus hîc temeritatis locus est; in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis aut opinio falsa deceperit.* Et Paulini Nolani Epist. 50. *Cesset omnis excusatio errorum, auferantur peccandi fœda solatia: nihil omninò agimus, qui nos per multitudinis exempla defendimus.* Quamobrem Augustinus lib. de Catechum. rudibus cap. 25. *Tene te ad legem Dei, & non sequaris prævaricatores ejus: non enim secundum illorum sensum, sed secundum illius veritatem judicaberis:* Scriptum enim est Exodi 23. *in judicando plurimorum sententiæ non acquiesces, ut à vero devies.* Adde & illud Navarri in Manuali cap. 27. n. 289. *Non est appellanda communis, una opinio, ad effectum præjudicandi alteri; eò quòd plures eam sequantur, tanquam oves aliæ alias, quæ præcedunt sine judicio sequentes, vel tanquam aves, quæ unam volantem sequuntur: sed communior quoad hoc est existimanda illa, quam sex vel septem authores classici, rem ex professo tractantes, asserunt, quàm alia probata à quinquaginta sola priorum authoritate ductis; & communis opinio non ex numero opinantium, sed ex pondere authoritatis fit.* Quartò quia sæpè contingit opiniones anteà multorum, postmodum factas improbabiles, ratione novi decreti Pontificii, Scripturæ loci, vel rationis, post diligentius examen, efficaciter convincentis: ergo &c.

68 Quarè ad rem nostram doctissimè D. Sinnichius Saulis Exregis lib. 1. n. 357. *Quæ cum ità sint, profectò intolerabilis est illa Caramuelis adulatio* § 354. *relata*, Quærenti an hoc aut illud liceat, sufficit respondere, Diana dixit. *Neque enim in schola* Pythagoræ *degimus, sed in schola Christi: qui nequaquam dixisse perhibetur: Ego sum probabilitas*, sed ego sum veritas. *Hujus magisteriò didicimus, arctitudinem viæ deducentis ad vitam, & latitudinem viæ deducentis ad mortem. Porrò quod hujus magisterio didicimus, verum esse non ambigimus. Proindè quantumvis* Diana *moliatur viam cœli dilatare, vel viam perditionis angustare, non ei credimus; sed Christo potius acquiescimus, asseveranti, illam esse* arctam, *istam verò* spatiosam. *Qui enim illam prædicavit* arctam, *& istam* spatiosam, *Deus est, Legifer est, Veritas est:* Diana, *quamlibet à* Caramuele *laudatus, homo purus est, legifer non est, veritas non est:* Est via, *inquit Paræmiastes*, quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem.

Non ait, quæ videtur Deo justa, ſed homini: *qualibus dictum eſt*, Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. *In Dei judicio non quæretur à judicandis, quid dixerit* Diana, *quid* Caramuel, *aut alius quiſpiam talium: ſed Chriſtus, quid alii quivis Legiſlatores, & legitimi Superiores. Unde rectè monet Lactantius*, Ne trahamur authoritate cujuſquam, ſed veritati potius faveamus, & accedamus. Nullus hìc temeritati locus eſt: in æternum ſtultitiæ pœna ſubeunda eſt, ſi aut perſona inanis, aut opinio falſa deceperit. *Qui item ſuperius in eodem libro, poſtquam eas Philoſophiæ partes, quæ theoriam concernunt, perſtrinxiſſet, ſubdidit capite* 7. Tranſeamus nunc ad alteram Philoſophiæ partem, quam ipſi moralem vocant; in qua totius Philoſophiæ ratio continetur: ſiquidem in illa Phyſica ſola oblectatio eſt, in hac etiam utilitas. Et quoniam in diſponendo vitæ ſtatu, formandiſque moribus periculò majori peccatur, majorem diligentiam neceſſe eſt adhiberi, ut ſciamus, quomodò nos oporteat vivere. Illic enim poteſt venia concedi; quia ſive aliquid dicunt, nihil proſunt; ſive delirant, nihil nocent: hìc verò nullus diſſidio, nullus errori eſt locus; omnes unum ſentire oportet, ipſamque Philoſophiam unô quaſi ore præcipere: quia ſi quid fuerit erratum, vita omnis evertitur. *Nemo neſcit; humanam quamcunque opinionem, eo ipſo obnoxiam eſſe periculo erroris, quod non tranſcendat limites probabilitatis. Si igitur contingat eam reipsâ errare, prout contingere poteſt, quiſquis ei ſe in operando vel ottando conformaverit, opinione falsâ decipietur. Non ergo ad vitam, ſed ad mortem verget: dicente Lactantio*, In æternum ſtultitiæ pœna ſecunda eſt, ſi aut perſona inanis, aut opinio falſa deceperit. *Ubi notatu dignum eſt, Lactantium loqui, non de opinione improbabili, ſed ſimpliciter de* falſa: *qualis poteſt eſſe ea, quæ non ſolum probabilis, ſed etiam inter probabiles probabiliſſima, exiſtit. Sicut enim opinio, ſive minus probabilis, ſive etiam minus quàm probabilis, poteſt eſſe vera: ità ex adverſo opinio probabilior, vel etiam probabiliſſima, poteſt eſſe falſa. Quamdiu ergo intra limites probabilitatis hæretur, errandi periculo non plenè obviatur. In materia autem morum neceſſariâ, prout ex Lactantio mox audivimus*, Si quid fuerit erratum, vita omnis evertitur.

69 Ex quibus ſatis patet ad Guimenium Lomarenſem *fol.27. n.1. edit. Lugdun. an.* 1664. dicentem, *Tannerus Jeſuita* 1. 2. *d* ſp.2. *q.* 4. *dub.* 3. *n.*33. *ubi cum pluribus aliis exiſtimat eum, qui judicat aliorum opinionem improbabilem à principiis intrinſecis, poſſe nihilominus ab extrinſecis, propter authoritatem docentis, judicare probabilem, & juxta illam operari. Quæ doctrina ferè communis eſt inter Doctores, quos citatos ſequuntur Angelus Boſſius Tom.* 1. *de conſcient. part.*1. §.22. *n.*207. & § 19. *n.*170. *Paſqualigus in deciſion. moral. deciſ.*22. & *Verricelli in qq. moral. tom.*1. *tract.* 2. *ſing. quæſt.*5. *dicens*: Ex authoritate unius tantum poſſe quem illam in praxi amplecti, licet à principiis intrinſecis falſam, & improbabilem. Et n.3. *Idem tradit, ex eodem Illuſtriſſimo Prædicatorum Ordine M. Joannes Nider.* in Conſolatorio timoratæ conſcientiæ, *edito Romæ an.* 1604. part. 3. cap. 11. §. *tertio patet* in fine. *Ubi ſic.* Item dicit idem quod frater ſimplex, vel quilibet homo cum ſalute poteſt ſequi in conſiliis, quamcunque opinionem voluerit,

dummodò alicujus magni Doctoris opinionem sequatur.] *Sic ille, & merito. Nam unicum gravem Doctorem constituere opinionem extrinsecè probabilem, docent quatuor super viginti Doctores, quos citatos sequitur Vericelli* qq. moral. tract. 2. singul. q. 5.

RESOLUTIO II.

70 Dico secundò. Ad opinionem practicè probabilem in materia morali periculosa, non requiruntur plures Doctores, sed, accedente judicio, de quo *suppos.* 7. sufficit unus, etiam ab ipso operante vel omittente indistinctus, prout opponitur multis, habens sequentes conditiones à nostro Lezana Consulto 48. prudentissimè requisitas. Prima *quod sit pius & probus*, id est, timoratæ conscientiæ. Quia *Eccles.* 15. scriptum est, *qui timet Deum, faciet bona.* Et infrà, *cibabit illum Deus pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* Et iterum, *in medio Ecclesiæ aperiet os ejus, & adimplebit illud spiritu sapientiæ & intellectus.* Non pii, nec probi è contra, *sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* 1. ad Timoth. 4. Secunda, *quod sit doctus & versatus in illa materia.* Quia, ut Montesinos 1. 2. disp. 29. q. 5. *potest esse opinio probabilis, quæ unius viri docti est, etiamsi sit contra reliquos omnes, qui de illa scripserunt; præsertim quandò iste vir doctus pollet ingenii acumine, maturitate judicii, atque consilii, & clarè solvit argumenta contrariæ partis, neque ex levi fundamento ducitur ad id asserendum.* Debet tamen esse doctus in illa materia; quia ut rectè Bresserus lib. 3. de Consc. c. 3. *Constat enim multos insigni ingenio & doctrinâ in Theologia scholastica, parum in morali ac casibus versatos.* Et noster Lezana loco citato, *non enim sufficit ad hoc, quod aliquis tenere possit sententiam in materia purè Theologica, quod Doctor ille docens sit celebris jurista; neque è contra in materia purè juridica, quod Doctor sit magnus Theologus.* Tertia, *quod rem ex professo, non casualiter, obiter, aut incidenter, discusserit.* Quia alioqui, ut rectè noster Lezana ibidem, *quæ dicuntur incidenter, ad colorem potius, quàm ad probationem dicuntur.* Et Granadus 1. 2. Controvers. 2. tract. 12. disp. 4. sect. 1. *Non potest tutò reputari probabilis opinio alicujus Doctoris, quandò ille non respondet seriò, sed veluti obiter, & parum consideratè.* Quarta, *quod melius & firmius fundamentum, quàm alii attulerit.* Quia optimè Poëta canit, *Non vis aut numerus melior, sed causa triumphat.* Ad idque attenderunt Justinianus & Pius Secundus *Resol.* 1. *in Confir.* citati. Item cap. Capellanus de feriis, ubi Pontifex amplectitur sententiam, quæ *meliori & subtiliori nititur ratione.* Ut autem de meliori & firmiori fundamento prudenter judices, accipe ex Stephano Nathen. in tract. *de justitia vulnerata* parte 2. tit. 5. cap. 5. *Illa ratio efficacior habetur, quæ est secundum jus naturale; item illa est efficacior, quæ est secundum Jus Divinum, quàm quæ est secundum Canonicum; item illa, quæ est secundum æquitatem scriptam, quàm quæ est secundum rigorem.* Et ex Lezana locô citatô, *Ideò dicendum, attendendum esse: primò an tale fundamentum sit S. Scriptura, traditio Ecclesiæ, vel authoritas ipsius desumpta ex definitione aliqua Summi Pontificis, vel Concilii ab eo confirmati; quia ista habent primum locum. Deindè authoritas Patrum & Doctorum, aut*

aut communis Ecclesiæ sensus. Quinta maximè, *quod sententia illa reprobata non sit ab Ecclesia, Summo Pontifice, aut Sede Apostolica.* Quia ut sapientissimè idem Lezana ibid. *Si opinio singularis desinit esse probabilis, eò quòd sit communiter rejecta ab aliis Doctoribus, multò magis id erit, quandò fuerit rejecta ab Ecclesia aut Sede Apostolica, quæ majoris Authoritatis est, quàm consensus Doctorum: Sedes enim Apostolica comparatur horologio Solis, quod est mensura horologiorum pulsantium, scilicet Doctorum opinantium, ut dicebat Seneca.*

71 Adstipulatur D. Fagnanus, locô suprà citatô n. 449. *Itaq; pro coronide concludamus, ità demum authoritatem unius Doctoris in moralibus efficere opinionem probabilem, itaut liceat eam tenere, & ad praxim deducere, si sex conditiones infrascriptæ simul concurrant.*

72 *Prima est, ut Doctor ille sit in morali materia peritus, & timoratæ conscientiæ, ut constat ex dictis suprà in princ. hujus quartæ quæstionis, n.*403. *alioqui ejus authoritas nihil conferret ad probabilitatem, sed vis tota constituenda esset in momentis rationum.* Arg. *l.* 1. Sed neque *C.* de veter. Jur. enucl.

73 *Secunda est, ut, articulo examinato, moveatur non levibus fundamentis; nam authoritas, rationibus destituta, nihil habet probabilitatis secundum ea, quæ dicta sunt supra à* numero 406. *usque ad* num. 418.

74 *Tertia est, ut opinio illa non contineat errorem contra legem Dei, vel Ecclesiæ, ut patet sup. in* 2. conclus. n. 425.

75 *Quarta, ut non sit contra communem aliorum opinionem, ut in* 3. & 4. conclus. n. 433. & n. 442. *nisi opinio singularis sit verior, ut* n. 438.

76 *Quinta, ut opinio unius Doctoris non habeat contra se opinionem æquè probabilem, eo quod in oppositum sit alius Doctor paris authoritatis, & rationes utrimque sint æquales: nam eo casu ex æquilibrio, & æqualitate contrariorum motuum mentis, oritur propriè dubitatio; & ideò ex præcepto oportet sequi partem tutiorem, ut patet ex dictis supra in* 5. & 6. conclus. n. 444. & 445.

77 *Sexta & ultima conditio est, ut contraria opinio non sit magis probabilis; quia tunc, tam physicè, quàm moraliter, necesse est illam sequi secundum ea, quæ dicta sunt supra in* 7. & 8. conclusione n. 447. & 448. & *latissimè probatum est quadraginta duobus* fundamentis *in* 3. *quæst. principali per totam.*

78 *Qui verò his conditionibus non concurrentibus in materia morum sequitur opinionem unius Doctoris pro parte periculosa, is planè agit contra conscientiam, & dictamen rationis, & ideò ædificat ad gehennam, ut* c. *Per tuas. il.* 2. *cum ibi notatis per Abb. & Doctores* de Simon. & c. *Quoniam omne,* de præscrip. & *fusius dictum est supra in* 3. q. n. 260. His itaque præmissis

79 Probatur resolutio: quia experientiâ constat, quod in obscuris, si operatio vel omissio necessaria sit ad vitandum aliquod damnum aut incommodum, quod, attentâ humanâ sapientum infirmitate, potius vitatur, quàm peccatum dubium dubietate juris, omnes ad talis viri, sub istis conditionibus simul & conjunctim sumptis, sententiam, forment judicium practicum, de quo *supposito* 7. & hinc illam practicè probabilem moraliter certificatam habeant, quamdiu non occurrit opposita similis, aut verior; prout omnes probabilem moraliter certam habent sententiam unius Confessarii, Consiliarii, Advocati, Medici &c. quamdiu opposita similis

ſimilis aut verior non occurrit. Et ratio eſt: quia quamvis ratio unius hominis contra Dei vel Eccleſiæ authoritatem, non poſſit facere probabilitatem; poteſt tamen concurrentibus præmiſſis conditionibus humanam vincere authoritatem: nam ut rectè Cap. quia Sācta §. verum diſt. 63. *Magna auctoritas iſta eſt habenda in Eccleſia, ut ſi nonnulli ex prædeceſſoribus noſtris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt eſſe ſine culpa, & poſteà vertuntur in errorem & ſuperſtitionem, ſine tarditate aliqua, & cum magna authoritate à poſteris deſtruantur.* Quaſi omnes, etiam poſt unum, in id conſpirare debeant: ergo &c.

80 Dices ex P. Petro Schilders *de conſcientia formanda tract. 2. n. 12. & 17.* fruſtra in Reſolutione addi, *accedente judiciô, de quo ſuppoſ. 7.* quia niſi liceat ſequi opinionem probabilem præcisè pro aſſenſu cum formidine innixo rationibus gravibus, ex qualibus vir conſideratus, poſt argumenta conſiderata & ſoluta, in negotiis magni momenti concludere ſolet, ac proindè opinionem Doctoris, ut præmiſſum eſt, qualificati, omnia erunt plena innumeris anxietatibus & perplexitatibus ſuper judicio noſtro, an ſit moraliter certum, ſive verum invincibiliter, ſic ut invincibiliter, ſequendo, erremus, ſi erremus; nec ullæ regulæ à Doctoribus poterunt ſtatui, quas in non revelatis & inevidentibus tutò ſequi poſſimus, ſed unuſquiſque ſuos ſequi debebit inſtinctus, quantumvis omnes Doctores judicent aliquid eſſe licitum: atqui hoc eſt abſurdum, &c.

81 Reſpondeo primò: iſtiuſmodi in Reſolutione additamenti neceſſitatem aperiri *Reſol. 3. 4. & 5. ſequentibus.* Secundò: conſideratum non eſſe, qui in periculoſis, ſive periculo peccati, cōcludit vincibiliter, ſic ut vincibiliter erret, ſi erret: ſed ille dūtaxat, qui concludit invincibiliter ſic ut invincibiliter erret, ſi erret. Omnes autem, qui docent in periculoſis iſtis licere ſequi opinionem probabilem præcisè, ſi conſiderarint, prout conſideraſſe ſupponuntur, *quid probabile præcisè,* & illud Eccli. 3. *qui amat periculum peribit in illo.* Pſalmo 118. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis* &c. Eccli. 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile.* Et ſimilia, concludunt vincibiliter, ſic ut vincibiliter errent, ſi errent; quia per iſta non obſcurè de amato periculo & errore vincuntur. Unde ly *conſideratus,* de cujus explicatione tota quæſtio movetur, ibi malè inexplicatus cum principii petitione intruditur. Tertiò: non alias eſſe in iſtius judicii neceſſitate perplexitates, quàm in neceſſitate ignorātiæ invincibilis de errore in opere, ſi operando erretur; illa autem eſt ad omne opus licitum, ſecundum omnes Theologos neceſſaria. Quartò: omnes regulæ, quæ hanc ignorantiam invincibilem dirigunt, tale judicium dirigere poſſe; nec magis quemque ſuos ſequi debere inſtinctus, quàm ignorantiam invincibilem erroris, ſi operando erret.

82 Inſtabis D. Fagnanus *num.* 448. nullâ factâ mentione iſtiuſmodi accedentis judicii, abſolutè ſic reſolvit. *Authoritas unius gravis Doctoris reddit opinionem probabilem, & eſt fundamentum ſufficiens eam tenendi, & ad praxim deducendi, ſi in contrarium nullus occurrat Doctor, & utrinque ſint rationes æquè probabiles.* Et *n.* 449. Sic concludit. *Itaq; pro coronide,* ut à nobis ante

præ-

præmiſſum eſt *num.* 71. Ergo &c.

83 Reſpondeo: Vel Dominum Fagnanum ſolum velle, dum operatio vel omiſſio neceſſaria eſt ad vitandum aliquod damnum vel incommodum, quod attentâ ſapientum infirmitate, potius vitatur, quàm peccatum dubium dubietate juris, authoritatem unius Authoris gravis, quibus illæ ſex conditiones conveniunt, ſufficere ad formandum judicium practicum, de quo *ſuppoſ.* 7. Quia *in cap. ne innitaris* per totum probat ſententiam, quam *n.*23. his verbis exprimit. *Porrò concors antiquorum ſententia fuit, ad hoc, ut quis rectè & prudenter operetur, neceſſariò requiri, ut habeat certitudinem, ſaltem moralem, de rectitudine, & honeſtate operationis, eamq́; certitudinem nullatenus reperiri in opinione probabili, quæ fallibilis eſt, & ſe habet ad verum, & falſum, ac proindè vitioſum eſſe illam aſſumere pro regula, & fine humanorum actuum, ita ut cum primum pervenerimus ad gradum probabilitatis, illicò ſiſtamus pedem, nec ulterius progrediamur: quin potius in controverſiis moralibus, in quibus vertitur ſalutis periculum, ſummâ ope nobis enitendum eſſe, ut certitudinem, exploſâ omni formidine, habeamus, & veritatem aſſequamur. Et hanc Theoricam tradiderunt plurimi ex Claſſicis, & primariis Magiſtris, quorum verba ad calamum referemus infrà à num.*79. *uſque ad n.* 98. Et rejicit doctrinam, quam *n.*24. his: *Verum poſt multa ſæcula irrepſit alia doctrina, videlicet ad rectitudinem operationis non requiri judicium certò, & evidenter dictans, actionem licitam eſſe, ſeu honeſtam; ſed ſufficere probabile judicium cum formidine partis oppoſitæ. Et in hac ſententia dicitur fuiſſe Jo. Gerſon Cancellarius Pariſienſis* in tract. *de præpar.* ad Miſſam, *conſider.* 3. Alphab. 37. litera S. *Et eam probarunt Gabriel Vaſquez* in 1.2.q.19.art.6. diſp.62. cap.5.n.26. *Jo.Salas* ibidem *qu.*21. tract.8. diſp.unic. ſect. 4. n. 4. *& Thomas Sanchez* in Decal. lib.1. c.9 n.18. *Et pluribus tuetur noviſſimè Candidus Philalethus, ſeu potius Andreas Blancus è Societate Jeſu* de opinionum praxi *in prima quæſtione.* Aut alioqui, ſi plus vellet, videlicet, *licere ſequi talis & taliter qualificati Doctoris ſententiam probabilem præcisè,* non ſolum ſolvere deberet à nobis ſtatim præjacta fundamenta; ſed ſibi contradiceret. Primò *ibidem* reſol. 1. n. 59. dicenti, *adhærendum videtur contrariæ ſententiæ illi, quæ docet in moralibus ſequi licere opinionem probabilem ſecundum ſe præſcindendo à quacumque probabilitate opinionis oppoſitæ* ſive, *quod opinio probabilis per ſe ſit regula morum.* Contradiceret ſecundò ſuis tribus concluſionibus, quas *n.* 124. hôc modô ſtatuit. *Prima concluſio eſt. Qui judicat duas opiniones oppoſitas eſſe æqualiter probabiles, vel quaſi æqualiter, non eſt certus moraliter de illarum veritate, ſed dubius. Secunda concluſio. Qui dubius eſt, in morali materia, in qua vertitur ſalutis periculum, tenetur ex præcepto ſequi opinionem tutiorem. Tertia concluſio. Si minimè appareat quænam opinio ſit tutior, tenetur ſequi regulas à Jure præſcriptas. Hæ tres concluſiones, in quibus conſiſtit vis tota præſentis diſputationis, ſunt ſingillatim probandæ.* Contradiceret tertiò iis, quæ ex ipſo citamus infrà in ipſa Reſol.6. 7. & 9. Quæ contradictiones de tanto Doctore leviter præſumi non debent. Contradictionum tamen ratio eſt: quia unius talis & taliter qualificati ſententia præcisè, per ipſum haberet certitudinem ſaltem moralem, de rectitudine & honeſtate operalem, de rectitudine & honeſtate operationis, & tamen eſſet, ut vidimus, *fortè*

vera, fortè falsa, fortè licitum, quod dictaret, *fortè illicitum*; quæ si habere possit certitudinem, saltem moralem, de rectitudine & honestate operationis, poterit omnis illa probabilis, quam rejicit: quia talem certitudinem ab hac præcisè rejicit; quia *fallibilis est*, *& se habet ad verum vel falsum* &c. ut patet ex ejus verbis ex n. 23. præcitatis.

84 Attendendum enim est: quod certitudo, etiam moralis, de rectitudine & honestate operationis nullatenus reperiatur, ut ipse fatetur *ibidem*, in opinione probabili; sed solum in judicio ei adjuncto, quod eam sequendo invincibiliter erretur, si erretur, juxta explicationem datam *supposito* 7. sic ut liceat quidem talis ac taliter qualificati Doctoris sententiam sequi, sed solum quatenus tali judicio subjectam; cum illud solum à peccato excuset, prout ignorantia, sive error invincibilis: non verò quatenus probabilem præcisè, cum hæc à peccato non magis excuset, quàm judicium dictans *fortè esse peccatum, fortè non esse peccatum*, quod facis, ut præmissa consideranti patebit.

RESOLUTIO III.

85 Dico tertiò. In materia morali periculosa ad opinionem practicè probabilem, dum operatio vel omissio libera est, & non necessaria saltem ad vitandum aliquod damnum vel incommodum, quod, attentâ humanâ sapientum infirmitate, potius vitatur, quàm peccatum dubium dubietate juris, non sufficit Doctoris unius, prout opponitur multis, authoritas, imò nec multorum, etiam sub quinque vel sex conditionibus *Resol.* 2. allatis, nisi adsit judicium practicum moraliter certum, de quo *supposito* 7. Prima pars patebit à fortiori ex *probat.* 2. *partis*. Igitur

86 Probatur secunda pars primò: quia opinio multorum Doctorum ut sic, reipsâ & secundum se admittit oppositam æquè probabilem & probabiliorem, nec reipsâ & secundum se est magis probabilis, oppositâ absente, cum illam compatiatur, quàm præsente: atqui illa, ubi non est necesse operari, sive ubi operatio liberè suspendi potest, non est, oppositâ præsente, practicè probabilis, nisi tale judicium adsit: ergo &c. Majorem fatentur omnes, & meritò. Quia vel invincibiliter putant opinionem suam variis rationibus & argumentorum solutione probatam, esse veram, & hoc sensu moraliter certam, vel non. Si prius: propriam sententiam deserunt, & nostram assumunt. Si posterius: Debet subesse ratio pro opposita sententia, quam vident; aut se non efficaciter solvere, sed probabiliter tantum, sic ut vincibiliter tantum putent suam sententiam esse veram; aut suam opinionem falsitatis convincere. Si primum: non sunt Deo fideles & cordati, voluntarieque docent sententiam sibi & aliis periculosam, uti moraliter expositam falsitati, errori & injustitiæ; nec à culpa excusari possunt: nam Scriptura *Eccles.* 2. dicit: *Væ duplici corde, & peccatori terræ ingredienti duabus viis*, qui scilicet, exponit Hugo Cardinalis, *carnis sectatur opera, & spiritus sanctificationem se arbitratur perficere in timore Dei*. Si secundum, idem sequitur à fortiori: frustraque Doctorum utriusque Juris & Scholasticorum, imò interdum Pontificum & Cardinalium, authoritates congregant, ut suam sententiam, isto sensu explicatam, confir-

confirment; quia Scholasticos nullos, aut valdè paucos, eosque nec Deo fideles, nec cordatos, reperient: Excusarentur autem, & suæ sententiæ quamplurimos utriusque Juris Doctores & Scholasticos haberent fautores, si nobiscum dicerent, se solum velle, esse licitum sequi sententiam physicè probabilem, sed ob varias rationes & objectionum solutiones, invincibiliter putatam veram, & hôc sensu moraliter certam, & si duæ tales sub operandi necessitate concurrant, operantem posse ex his eligere, quam voluerit: alias non; quia nullus umquam Deo fidelium & cordatorum Doctorum docuit in practicis, moralibus & periculosis, utramque contradictionis partem posse simul esse conformem Legi divinæ, aut in ea contineri; sed solum interdum contingere posse quoad nos invincibile dubium, utra contradictionis pars sit Legi divinæ conformis, aut in ea contenta; etsi nulla fuerit operandi necessitas, operationem esse suspendendam ad majorem veritatis & cum Lege divina conformitatis alterutrius partis inquisitionem, donec alterutra apprehendatur invincibiliter vera, & hoc sensu moraliter certa: idque omninò Christifidelibus inculcandum & eos docendum; nam ut subtilissimè Scotus in 3. dist. 25. q. 1. num. 8. *Sicut in moralibus, quandò sunt altercationes de aliquo peccato, quando primò est mortale, ut si unus peritus in scientia dicat, quod non licet sic mercari, & alius dicat, quod licet: tutius est non procedere sic, nec sic, sed expectare, quousque veritas pateat aliundè: si enim ità esset, quod unus Doctor diceret, aliquem peccare mortaliter, nisi sic faceret, & alius, quod peccaret, si sic faceret, tunc simplex foret perplexus; ideò benè videndum est in moralibus antequam aliquid asseratur.* Ex quo satis colligere est, quàm procul P. Herincx *Resol.* 7. citandus à suo Scoto recedat. Quæ omnia *Resol.* 9. variis rationibus & objectionum solutione confirmabuntur.

87 Probatur minor primo: quia inde sequitur, ubi non est necesse operari, sive ubi operatio liberè suspendi potest, operantem posse ex oppositis practicis æquè probabilibus; imò ex probabiliori & minus probabili, eligere, quam voluerit: atqui hoc valdè absurdum est; ergo &c. Major ab adversariis passim admittitur, & admitti debet; quia equidem probabilior præcisè, duas partes essentialiter involvit, *fortè est vera, fortè non est vera*, quod statuit, *fortè est licitum, fortè non est licitum*; sic ut hôc ipsô, quod judicat probabiliter præcisè esse licitum, aut illicitum, virtualiter judicet duo, *fortè esse licitum, fortè non esse illicitum*, ut consideranti patebit. Probatur subsumptum: quia id infinitam in moribus confusionem causat, & penè omnium legum in circumstantiis per illas non expressis eversionem. Siquidem

88 Primò. Cum omia penè non contraria S. Scripturæ & Ecclesiæ definitionibus, communi SS. Patrum & legi naturæ, sint subjecta probabilibus istorum opinionibus oppositis, penè in omnibus non contrariis &c. operanti esset licitum operari vel omittere, operari hoc vel oppositum.

89 Secundò: esset omnibus in moralibus probabilibus liberis licitum sequi opinionem falsam, erroneam, injustam &c. quia duarum probabilium oppositarum alterutra est talis; imò etiam ipsa opinio ut probabilis præcisè, quam sequuntur, est talis; quia cum ut sic essentialiter duas par-

tes involvat, ut suprà vidimus, pro alterutra partium necessariò est falsa, erronea, injusta &c.

90 Tertiò: quia cum horologia habeant vim opinionis practicè probabilis, liceret sequi, modò hoc, modò illud successivè sonans: atqui hinc gravissima absurda sequuntur; ergo &c. Major patet; quia utravis illarum eligatur, practicè probabilis eligetur, & operans potest ex oppositis practicis, quam voluerit, eligere electione liberè mutabili in æquè probabilem, quam primò eligere potuit: quandoquidem electio nihil tollat probabilitatis ab ea, quam primò eligere potuit, & non elegit; nam electio solam primam afficit; non electio verò afficit quidem secundam, sed per meram negationem, quæ sicut neutrius probabilitatem tolleret, si utriusque non electio esset, sic nec probabilitatem tollit unius tantum non electæ, dum una sola non electa est, ut patet in simili: tam enim equus A, quàm equus B, est sufficiens ad equitandum, per hoc autem, quod eligatur equus B. non electio equi A non tollit ab equo A sufficientiam ad equitandum; quia uterque est conjunctim sufficiens, & solum disjunctivè, ut hic equorum A vel B. est necessarius ad equitandum; tunc enim per electionem equi B. tollitur necessitas equi A. ut patet. Probabitur subsumptum hujus 3. absurdi paulo infra in Quæstiunculis.

91 Dices fortè: D. Fagnanus, cujus defensionem suscepimus hanc Conclusionem num. 406. in cap. ne innitaris, *Sola authoritas unius Doctoris utcunque docti, & probi nequaquam reddit opinionem probabilem, nec est sufficiens fundamentum eam tenendi & licitè ad praxim deducendi.* n. 417. sic limitat. *Limita primò hanc conclusionem, ut locum non habeat, si authoritas talis Doctoris nitatur aliquo gravi fundamento, & in contrarium nulla occurrat ratio, vel authoritas movens. Quod vix potest contingere, nisi in casu novo, & ab aliis non ventilato: tunc enim tuta conscientia quis potest opinionem illam tenere, & ad praxim deducere; licèt eò casu affirmare possemus probabilitatem opinionis oriri magis ex vi rationis, quam authoritatis.* Et n. 420. *Limita secundò hanc primam conclusionem, ut non procedat in authoritate alicujus sapientis, qui sit clarissimus, & maximè notus, ac Princeps, seu præcipuus in aliqua facultate: nam hoc casu in sola authoritate videtur quis posse quiescere, & secundum eam opinari, operari.* Ergo &c.

92 Respondeo negando consequentiam: quia D. Fagnanus non vult licere sequi talis Doctoris opinionem probabilem præcisè: quia, ut patet ex iis, quæ habet num. 427. solum vult, indoctum posse talis Doctoris opinionem ad praxim deducere, si non dubitet de veritate opinionis illius, ac proindè si invincibiliter judicet illam esse veram: nam, inquit, *si ille indoctus dubitat de veritate opinionis, aut habet rationem dubitandi, eo quod audiverit alios aliter opinari, potest illos consulere, imò & debet; quia, ut inquit S. Thomas* quodlib. 3. art. 10. *in dubiis oportet non citò credere, alioqui ex juris ignorantia non excusatur.* Nullus autem potest talis Doctoris opinionem probabilem præcisè sequi, quin de illius veritate dubitet, an fortè *sit vera, fortè falsa; fortè licitum,* quod statuit, *fortè illicitum,* cum id includat essentialiter ut talis. Vide Resol. 4. & 5. infrà.

QUÆSTIUNCULA I.

Quid ad sequentem casum ex D. Caramuele 1. part. Theol. fund. num. 280.

93 PRopono alterum casum. [Petrus die Sabbathi, sub mediam noctem, ut primum audivit duodecimam, comedit carnes, & postquam satur excessit è mensa, audivit aliud horologium significans horam duodecimam. Die sequenti communicare vult; & sic discurrit. *Horologia habent opinionum probabilium virtutem. At ego comederam antequàm tale horologium sonuerit; Ergo probabile est, quod comedi ante duodecimam: Ergo probabile, quod sim jejunus: At opinioni probabili conformare conscientiam possum: Ergo potero communicare.*] & volo scire, cur communicare non possit; nam stando doctrinæ præcedenti potest: & ego in toto hoc Petri discursu, quod possem, aut negare, aut reprehendere, nihil invenio.

94 Hunc casum proponit Eminentissimus Dominus Cardinalis de Lugo *de Sacramento Eucharistiæ disp.* 15. *sect.* 2. *n.* 47. & hanc quæstionem soluturus sic inquit. [*Si audito primo horologio, & post cœnam agnoscatur error prioris horologii, credo, quod possit absque dubio sequi secundum horologium, & observato jejunio, celebrare, vel communicare die sequenti: quia verè est jejunus, & carnium esus per errorem fuit die præcedenti inculpabilis propter ignorantiam.*] Nota benè, obsecro, hanc doctrinam; est enim verissima, & clavis totius difficultatis. Et attende; progreditur enim D. Cardinalis & ait: [*Si verò non agnoscatur error in primo horologio, sed maneat unicuique sua probabilitas, aliquis fortasse concedet sequelam, dummodò non habuerit ab initio illum animum, posteà verò audito secundo mutaverit mentem.*] Hanc puto unicam & veram solutionem, contra quam nihil poterit dici, quod sit fortè, vel efficax.

95 *D. Caramuel* 2. parte suæ Theologiæ fundam. n. 59. *his præmissis*, Licet, ubi non agitur de damno tertii, mutare quemcumque opinionem probabilem. Et quid, quæso, si agatur de damno tertii? Non licet, si expressè aut implicitè contractu aliquô te obligasti ad non mutandum opinionem. An aliquando ad retinendam opinionem, quam quis liberè elegerat, tenebitur aliquô præceptô? Respondeo: hanc propositionem, Ecclesia, quæ Officium divinum, jejunium, &c. compræcipit ne quis mutet sententiam probabilem, eô nimirum casu, quô ex tali mutatione hæc præcepta posse non observari sequeretur, habere contra se rationem gravissimam, & pro se gravissimam authoritatem. Ratio est; quia veteres Pontifices non præceperunt, quæ non præviderunt: at hæ subtilitates sunt ab annis pauculis motæ; non ergo mille aut pluribus legibus cautæ. Authoritas est Eminentissimi D. Cardinalis Lugonis: qui tamen non tam videtur explicare, quid Pontifices jusserunt, quàm

quid jussissent, si fuissent isti casus propositi. *Respondet:* Interim illa ratio solutione non caret. Esto enim hoc vel illud effugium, quo Juniores utuntur, ut legi non satisfaciant, veteres Pontifices non prævidèrint, ac censendi sunt voluisse omninò omnes aditus, per quos posset aliquis obligationem effugere. Ergo censendi sunt voluisse omnia ponere media necessaria, ut lex teneret. Ergo si necessaria erat secunda lex, quæ cum præciperet, ne quis mutaret opinionem probabilem, eô videlicet casu, quô ex tali mutatione non satisfieri præcepto sequeretur, censendi sunt & hanc legem implicitè tulisse. Stat igitur opinio Eminentiss. D. Lugonis: & interim suadendum erit omnibus (quidquid de speculatione sit) ne discedant ab illa practicè.

AUTHOR.

96 HAnc quæstiunculam subjeci, ut probem subsumptum tertii absurdi, de quo n.90. Igitur ad illam

SOLUTIO I. AUTHORIS.

97 REspondeo primò: prout respondi in nostra *Noctua Belgica* ad *Aquilam Germanicam* Domini Caramuelis *dub.2. à num.27. ad* 53. Solutionem D. Caramuelis mihi non probari. Pono enim certum esse, uti reverà est, Pontifices obligationem suam ad tempus, ultra & citra quod ipsa non sit, determinasse, uti de obligatione Horarum Canonicarum & jejunii constat, quæ ultimam horam diei determinatè respicit, ultra quam (sit ei satisfactum, vel non) desiisse censetur. Hôc autem positô: rogo, an per ipsum illa ultima hora sit moraliter, an Mathematicè seu Metaphysicè exponenda? Quomodocumque eam exposuerit, expositio contra ipsum militabit. Nam si primô modô: opponam per ipsum juxta *dubio* 1. præmissa, *Oportere in moralibus de hora ultima morali, sicut in realibus de hora ultima reali seu Mathematica philosophari,* consequenter ad hanc ipsius assertionem; *Oportet de moralibus moraliter, sicut de realibus, realiter philosophari*; & sic incidet in modum secundum. Si 2. modo: manifestum est, quod probabit nullus, Petrum in allato casu communicare posse, cum probabile sit utramque horam 12. juxta utrumque horologium esse Mathematicè & Metaphysicè ultimam, alioqui dicendum esset, Pontifices non determinasse horam ultimam, ultra quam nolint ad Horas Canonicas aut jejunium obligare, quod nec dicitur, nec à Doctoribus admittitur. Quare aliter

SOLUTIO II. AUTHORIS.

98 REspondeo 2. Ibi ultimam horam debere exponi moraliter: quia ædificatio & reformatio morum, ad quam tota Theologia Moralis ordinatur, sic

ſic eſſe de moralibus philoſophandum ſuadet, ut ea, quæ de moralibus dicimus, aut ſcribimus, vitam ſpiritualem ædificent, non evertant, & mores reforment, non laxent; quod è contra, faceret illa hora ultima, ſumpta Mathematicè ſeu Metaphyſicè, ut quæ ſequuntur, conſideranti patebit.

99 1. Quod alioqui quicumque poſſet ex privilegio, neceſſitate, vel aliter, poſt mediam noctem celebrare, poſſet, non ſolum ſemel, ſed iterum, imò tertiò, intra horam 12. celebrare, caſu quô v.g. auditâ 12. in horologio A. v.g. celebret: tum deindè miſsâ abſolutâ, audiens ſimul duodecimam in horologiis B. & C. judicet primum erraſſe, ac tunc demum duodecimam eſſe, & ideò probabiliter poſſe iſtius diei ſacrum incipere, & ſic incipiat: tum denique (quia in pleriſque ex majoribus Civitatibus ſunt quatuor aut quinque horologia, quæ non raro mediâ horâ poſt invicem duodecimam pulſant,) ſi ſacrô abſolutô, in horologio D. (quod cæteris ordinariè melius regitur) duodecimam audiat, eodem motivo, quo ſecundũ Sacrum probabiliter celebrare potuit, poterit tertium eâdem horâ, & ſic intra horam 12. ejuſdem diei tertiò celebrare.

100 2. Quod alioqui vir vegetus & fortis, ſine ulla alia excuſatione, poſſet quadrageſimale jejunium non ſervare, caſu quô v.g. primâ illius noctе, auditâ duodecimâ in horologio A. probabiliter judicat ſe prandium ſuum anticipare poſſe; & ſi deindè eô ſumptô, auditâ duodecimâ in horologiis B. & C. velit jejunare (quod poteſt, cum dies demum probabiliter incipiat,) ac ideò horâ conſuetâ prandere; & ſic de cæteris totius Quadrageſimæ diebus.

101 3. Quod alioqui ſimiliter omnes, qui horas Canonicas in undecimam diei horam horologii, quod ultimò ſonuerit, differrent, à notabili illarum parte, quotidiè probabiliter eximi poſſent, ſi judicantes diem tranſiiſſe, ſtatim ac in alio duodecimam audierint, licèt magnâ mediâ horâ auditâ priuſquam in iſto, ſtatim ab horis deſiſtant. Quis autem non videt iſta tria, & ſimilia multa, quæ legitimè inferre poſſemus, non ſolum eſſe contra Eccleſiæ mentem, & Doctorum receptas ſententias; ſed nec ab ullo ſine morum ac legum diſſolutione, defendi poſſe? nullus certè, qui probus ſit & ſapiens. Sed

102 Adde ad ſolutionis noſtræ complementum: quod hora ultima moraliter explicari debeat ſic, ut omne tempus comprehendat, citra & ultra quod nullus prudenter dicere poſſit, eſſe duodecimam, ſeu ultimam diei horam, ſed primam alterius, aut undecimam hujus dumtaxat. Tamen ad caſum D. Caramuelis.

SOLUTIO III. AUTHORIS.

103 Reſpondeo 3. Illum (quidquid D. Caramuel 1. *p. ſuæ Theologiæ fund.* num. 285. dicat, *has ego theſes tamquam certas aſſumo. 1. Qui ex duabus opinionibus probabilibus, nunc ſequitur alteram, poteſt ſequenti momento licitè tenere alteram. Hanc judico luce meridianâ clariorem*) qui ſemel probabiliter unum horologium aut unam ſententiam ſecutus eſt, poſteà non poſſe cum periculo everſionis obſervantiæ legum certò obligantium, mutare horologium, aut ſententiam. Ratio eſt; quia tunc certa

poſſeſſio-

possessio stat pro lege adversus ipsum: cæteris autem paribus, *Melior est conditio possidentis*, juxta dicta *num.* 50. 51. & 52.

104 Dices: ex D. Caramuele 1. *p. statim citatâ* num. 282. hic peti principium: quia, si nos dicamus, ideò ipsum non posse mutare sententiam aut horologium, quia lex habet jus certum: dices, ideò legem non habere jus certum, quia ipse habet jus mutandi dictamen probabile: ergo &c.

105 Respondeo distinguendo assumptum: ipse simpliciter & per se habet jus mutandi dictamen probabile, concedo assumptum: per accidens, quotiescumque ex mutatione ista eluditur certæ obligationis reipsâ permanens fundamentum, quod in proposito est tempus, non verò sententia probabilis, vel horologium probabile immutatum, nego assumptum; tum enim jure naturæ melior est conditio obligationis possidentis. Vide dicta *Tom. 6. de Matrimonio disp.* 4. *dub.* 2. *Resol.* 4. & 5. *tr.* 3. *disp.* 7. *de legibus. Dub.* 4. secus, si aliàs fundamentum, cui annexa est obligatio, licitè tolleretur.

106 Instabis. Dicens, ipsum possidere jus ad probabile dictamen mutandum adversus legem, prout lex possidet jus ad observantiam adversus ipsum: ergo &c.

107 Respondeo (præterquàm quod cæteris paribus, ubi possessiones sunt æquales, præsumendum sit pro Superiore, seu lege, prout cæteris paribus, bonum commune est præferendum privato, & jus altioris ordinis juri inferioris ordinis:) hoc ultimum jus, primum enervare; quia, si subsistit, ut supponitur, alterum subsistere non potest, ne sequatur bellum utrinque justum. Unde nego assumptum.

108 Urgebis 1. Dicens, subsistere legis obligationem dumtaxat, quamdiu alter horologium, aut sententiam non mutat: ergo &c.

109 Respondeo: negando assumptum; quia obligatio legis est alteri affixa, quàm horologio immutato, videlicet tempori moraliter spectato, ut supra dictum est; quod sicut per mutationem illam non tollitur, ità nec ei affixa horarum Canonicarum v.g. obligatio: aliundè etiam, cum ibi legem esse in possessione supponatur, non esset in quo alioqui melior diceretur conditio possidentis. Unde non video, quô fundamento Dominus Caramuel, ob ista, dicat locô citatô, *corruere regulam* à nobis allatam.

110 Urgebis 2. Si constet, primum horologium errasse, primam sententiam fuisse improbabilem &c. evidens est me posse aliud horologium sequi, mutare sententiam &c. ergo similiter, si constet, probabile esse primum horologium errasse, primam sententiam, &c. possum mutare &c. Ità ferè D. Caramuel *ibidem*.

111 Respondeo: negando assumptum, si ex eo, quod aliud sequaris, sententiam mutes, &c. sit periculum eversionis, imò eversio ipsa, ut vidimus *num.* 99. 100. & 101. legis te certò obligantis sequatur: licèt enim mutatio hæc foret speculativè, & secundum substantiam probabilis (quod non concedimus,) adhuc foret practicè mala ob annexum periculum, aut eversionem dictam, ut patet. Ex his autem Colliges, D. Caramuelem locô supra citatô in multis falli. Nam

112 Fallitur 1. ajens, *Si evidenter cognoscerem errorem prioris horologii, esset evidens, me posse operari, etiam reclamante illô tertiò*

(vide-

(videlicet, qui ex operatione, seu mutatione mea, præjudicium pateretur,) *quod admittit iterum & iterum Lugo*; *ergo si probabiliter cognoscam ejusdem horologii errorem, erit probabile me posse operari, etiam reclamante illo tertio.* Quia meritò negatur hæc sequela: nam si ex mea operatione, seu mutatione, sit periculum, imò eversio ipsa juris tertii, tunc certò me obligantis, ex præmissis manifestum est, me justè & sine præjudicio tertii operari non posse. Supponas enim: Petrum teneri tibi solvere centum aureos feria 2. sic ut feria 3. nisi soluti sint, cesset obligatio, eumque circa medium duodecimæ noctis nondum solvisse, & tibi petenti, ut solveret, respondisse, adhuc superesse mediam horam istius diei, neque ad solutionem tantum temporis requiri: & intereà statim post in altero horologio audiri duodecimam, ac ideò ipsum tibi repetenti solutionem respondere, se aliter de die sentire, ac probabiliter judicare, diem transactam esse: an fateberis Petrum justè, sine tui præjudicio, operari, mutare, &c.? Oppositum probaret eventus. Quarè nodum ibi non attigit D. Caramuel, dum sibi objecit, *At hoc erit in præjudicium ejus, dices.* Et respondet: *Sed ego distinguam præjudicium à damno; non enim sunt præjudicia, quæ justè fiunt, licèt maximum inferant damnum.* Quia malè supposuit præmissa *justè fieri.* Unde corruit Caramuelis distinctio.

Fallitur 2. *ibidem num.* 285. Theses sequentes tamquam certas assumens. Quarum

113 Prima est: *qui ex duabus opinionibus probabilibus nunc sequitur alteram, potest sequenti momentò licitè tenere alteram.* Hanc enim omninò falsam reputo, nisi sic restringatur, *dummodò ex mutatione, nullum subsit periculum eversionis juris tertii, eum certò obligantis*; ob præmissa, quæ non satis attendisse videtur D. Caramuel, dum exaggeranter subdit. *Hanc thesim judico luce meridianâ clariorem.* Idem dic de P. Tamburino *lib.* 1. *in decal. cap.* 3.

114 Secunda: *ex hac libertate nullum præjudicium tertii sequitur; at multa inconvenientia & damna tertii consequuntur.* Velim (suppositò, quod injustè mutet, uti probavimus) D. Caramuel distinguat præjudicium ab isto damno: posse diffiteor.

115 Tertia: *Hæc est mala consequentia, ex hac doctrina magna inconvenientia sequuntur: ergo non est probabilis.* Neque nos illam, aut similem consequentiam facimus: sed hanc, *ex ista D. Caramuelis doctrina, magna præjudicia, seu legum certò obligantium injustæ violationes sequuntur: ergo non est, saltem practicè, probabilis*; quia non est probabile, saltem practicè, id quod in praxi talem violationum circumstantiam certò annexam habet: quidquid de speculatione sit, quæ quidem in mente à tali circumstantia præscindere potest, & mutationem secundum substantiam præcisè attingere, sed ut sic mutatur in speculatione casus.

116 Quarta: *Hæc propositio (Ecclesia, quæ jejunium, officium divinum &c. præcipit, compræcipit, ne quis mutet sententiam probabilem eo casu, quo ex tali mutatione hæc præcepta posse non observari sequeretur) est falsa.* Mihi quidem falsa est; quia talis compræcepti, nec umbram, nec necessitatem video; nam ut supra *num.* 103. & 105. probavimus, ne quis prædictis casibus sententiam mutare possit, ipsa lex naturæ dictans, *meliorem esse conditionem legis possidentis*, seu certò obligantis præcavet. Sed discerem luben-

V ter,

ter, cur D. Caramuel quartam istam thesim hîc dicat *falsam*, & subdat, *Cum vidit Lugo ex natura rei manere libertatem mutandi opinionem probabilem, confugit ad Superioris præceptum, sed hoc effugium nullum est.* Et 2. *p. artic. suæ Theol. fund. in fine num.* 59. (ubi controversiam illam decidit,) sic scribat. *Respondeo: hanc propositionem Ecclesia* &c. *Habere contra se rationem gravissimam, & pro se gravissimam authoritatem: ratio est; quia veteres Pontifices non præceperunt, quæ non præviderunt, at hæ subtilitates sunt ab annis pauculis motæ; non ergo à mille, aut pluribus legibus cautæ. Authoritas est Em. D. Card. Lugonis; qui tamen, non tam videtur explicare, quid Pontifices jusserunt, quàm quid jussissent, si fuissent isti casus propositi. Interim illa ratio solutione non caret: esto enim hoc vel illud effugium, quo juniores utuntur, ut legi non satisfaciant, veteres Pontifices non viderint: at censendi sunt voluisse omnia ponere media necessaria, ut lex teneret. Ergo si necessaria erat secunda lex, quæ compræciperet, ne quis mutaret opinionem probabilem, eo videlicet casu, quo ex tali mutatione non satisfieri præcepto sequeretur, censendi sunt & hanc legem implicitè tulisse. Stat igitur opinio Em. D. Lugonis. Et interim suadendum erit omnibus, quidquid de speculatione sit, ne discedant ab illa practicè.*

117 Quomodò obsecro D. Caramuel ibi ponit tamquam thesim certam *propositionem illam esse falsam*, & illam hîc amplectitur, ut *veram*? Item, quomodò dicit: *effugium Emin. Lugonis esse nullum*, quod hîc est ipsius refugium? Deinde, ad quid cum Em. Lugone ad compræceptum recurrit, nisi, ut, contra suppositum, ostendat, non præcessisse præceptum: si enim præcessit, & perseveret, frustra est compræceptum, ut supra ostendimus. Unde D. Caramuel hic malè ut veram assumit quartam illam propositionem, quam supra tamquam *thesim falsam* abjecit. Sed id mirum non est, cum in D. Fagnano damnet ut hæreticum, quod assumit ut Catholicum.

118 Quinta. *Qui inivit contractum merè probabilem, si juri suo cessit, tenebitur stare contractui, aliàs non. At si mutet dictamen, inquies, procedet in præjudicium tertii. Nego præjudicium, & concedo liberè tertii, vel jacturam vel damnum; quoniam si tertius hoc prævidit, & adhuc inivit contractum, sibi imputet, qui socium potuit strictius obligare, & omisit.* Parcat nobis D. Caramuel, non sic argumentamur; sed hoc modo. Sicuti ille tenetur stare contractui, si juri suo cessit; quia alter jus possidet: ità in nostro casu tenetur servare legem, sententiam non mutare, &c. ex qua sequitur eversio observantiæ legis certò obligantis; quia lex obligationem possidet: unde ipsius exemplum non est ad rem, pro hac parte *alias non*, licèt verum sit. De cætero contra istam D. Caramuelis solutionem: vide num. 114.

QUÆ-

QUÆSTIUNCULA II.

Ex D. Caramuele.

Quid D. Caramuel in sua Theologia Fundat. resolutivâ ad & super præmissis resolvit?

AUTHOR.


119 Respondeo: uti respondi in cursu nostro Theologico tom. 4. me *n.* 465. reperire propositam sententiam, aliquousque ab ipso-met Caramuele mutatam hâc restrictione, *dummodò alterutram sequendo præceptum impleat is, qui opinionem probabilem mutat:* ut sensus sit, *qui ex duabus opinionibus probabilibus, nunc sequitur alteram, potest sequenti momento licitè tenere alteram, dummodò alteram sequendo præceptum impleat.* Sed contrà: quantumvis hæc restrictio multa ex allatis absurdis vitet: verumtamen difficultatem non resolvit; quia restat à D. Caramuele probandum: cur talis alteram sequendo, debeat præceptum adimplere, quandoquidem tali opinionum probabilium mutatione, prudenter, ut patet in peregrinis ex loci obligationis mutatione, præcepti obligatio vitari videatur; nam per ipsum, qui opinionem probabilem sequitur, prudenter agit, & cum opinionem probabilem mutando sic, ut præceptum non impleat, ipse opinionem probabilem sequatur, mutando sic, ut præceptum non impleat, prudenter agit: quod nullus admiserit. Dicere autem eas esse in mutatione tali improbabiles, est dicere opinionem probabilem præcisè esse improbabilem; quia opinio probabilis in seipsa virtualiter duas opiniones oppositas, *fortè est, fortè non est*, involvit: & dum prudenter agit, qui alterutram præcisè sequitur in instanti A. prudenter aget, qui in instanti A. unam præcisè, & in instanti B. alteram præcisè sequetur; quia semper verum erit, quod sequetur opinionem præcisè probabilem, quam qui sequitur, prudenter agit.

120 Unde D. Sinnichius, qui, uti nos supra, propositam à Caramuele sententiam, ab eodem mutatam consideravit, non satis verè, etsi favorabiliter nimis, sui Saulis Egregis *tom.* 1. *cap.* 107. *num* 402. subdit. *quo finali additamento* (videlicet *dummodò alterutram sequendo præceptum impleat*) Caramuel *evertit methodum eludendi præcepta mox relatam, quæ utique ad hoc excogitata suggestaque fuerat, non ut homines ad præceptorum adimpletionem, sed ut ab eorum jugo libertini eximerentur.* Quia, ut vidimus, methodum illam non evertit, sed palliavit; præsertim cum post suam impressionem Romanam & Lugdunensem approbet hanc doctrinam Francisci Verde propugnatoris sui, in Prœmio, *Illa doctrina est probabilis, quæ tam fortibus rationibus munitur, ut contra non possit aliqua ratio demonstrativa opponi; possit tamen merè probabilis:*

sed tales sunt Caramuelis sententiæ, quas Borgias impugnandas adsumpsit: illæ ergo & eædem Caramuelis sententiæ sunt probabiles. Et D. Sinnichius nitatur authoritate illius Borgiæ sub his verbis, *Eadem sua methodo Caramuel eludit præcepta jejunandi, missam audiendi, & alia hujusmodi, de quibus ex professo adversus eum tractat Crispinus à Borgia in suis selectis moralibus q.9. per totam, cujus exordium est.* In rebus moralibus vix datur casus, in quo non sint duæ opiniones contradictoriæ & probabiles: & hoc punctum ità ad punctum reduxit Caramuel, ut vix sit aliquod præceptum Ecclesiasticum, quod eludi non possit, si ejus doctrinæ, quam probabilem putat, adhæreamus: nam duas opiniones probabiles contradictorias sequi quemlibet posse, probabile esse contendit, ex quo fit, ut nemo teneri videatur, præcepta jejunandi, audiendi sacrum, recitandi horas Canonicas & alia hujusmodi. *Et* vide &c. D. Caramuel autem in isto prooemio hæc, ut ante defendit, ac proinde dictam methodum non evertit: imò nec in allata mutatione sistit. Sed

D. CARAMUEL.

121 *Num.* 492. *sic pergit.* Venio ergo tandem ad objectiones illas tres, quæ ex Lugone Art. 1. num. 280. ponuntur, & hanc lineam jubeo considerari:



122 Illam sic explico. A est initium diei Lunæ: B est hora duodecima primi horologii: C est duodecima ultimi (nomine duodecimæ mediam noctem intelligo.) C D est dies Martis. B C est tempus probabile, quod ad priorem aut ad posteriorem diem spectat. Jubet Ecclesia, quod his diebus non nisi duas Missas celebres, nonnisi bis prandium, si sit Quadragesima, sumas: & tamen aio, solutionem argumentorum non à mutatione, aut non mutatione dictaminis, sed aliundè debere, si amemus veritatem, desumi.

123 Sanè mihi liberum est tempus illud B C accensere diei Lunæ, mihi est liberum accensere diei Martis: non tamen copulativè, sed disjunctivè. Possum licitè celebrare & prandere tempore B C. Ergo eô casu, quô non daretur lex, quæ tempus, & horam celebrandi, aut non celebrandi determinaret, & daretur (prout datur etiamnum) quæ bis eâdem die celebrare inhiberet, sic aliquis posset discurrere. Si celebravero tempore B C, debebo non celebrare die Martis (hoc est in tempore C D) quia illæ missæ sunt licitæ disjunctivè, non autem licitæ copulativè, hoc est, conlicitæ.

124 Eôdem modô de prandio debeo philosophari. Jubet Ecclesia, quod ab A ad D hoc est ab initio diei Lunæ ad finem diei Martis, non comedam pluries, quàm bis; & unâ die non pluries quàm semel: servetur hæc lex, & de tempore B C mutentur opiniones prout velis. Possum enim illô tempore B C prandere: possum liberè illud accensere diei præcedenti aut sequenti. (Imò possum hunc actum elicere. *Hoc tempus ad alterutrum diem probabiliter pertinet.*) Si primum, nō debeo prandium sumere tempore A B: si secundum, non possum tempore C D: aliàs enim bis sumeré prandium eâdem die. Positô enim prandiô

prandiô in tempore B C, licitum est prandium in A B (quia illud tempus probabile possum præcedenti diei accensere) Ecce utrumque esse licitum, nimirum disjunctivè, non autem copulativè: quia si sumitur prandium in tempore A B, non potest sumi in C D: & si in isto sumitur, non poterit in illo sumi.

125 Tertium Lugonis argumentum erat hoc. Possum differre completorium usque ad B, hoc est primum horologium, & dicere, post B primum horologium, & ante C ultimum recitabo. Quid, si posteà auditô primô horologiô dicam, tempus B C pertinet ad diem sequentem, non teneor completorium pro die præcedenti recitare?

126 Respondeo, me habere præceptum recitandi completorium, disjunctivè me obligans: nam vel debeo illud recitare ante B, vel post B: possum enim omittere illud ante B, si sim illud lecturus post B, & possum illud omittere post B. si illud legerim ante. At istæ duæ omissiones, quæ disjunctivè & seorsim sunt licitæ; simul & copulativè non sunt conlicitæ: nec hoc pendet à mutatione aut retentione opinionis probabilis. Stante enim quod tempus B C probabiliter pertineat ad diem crastinam, stat illud probabiliter pertinere ad hodiernum; & stat non legisse completorium, & adhuc posse & debere legere: quia præceptum erat disjunctivum, cui debeo satisfacere ante B, vel post B. (sed intelligo semper ante C.)

127 Iste est verus respondendi modus, non ille, qui art. 2. ponitur. Lemma enim vacillare videtur. Dicis. *Qui sine damno proprio potest sequi opinionem probabilem, quæ impediat damnum proximi, etiam debet*, & fortè responderet Petrus, se jejunare, dare pecunias, &c. sine molestiâ & damno non solere. Si adderes. *Quandò debitum est certum, non habet locum opinio, quæ probabiles circumstantias inducat, vi quarum debitum non solvatur*, fortè Petrus præberet assensum absolutè, & nihilominus subjungeret. *Quandò habet locum opinio probabilis, quæ à solutione excusat, nec violatur justitia, nec est debitum certum.*

AUTHOR.

128 Sed contra: nondum plenè satisfacit D. Caramuel; quia dicere *præceptum disjunctivè obligare*, sic ut vel *ante B*, id est, duodecimam horam noctis primi horologii, vel *post B. ante C.* id est, post duodecimam horam primi horologii ante duodecimam horam secundi horologii: *est dicere, duas sententias probabiles oppositas, non esse conjunctim probabiles:* sed *alterutram disjunctivè esse improbabilem*; sive est dicere, *sententiam probabilem præcisè non habere duas partes oppositas conjunctim probabiles*, sed *alterutram disjunctivè*. Quæ sunt evidenter falsa, uti probavimus per ipsa horologia num. 90. supra. Unde

Quæro 1. An post B ante C, ut prudenter agam vel omittam, sive ut agendo vel omittendo non peccem, sequi possim sententiam probabilem, quatenus probabilem præcisè, an sequi debeam quatenus probabilem cum certitudine, saltem morali, quod sequendo non peccem? si primum: possum,

possum, uti ante B. alteram partem non obligationis eligere, ut patet. Si secundum: quidni in omni materia periculosa & peccaminosa? aut sequi deberem sententiam probabilem moraliter certam, sive cum certitudine saltem morali, quod sequendo non peccem; aut operationem suspendere, cum omni instanti distributivè currat præceptum de vitando periculo peccati, quod ibi subest, sicut post B. ante C currit præceptum, de quo in quæstione. Unde D. Caramuel frustra recurrit ad præceptum disjunctivè obligans, cum in ista materia detur semper & omni instanti distributivè obligans.

Quæro 2. à D. Caramuele: an in materia periculosa & peccaminosa liceat sequi sententias oppositas disjunctivè probabiles, & conjunctim improbabiles, vel non? Si prius: licet sequi sententias oppositas disjunctivè improbabiles, quod malè audit. Ratio sequelæ est; quia sicut una oppositarum probabilium est improbabilis, ità altera oppositarum improbabiliū debet esse improbabilis. Deindè: quid est sequi sententias disjunctivè probabiles & conjunctim improbabiles, nisi sequi sententiam probabilem remoto omni peccato aut peccandi periculo, ac per consequens cum certitudine morali, quod sequendo non peccetur? Hoc volumus & nihil plus. Si posterius: solùm licet sequi illam, quæ disjunctivarū est probabilis. De qua quæro: an certitudinem dictam habeat annexam, vel non? si sic, sequitur intentum; si secus, licebit hanc non sequi, uti sententiam probabilem præcisè, quod contra ipsum & alios, ex ipsorum sententia sequi contendimus.

Adde: quod, cum D. Caramuel fundet suam doctrinam in eo, quod præceptum illud disjunctivè obliget vel ante B. vel post B. ante C, & id sit certum, sic ut certò disjunctivè obliget vel ante B. vel post B. ante C. ut consequenter loquatur, debeat dicere inter sententias probabiles disjunctivè oppositas unam certò obligare, ex quo item sequitur intentum: quia illa, quæ certò obligat, habet certitudinem, saltem moralem, annexam, quod eam sequendo, non peccetur, prout contendimus.

Sequitur autem ex jam deductis, quod D. Caramuel suâ obligatione disjunctivâ nondum satisfaciat; imò insuper, quod ipse *num.* 435. Theol.resol. sibi contradicat admittens, *omnes opiniones probabiles secundum se esse æquè tutas, si agatur de formali peccato:* ex quibus ultimis particulis patet, ipsum loqui de materia periculosa & peccaminosa, in qua duas oppositas esse æquè probabiles secundum se non admittit, ut vidimus: ipsum autem ibi loqui de illis secundum se in tali materia, patet ex eo, quod loquatur in sensu communi, qui talis est; & ne videamur in ejus mente errare, accipe, quæ habet n. 441. *Solent aliqui angi scrupulis & suadere, solent etiam præcipere, viam tutiorem in materia probabili. At ipsi videbantur mihi non percallere probabilitatis essentiam, & ideò in Commentario meo in Regulam D.Benedicti* disp.6. de opinione probabili, num.58. & 61. *duas Theses posui; Prima erat*, Omnes opiniones probabiles sunt per se æquè tutæ & securæ. *Secunda*, Benigniores, & si aliquandò sint minus probabiles, per accidens sunt semper utiliores & securiores. *Ante probationem, aio, securitatem esse triplicem, Scholasticam, materialem, formalem, quam ultimam vocamus practi-*

practicam. Nomina in Prologo, n.2. exposui: & modò moneo, me non de duabus primis, sed de formali & Practica disputare. Ut conclusiones has probarem, ego alibi rationem dedi: & quia est solidissima, nec formam, nec materiam mutabo. Primam ergo sic probo. *Illa opinio est tuta & secura in conscientia, quæ, si juxta illam exactè opereris, te liberabit à mortali & veniali: at hoc æquè præstabit quæcumque probabilis opinio: Ergo quæcumque est æquè tuta & secura.* Postea num. 444. de istis addit; *Hæc certa sunt & valdè notanda pro praxi.*

129 Nec refert quod D. Caramuel *num.* 519. summariè dicat. 1. *Dari judicium practicum certum, dictans, licere operari cum opinione probabili.* 2. *Posse sequi opinionem, & juxta illam operari & sentire, esse obnoxium æquivocationi.* 3. *Verum esse speculativè, & materialiter si probabilitas afficiat solam materiam præcepti; quia certum est non peccare eum, qui omittit, quod tantum probabiliter præceptum est: falsum esse practice & formaliter, si probabilitas formam honestatis ipsius actus; quia tenetur homo elicere actus, non solum probabiliter licitos, sed certò licitos.*

Contra enim est: quod falsum sit judicium, *quod liceat operari cum opinione probabili præcisè*, esse practicè certum, ut patebit ex dicendis infra *resol.* 7. 8. & 9. ubi ostendemus illud in materia præcepti esse formaliter periculosum & peccaminosum; eò quòd virtualiter dicat, *licet operari cum opinione fortè falsa, etiamsi non sit necesse operari.* Si replicet, judicium, *quod liceat operari cum opinione fortè falsa materialiter tantum, & non formaliter,* non esse formaliter periculosum & peccaminosum. Ibidem ostensum est operari ex judicio, *quod liceat operari cum opinione probabili præcisè*, esse operari ex judicio, *quod liceat operari cum opinione fortè falsa formaliter*; quia judicium, quod liceat operari cum opinione probabili præcisè ex parte sua est præcisè probababile, fortè verum, fortè falsum; & hinc ex parte sua, ac proindè formaliter peccaminosum, quatenus ex parte sua sumit suam probabilitatem, sive veritatem aut falsitatem formalem ab objectiva probabili præcisè, & fortè vera, fortè falsa præcisè; nam à motivis etiam solum sumit esse opinionem probabilem præcisè, ut suppono, cum sint probabilia præcisè. Unde patet ad 3. ista duo numquam separari in opinione probabili præcisè, quam quis sequitur: desuper vide præmissa à *n.* 21. *ad* 35. Et sit

QUÆSTIUNCULA III.

EX PROCARAMUELE.

Quid ad Francisci Verde Procaramuelis Responsum ex q.9. n.497.

130 R*Esponsum est tale.* Judex sententiam non potest mutare postquam illam tulit; quia jura prohibent talem mutationē *lege Judex posteaquàm ff. de judiciis:* at nulla lex assignari potest, quæ in re nostra prohibeat opinionis mutationem: nec refert Ecclesiam

clesiam possidere pro die sequenti 1. quia potest dici non absolutè, sed possidere ex suppositione, quod operans velit se conformare primo horologio; quod si velit sequi secundum, potest Ecclesiam à possessione tollere; sicuti Judex, qui per sententiam interlocutoriam, misit unam partem in possessionem, potest. Deindè, mutando sententiam, illam spoliare tali possessione; quia est possessio momentanea. *Ità ille.*

AUTHOR.

130 Responsum illud non placet; contra enim est: quod nec Judex, nec alius in dictis operans moraliter mutare possit sententiam cum periculo eversionis observantiæ legum certò obligantium: quia harum stat certæ obligationis possessio contra ipsius mutandi libertatem. Lex enim Ecclesiastica die Sabbathi certò obligat ad abstinentiam à carnibus, die Dominicâ certò obligat à jejunio naturali ante communionem, quôlibet die ad Horas Canonicas, sic ut certa hæc obligatio antecedat & concomitetur tuam mutationem, vel non? Si prius: non mutatur, ut patet, propter sententiæ aut horologii mutationem, & consequenter, quævis mutatio ipsius observantiam eludens, illius est illicita prævaricatio. Si posterius: cum illa certa obligatio ipsâ mutatione, quæ certissimè ex illa non est, non ponatur, certissimè post illam non erit, & omnis illa mutatio erit omninò vana & superflua, ad licitam observantiæ legis elusionem, ut patet in exemplo. *Petrus die Sabbathi sub mediam noctem, ut primum audivit duodecimam comedit carnes, & postquam satiatus excessit è mensa, audivit aliud horologium significans horam duodecimam; die sequenti communicare vult, & sic discurrit: horologia habent opinionum probabilium virtutem: at ego comederam antequam tale horologium sonuerit; ergo probabile est, quod comedi ante duodecimam; ergo probabile est, quod sum jejunus: at opinio probabili conformare conscientiam possum; ergo potero communicare.* Ità Caramuel.

Quæro ego: an certa obligatio abstinentiæ diei Sabbathi antecedebat, & comitabatur, sonum secundi horologii, vel non? Si prius: hæc mutatio primi horologii non mutat obligationem istam, ne præcesserit, quandò audiebatur primum horologium, & comitetur, quandò auditur secundum; & sic illa carnis comestio certò fuit die Sabbathi, & certa abstinentiæ die Sabbathi illicita prævaricatio. Si posterius: ante hanc mutationem primi horologii cessavit illa obligatio, nec per illam reponitur ob rationem datam; & sic illa comestio fuit die Dominicâ, & certum impedimentum communionis hôc die. Nec dici potest cessasse inter unum & alterum utriusque horologii sonum: quia totum absurdum manet, quatenus concomitans sonum primi relinquit prævaricationem illicitam, & non concomitans sonum secundi manifestum facit non esse Dominicam demùm, quandò est sonus secundi; & sic mutationem illam esse vanam & inutilem ad licitam observantiæ legis elusionem.

Respon-

Respondebit fortè, esse certum, quod antecedat, sed tantū probabile, quod comitetur, & probabile, quod non comitetur.

Sed contra: certæ obligationi antecedenti & possidenti non præjudicatur per probabilitatem, *quod fortè sit, fortè non sit*; quia in probabilibus, uti in dubiis, lumine naturæ melior est conditio possidentis: unde videtur lumine naturæ notum, quod sit moraliter dies Sabbathi, quamdiu moraliter non constat esse Dominicam; quia in probabilibus melior est conditio Sabbathi possidentis. In quorum confirmationem accipe ex Caramuelis *Theologia resolutiva*, quæ eam volventi jam occurrunt, conformia à nobis contra eundem dictis in *Noctua* loco *quæstiuncula* 1. citato. *qui dubitat, an dies Jovis effluxerit, & inceperit dies Veneris, debebit sic discurrere. (Dies Jovis die Veneris prior est: ergo est in possessione dies Jovis, ergo nec tenebor credere esse diem Veneris, quousque detur ratio tam clara, quæ diei Jovis possessionem elidat. At rationes dubiæ non possunt possessionem elidere. Ergo.) Hæc nimis clara sunt, nec tot verbis digna, nisi velimus totam Theologiam arietare & invertere.* Ita D. Caramuel suam in nostram commutavit sententiam: sic enim solet tandem ab hoste patrocinium quærere. Vide *dub. ultimum.*

132 Scio D. Borgiam Anticaramuelem *q.* 9. ex aliis principiis Caramuelem impetere. 1. *Illa est opinio falsa & improbabilis ab intrinseco, ex qua sequitur aliqua hæresis: sed ex eo, quod quis nunc sequatur unam & sequenti momentò alteram opinionem, sequitur aliqua hæresis: ergo &c.* Probat minorem ex sententia Caramuelis in Sinthesibus regularibus, ubi sic habet, *dantur enim syllogismi, quorum præmissæ sunt probabiles, & consequentia bona, & tamen improbabile consequens; cur alios quæram. Hunc olim posuisse me memini, hunc repono. Quotiescumque unum concipitur, sine altero, inter id quod concipitur, & id quod non concipitur datur realis distinctio: at in Deo divinitas concipitur sine relationibus; ergo inter divinitatem & relationes datur realis distinctio.* Major est Nominalis si addatur sine altero ex parte objecti. Minor est Thomistarum & Scotistarum, consequentia tamen hæretica. 2. *Probabile est me in hoc instanti posse comedere carnes: sed probabile est hoc instans esse Sabbathi; ergo probabile est me in instanti Sabbathi posse comedere carnes.* Major & minor sunt probabiles: consequentia improbabilis; quia illæ non sunt comprobabiles.

133 Sed contra: illa non placent: quia Caramuel respondere poterit, se solum admittere probabilium de eodem v.g. *est vel non est Sabbathum, Dominica* &c. mutationem probabilem; non verò probabilium de diversis, qualia solùm ibi adfert D. Borgias.

Addit quidem multa alia principia ab inconvenienti & absurdo: sed quamdiu non probat evidenter, aut saltem certò moraliter, inconvenientia ista & absurda oriri ex injusta aut illicita mutatione sententiæ probabilis, rationem certam à priori, cur inconvenientia & absurda reputari debeant, non dat; illam tamen quærit D. Caramuel, imò & Procaramuel *n.* 492. dicens: *Deberet ergo Lugo clarè & evidenter ostendere, adesse præceptum de non mutando opinionem in istis casibus; secùs semper poterit dici, quod nulli fiat injuria; cum in eligendis opinionibus homo utatur jure suo. A Lugo petimus argumenta evidentia; nam si det probabilia, oppositæ sententiæ probabilitatem demonstrabit.*

monstrabit. Præmiserat autem *n.* 2. contra præfatum Borgiam. *Ostendo igitur hinc totum Borgiæ librum, quantus est, demonstrare Caramuelis sententias, & ut hoc citò expediam, sequentem demonstrationem exaro. Illa doctrina est probabilis, quæ tam fortibus rationibus munitur, ut contra non possit ratio aliqua demonstrativa opponi, possit tamen merè probabilis; sed tales sunt Caramuelis sententiæ, quas Borgias impugnandas assumpsit* (adde: *& sub hujus munimentis D. Sinnichius*, ut vidimus *quæstiuncula* 2. *n.* 120.) *illæ ergo eædem Caramuelis sententiæ sunt probabiles.* Nos autem illam dedisse confidimus per argumentum à possessione antecedenti, & ejus in probabilibus meliori conditione.

Nota tamen, quod Procaramuel demonstrativum quærat, & multò obscurius, ac minus certum *n.* 507. proferat, videlicet, *dicamus ergo, subditum semper debere obedire legi in aliqua parte determinata temporis disjunctivè, ità ut, si non in una, in altera sit necessariò parendum mandatis Ecclesiæ; secus non constaret, quando esset Ecclesiæ obediendum, & sic numquam esset obtemperandum, quod nemo Catholicorum dicet.*

Contra enim est, quod ipse partem illam determinatam diei, in qua est Ecclesiæ parendum, quæsierit, & per ista determinatam non adferat, sed indeterminatam, videlicet ultimam, si in alia non obedierit, vel aliam, in qua obedierit. Sed quid si probabile sit ultimam, esse primam sequentis diei, erit ne hâc prima necessariò parendum? Nihil respondet, & sic minus dat, quàm ab aliis quærit. Vide tamen supra num. 128. istius *partis disjunctivæ* fusiorem refutationem.

134 Sed quid ad doctrinam D. Pasqualigi, quam Franciscus Verde Procaramuel loco supra citato n. 487. sic refert. *Notabile est quod adversus Sanchez, Palaum, Villalob. Sancium, docet in impressione Romana, cum aliis ab ipso consultis Pasqualigus decis.* 160. *num.* 3. *scilicet, posse cœnam incœptam continuari post mediam noctem; quia, ait, quis est in possessione cœnæ incœptæ, à qua non repellitur per præceptum jejunii sequentis diei: sicuti delegatus, mortuò delegante, potest prosequi causam incœptam*, cap. *licet undique*, capit. *gratum*. cap. *relatum de officio deleg.* l. *quia*, ff. de Jurisd. omn. jud. *& confessio, quæ est cœpta tempore Jubilæi, potest compleri, transactò Jubilæò, liberando tunc pœnitentem à censuris. Henriquez* lib. 8. summæ capit. 11. littera H. *Sanchez* lib. 8. de matrim. disp. 15. num. 17. *Quod consonat dictis ab eodem Pasqualigo* decis. 159. n. 6. *scilicet dari parvitatem materiæ, quæ est minus, quàm hora.* Et decis. 443. num. 14. *Subdit respectu jujunii naturalis, parvitatem materiæ esse tertiam partem horæ.*

135 Respondeo: doctrinam illam renovare omnes penè absurditates contra Caramuelem *Quæstiuncula* 1. allatas, & esse manifestè falsam. Primò: quia jura ista in favorem causæ incœptæ non sunt extendenda ultra id, quod sonant, contra leges à tota Ecclesia usu receptas. Secundò: quia post mortem delegantis non currit præceptum inhibens prosecutionem causæ inchoatæ subdelegato, sicut transactô die, quô est inchoata, currit præceptum jejunii inhibens illam alterâ die prosequi, si alterô die sit jejunium, ut supponitur: loquere proportionaliter de consuetudine absolvendi & perficiendi inchoatam confessionem, transactô Jubilæô. Quod verò materiæ parvitatem attinet. Respondeo illam admitti non debere, quatenus anne-

xam habet eversionem præceptorum graviter obligantium, prout illa ex præmissis everteret; quia hôc ipsô, quod talis, gravis est, saltem ex annexo, ut patet.

DUBII SEPTIMI

RESOLUTIO IV.

136 Dico quartò: periculosum est, in materia morali periculosa, indocto, sequi opinionem probabilem, stante formidine practicâ de veritate oppositæ sententiæ; ac proindè peccatum.

137 Probatur: quia talis formido practica habet annexum dubium practicum, an v. g. istud objectum amando, hìc & nunc non peccetur; nec indoctus commodè potest illud reformare per generalia prudentiæ principia, ut patet: qui verò dubium practicum sequitur, exponit se peccandi periculo, & quodammodò dicit, *sive actus meus peccatum sit, sive non, eum volo*, Atqui Eccli. 3. dicitur: *Qui amat periculum, peribit in illo*. Et qui ità dispositus agit, interpretativè peccatum vult. Unde meritò August. lib. de utilitate credendi cap. 11. *Quod intelligimus, debemus rationi, quod credimus authoritati, quod opinamur errori.* Ergo &c.

138 Dices fortè. Communis est Doctorum sententia, quod interdum liceat se peccandi periculo exponere, ut patet in adeuntibus partes infidelium pro eorum conversione, lupanaria pro meretricum correctione &c. Ergo &c.

Respondeo: distinguendo assumptum. Communis est &c. quod liceat se peccandi periculo exponere, citra invincibile dictamen conscientiæ, quod expositio sit melior ipsa, quàm non ipsa, sive quod te exponendo non pecces, nego assumptum: cum tali dictamine, concedo assumptum: sed ille, de quo in resolutione, hoc dictamen non habet, nec habere potest ut sic, id est, sequendo opinionem probabilem, stante formidine practicâ de veritate oppositæ sententiæ: quia cum indoctus sit, non poterit formidinem illam in praxi superare, & vincere, per dictamen & principium practicè certum moraliter, pro casu, quô necessariò est operandum, sic ut dictat, *pro hoc casu, quô mihi necessariò est operandum, debeo sequi sententiam æquè probabilem de minori, ac de majori malo; quia, ubi necessariò operandum est, inter duo mala eligendum minus*; talis enim discursus non est viri indocti, sed viri docti dumtaxat. Sed de his periculis ex professo aliàs.

Adde: peccatum, sub tali dubio commissum, esse ejusdem speciei cum peccato, de quo est dubium, an non committatur, semperque majorem malitiam, de qua dubitatur, contrahi, uti in Theol. *Tom.* 4. ostendimus.

RESOLUTIO V.

139 Dico quintò. Periculosum est in materia morali periculosa, etiam viro docto, sequi opinionem probabilem, stante formidine practicâ de veritate oppositæ sententiæ, nisi sit necessariò operandum, & simul habeat dictamen practicè certum moraliter, quod, dum necessariò operandum est, debeat sequi sententiam, saltem æquè probabilem hìc & nunc de minori ac de majori malo, juxta hoc principium, *inter duo mala eligendum minus*,

nus, sic ut formido non sit de veritate hujus principii, sed de sola veritate oppositæ sententiæ probabilis, neque practica antecedenter, sed concomitanter solum.

140 Probatur prima pars: quia ibi præcisè sistendo, sive istâ limitatione præcisâ, est eadem ratio docti, & indocti, in ipsa operatione: de indocto autem patet ex 3.Resol. de periculo &c. Ergo &c.

141 Probatur secunda pars, *nisi* &c. quia id non est sequi sententiam probabilem præcisè, & multò minus operari ex formidine practica de veritate oppositæ sententiæ; sed sequi opinionem probabilem quatenus practicè certam moraliter, certitudine morali hujus principii, ubi necessariò operandum, *inter duo mala eligendum minus*; *inter duas opiniones æquè nobis probabiles, eligenda illa, quæ est de minori malo* &c. & operari ex dictamine practicè certò moraliter, vincente istam formidinem concomitanter practicam, qualis interdum etiam in actibus fidei supernaturalis comitatur, uti dubitatio practica, de qua Scotus in 3.dist.23.q.un.n.15. *Nec fides excludit omnem dubitationem vincentem & trahentem in oppositum.* Neque ipsa obstat; quia dum actus fidei supernaturalis producuntur, tam illa formido concomitanter practica, quàm dubitatio hæc etiam concomitanter practica, semper vincitur. Unde P. Vincentius Baronius disp.1. sect.2. art.2. §. 1. *Non probabilitates omninò profligamus, qui etiam dubia ad usum revocanda docemus, videlicet, cum duo disparia mala imminent, nec gravius amoveri potest, nisi dubiæ & minus probabili adhæreas sententiæ, quæ tunc fit certissima.* Ità ille ad *Dialogum* P. Fabri *pag.*2.

142 Sed quid ad D. Sinnichium *Saulis Exregis* lib.1.c.97.n.364. *Non videtur unquã occurrere necessitas ad prorumpendum in actũ opinandi: atque adeò videtur quispiam spontaneè seu ultroneè se exponere periculo errãdi, quoties reipsâ prorumpit in talem actum.* Probatur *istud subsumptum: quia poterit quis semper & ubique elidere quamcumque prætensam necessitatem, imitando homines pro statu primæ integritatis, quorum de unaquaq; re semper, aut verum mentis judicium futurum fuisset, ut de rebus cognitis; aut nullum, ut de rebus prorsus incognitis; aut suspensum, ut de rebus animo quidem oblatis, sed incertis aut ambiguis*: ergo &c.

143 Respondeo negando assumptum & subsumptum, pro casu v. g. quô sit hic & nunc necessariò judicandum, licèt pro utraque parte invincibiliter occurrat æquale periculum peccati, super valore primi aut secundi matrimonii, super electione dignioris concurrentium, super furti restitutione alteri prætendentium &c. aut si duo præcepta incompatibilia concurrunt, quorum alterum subitò est necessariò observandum, ut v.g. audiendi Sacrum & assistendi infirmo, abstinendi à carnibus & comedendi carnes, non ferendi signum protestativum falsæ religionis & conservandi vitam sine illo non conservandam: dantur enim casus, in quibus hæc, vel similia præcepta, ità concurrunt, ut subitò alterutrum sit necessariò observandum, absque potestate morali ulterius indagandi, sub concurrentia rationum & authoritatum apprehensarum pro utraque parte æquè probabilium: in his autem casibus, omnimoda concurrit necessitas ad prorumpendum in actum opinandi, nec ullus ultroneè se exponit periculo errandi, dum reipsa prorumpit in talem actum, servando regulas à jure præscriptas, ut v.g. *de minori inter duo mala eligendo*, & alias in titulis *de*

regu-

regulis juris, de dubiis &c. contentas, si occurrant; aut alterutram opinionem eligendo, si invincibiliter non occurrant, quod indoctis satis frequens est; aut cæteris paribus, & ritè perpensis regulis istis, judicium invincibile accedat, quod rarissimè doctis contingit, de æquali hic & nunc invincibiliter apprehenso tali.

Unde subsumpti probatio supponit falsum, videlicet, quod de rebus incertis aut ambiguis semper ad ulteriorem indagationem suspendi possit judicium: hincque penè omnia corruunt, quæ Sinnichius *Capite citato* in eversionem opinionis probabilis allegat. Ut *primò*: quod ille ex tali opinione operando, *sequatur ignorantiam pravæ dispositionis.* Quia in statu opinandi, uti operandi necessitatis, evidenter sequitur solam ignorantiam invincibilem veritatis alterutrius partis, quam (licèt sit fœtus humanæ mentis peccato jam corruptæ, ac per hoc inordinatæ, uti fomes peccati in renatis, præscindendo à motibus pravis, ad quos illa non inclinat; verè tamen Augustinus *lib. de utilitate credendi capite* 11. dicit, *tria sunt velut simillima sibimet, in animis hominum distinctione dignissima: intelligere, credere, opinari, quæ si per seipsa considerentur, primum semper sine vitio est, secundum aliquando cum vitio, tertium nunquam sine vitio:* quia S. Augustinus intelligi debet de opinione probabili, præcisâ aliunde certitudine morali ignorantiæ invincibilis in perseverante non voluntariæ, quam superaddendam volumus) quispiā pravè pravam vocaret, ob authoritates præmissas *dub.* 3. à *n.* 14. *ad* 24. ex Scriptura, Pontificibus, Patribus & aliis. Secundò: *quod nemo unquam opinatur, quin simul careat scientia ejus rei, circa quam hallucinando operatur.* Quia probavimus in Logica *tract.* 9. *disp.* 3. *dub.* 3. *resol.* 3. non solum scientiam & opinionem de eodem objecto per diversa media posse simul naturaliter in eodem intellectu consistere, sed & in eundem actum coalescere; ex quo inferimus à fortiori, dictamen moraliter certum, de quo suprà, posse simul cum opinione consistere, & debere, probatur infrà *Resol.* 6. *n.* 275. *Sed contra* &c. Tertiò: *quod usque adeò vicinus sit opinioni error, ut Augustinus scripserit*, locô citatô, *Quod intelligimus debemus rationi; quod credimus authoritati; quod opinamur errori.* quia loquitur *de illis per seipsa consideratis*, ut patet ex priori loco; non verò de opinione ut conjuncta dicto dictamini practicè moraliter certo, prout nos: neque vult, quod opinamur, semper deberi justorum errori culpabiliter pravo, sed vitioso, quod potest esse inculpabiliter vitiosum, uti & ignorantia invincibilis ex peccato originali contracta post Baptismum ritè susceptum.

144 Quid secundò. Ad D. Fagnanum *in cap. ne innitaris*, qui istam electionem alterius æqualium opinionum de oppositorum æquali malo fortiter impetit

145 Primò n. 139. *Cum rationes utrinq; sint æqualis ponderis, intellectus instar stateræ habentis ab utraque parte pondera æqualia, stat in pendenti, ut dicta l.* Duo judices. *ibi:* utramque in pendenti esse. *ff.* De re judic. *nec potest flecti, & inclinari magis in unam partem, quàm in alteram; quia non habet sufficientia motiva ad judicandum probabiliter veram magis hanc, quàm illam, quod est opinari. Unde oportet intellectum quiescere, quod evidentius monstrabitur infra in* 14. *argumento primæ conclusionis à n.* 154. *Hoc posito. Si quis reluctāte rationabili potentiâ, adhuc vellet*

opinari, & sequi utramque opinionem æquè probabilem, aut earum alteram: hic sanè proditor esset perspicaciæ sui intellectus, nec putaret sic componendo se verum dicere: ideoq; non opinaretur, sed fingeret; quia non moveretur ab objecto, sed à voluntate, ut patet exemplo stateræ existentis in æquilibrio, quæ si paulisper à manu moveretur, jam non libraret æquâ lance, nec verum diceret, sed magis fingeret. Quippe, tam in statera, quàm in intellectu pondera sunt independenter à libertate. Nam imaginari quidem possumus, ut volumus; non autem opinari: quia imaginari est fingere pro libito voluntatis, & componere ad ipsius imperium; sed opinari est non pro arbitrio fingere, sed examinare, & sequi rationum monumenta, à quibus intellectus determinatur ad hoc, vel illud opinandum, ità ut non sit in voluntatis arbitrio.

146 Secundò num. 152. *Ex communi Theologorum sententia, in actibus humanis, ad hoc, ut quis honestè operetur, necesse est, ut habeat certitudinem, saltem moralem, de honestate operationis,* c. *Si quis positus,* &c. *Si quis autem,* in fin. *de pœnit.* dist. 7. *& constat ex dictis suprà in præcedenti quæstione in 6. Fundamento* num.70. & num.98. *Talis autem certitudo haberi non potest de utraque contradictoria, in* qua ex una *parte affirmatur honestas operationis, ex altera negatur, quando utraque est æquè probabilis; quia de neutra potest haberi, & intellectus fluctuat inter utramque, ut inquit Boërius* decis. 11. num.28. *Ergo remanet conscientia æquilibris, ut loquitur Joannes Gerson. apud Gabriel* dist. 15. art.2. dub.2.

147 Tertiò num. 154. *In paritate contrariorum motuum oportet quiescere; ideoq; corpus in vacuo nunquam movebitur, ut dicitur* 4. Physicor. *quoniam non est, cur magis determinetur ad hanc partem spatii, quàm ad alteram: & corpus si esset ex æquo grave, & leve, neque ascenderet, neque descenderet; siquidem non esset potior ratio, cur determinaretur ad ascensum, quàm ad descensum. Et ob eandem rationem, si bruto esurienti proponerentur duo pabula, in æquali distantia, ità ut omnia essent paria, brutum ad nullum pabulum moveretur, & fame periret. Quod clarè docuit Aristoteles assignans rationem quietis terræ in medio* lib.2. de cœlo text.93. *in hæc verba:* [*Quemadmodum de capillo est sermo validè quidem, sed similiter undique extenso, quod non disrumpetur, & de esuriente, ac sitiente vehementer quidem, similiter autem, & ab esculentis, & poculentis æqualiter distante: etenim hunc quiescere necessarium.*] *Hæc ibi. Quod evidenti etiam experientià comprobatum est, ut dicitur, in Asino Buridani. Et Bartholomeus Medina* in 1.2. q.13. art. 2. *in solutione* primi, *testatur se novisse hominem quendam dementem, qui propositis duobus pomis in æquali distantia, cruciabatur ut comederet, & non poterat, nisi ab alio applicaretur potius ad unum, quàm ad aliud. Ergo similiter necessarium est intellectum quiescere, ubi rationes utrinque sunt æquales; cum non sit potior ratio, quare flectatur in unam, quàm in aliam partem: intellectus enim ità movetur ab objecto veri, sicut appetitus sensitivus bruti ab objecto delectabili. S. Thomas in* 1.2. quæst.13. art. 2. *in corp. &* ad 2. *Et quemadmodum brutum non agit liberè, sed naturaliter, cum sit determinatum ad unum particulare secundum ordinem naturæ, ut ibi dicitur: similiter & intellectus; quoniam patitur ab intelligibili, ut sensus à sensibili, ut patet in* 3. de Anima text.3. *Unde sicut sensum factum in actu per speciem sensibilem necesse est sentire, ità & intellectum factum in actu per spe-*

speciem intelligibilem necesse est intelligere, *ut inquit S. Thomas* contra Gentiles l. 1. cap. 46. in 2. notab. *Et quamvis voluntas propositis duobus bonis per intellectum possit unum eligere, & alterum refutare, cum habeat libertatem contrarietatis*, l. *libertas*, ff. *de stat. homin. & docet S. Thom. in* 1. p. q. 83. art. 1. *tamen secus est in intellectu; quia non agit liberè, sed cogitur ab intelligibili, licet voluntas non cogatur ab appetibili, ut idem docuit in* 1. sent. dist. 48. art. 3. ad 1.

148 Quartò num. 157. *Certitudo nihil aliud est, quam determinatio intellectus ad unum, ut diffinit S. Thom. aliàs citatus in* 3. sent. *dist.* 23. quæst. 2. artic. 2. quæst. 3. *Non potest autem intellectus se ad unum determinare, cum motiva hinc inde sunt æqualia; quia non est ratio, cur se determinet ad unam partem magis, quàm ad alteram; & ideò cogitur quiescere, ut supra proximè probatum est. Ergo certitudinem non habet, sed dubitat.*

149 Quintò ibidem. *Judicare utramque partem contradictionis esse æqualiter probabilem, est judicare utramque non minus apparere veram, quàm falsam: nam qualibet ex proprio motivo apparet vera, & ex motivo suæ oppositæ apparet falsa; unumquodque enim motivum quantò magis suam partem facit apparere veram, tantò magis suam oppositam facit apparere falsam*, cap. *Hospitiolum*, in fin. 32. *dist.* l. 1. *ff.* De his, qui sunt sui, vel alien. jur. *& docet Card. Cajetan. supracit.* nu. 88. *Cum igitur ex utraque parte motiva sint æqualia, utraque pars æqualiter apparebit vera, & æqualiter apparebit falsa: sed nullus potest opinari de propositione, quæ sibi æqualiter apparet vera, & æqualiter sibi apparet falsa, cum opinari sit judicare propositionem veram, cum sola formidine, quod sit falsa, ut ostensum est sup.* num. 127. *Ergo cum intellectus judicat utramque partem contradictionis esse æqualiter probabilem, de neutra potest opinari, sed necessariò dubitat.* Quamobrem nu. 170. sic concludit. *Verissima est igitur prima conclusio superius proposita* num. 125. *id est, Qui judicat duas opiniones oppositas esse æqualiter probabiles, vel quasi æqualiter, non est moraliter certus; sed dubius.*

150 Respondeo ad primum ex *nu.* 139. D. Fagnanum loqui in casu, quô intellectus quiescere potest, ut patet ex his verbis, *unde oportet intellectum quiescere*, & de motivis probabilibus præcisè, ut patet ex his, *non habet sufficientia motiva ad judicandum probabiliter veram magis hanc, quàm illam.* Nos verò in casu, quô alterutrum ex judicio practico necesse est eligere, & pro una parte superadditum principium moraliter certum: & dicimus, hôc casu, intellectum certò moraliter judicare, illam partem esse veram, quàm voluntas elegerit, motum hoc principio *in dubiis æqualibus, quorum alterum est necessarium, voluntati optio datur*, uti ratio naturalis dictat. Unde illud judicium non erit minus moraliter certum, quod sequendo invincibiliter erretur, si erretur, quàm hoc principium, *in dubiis æqualibus, quorum alterum est necessarium, voluntati optio datur.* Ac sic nostra & D. Fagnani doctrinæ sunt disparatæ, nósque D. Fagnani doctrinam sensu datô admittimus; ipse autem nostram, etiam sensu datô, non rejicit, imò nec tangit.

151 Respondeo ad secundum. D. Fagnanum persistere in dicto casu & motivis probabilibus præcisè; nos in altero & adjuncto principio moraliter certo, vi cujus cessat intellectus fluctuatio, & pro una

una parte potius, quàm altera potest haberi certitudo moralis. Unde etiam patet ipsum nobis non contradicere loco *n.*267. infra explicando.

152 Respondeo ad tertium: eodem modo. Exempla enim mobilis in vacuo, & Asini Buridani, propositis æqualibus, pabulis, in æquali distantia, solum concludunt pro casu & motivis probabilibus præcisè à D. Fagnano intentis; non verò pro nostro & adjuncto principio moraliter certo, quod est ex dictamine innato intellectui, non ita mobili in vacuo, aut Asino Buridano.

153 Respondeo ad quartum: similiter; patet enim ex dictis à nobis bonam rationem adferri, cur intellectus magis se determinet ad unam partem, quàm alteram, nec solum non cogatur quiescere, sed non possit.

154 Respondeo ad quintum. Nihil plus concludere, ut patet. Unde fatemur Conclusionem 1. D. Fagnani in casu & motivis probabilibus præcisè ab eo intentis esse verissimam; sed nostræ doctrinæ non opponi, nec eam tangere, cum sint de diversis.

155 Dixi tamen suprà num. 143. *servando regulas à jure præscriptas, ut v. g. de minori inter duo mala eligendo, & alias in titulis.* de regulis juris, de dubiis &c. *contentas:* quales sunt juxta D. Fagnanum num. 231. *In dubio judicandum ut actus valeat potius, quam pereat.* l. Quoties, & l. 2. *ff.* de reb. dub. *quam reginam omnium interpretationum appellat Card. Mant.* de conjectu. ultim. volunta. *lib. ult.* tit. ult. n. 13. *Item in dubiis præferendum quod in regione in qua actum est, frequentatur.* l. *Semper in stipulationibus*, *ff.* de reg jur. *Imò in opinionibus deligendis primo loco spectandam esse antiquam, & probatam consuetudinem; quia minimè mutanda sunt, quæ certam sententiam semper habuerunt*, l. *Minimè*, *ff.* de Legib. *censet Matthæus Matthesil. in suo opusculo* electionis verioris opinionis, *& Sylvester in* ver. *Opinio*, num. 2. *Item ubi contrariæ extant sententiæ, pronunciandum est pro possessore.* l. *Res alienas.* C. de rei vendic. *Et potius pro reo, quàm pro actore, nisi in causa favorabili, puta, matrimonii, libertatis, dotis, seu testamenti, ut legitur in* c. fin. de re judica. *per quem textum præferendam esse opinionem, quæ favet matrimonio, etiam contra communem, scripserunt Host. & Abb. in* c. Si vir, de cognat. spirit. *Barbos.* consil. 60. *Scriptum*, lib. 7. *& Dec. in* c. 1. nu. 95. *sup.* eod. *Idemque de opinione, quæ favet potestati Clavium, scripsit idem Host. in* c. Rursus. Qui Clerici, vel voven. *& ibi etiam Jo. Andr.* propè fin. *& Felin. in d.* c. 1. nu. 54. *vers. Quintò* limita.

156 *Aliàs ubi sunt opiniones discordes, Judex tenetur sequi communem.* C. Novimus. *ibi:* Et quorumdam sit opinio à pluribus approbata, *de ver signif.* C. de judiciis. ibi: *in quo plurimi concordant*, 3. qu. 3. *c. in canonicis.* 19. dist. *& l.* 1. de off. quæst. *Bald. post Jo. Andr. hic* nu. 8. *ubi reddit rationem, quia communis opinio habet vim consuetudinis. Gemin.* consf. 48. *Pro examinatione*, num. 5. *vers.* Item quia major numerus Doctorum. *Dec. post alios, in* D. c. 1. num. 93. *sup.* eod. *Alioquin facit litem suam*, secundum Angel. *Aret. in* consf. 9. *Videtur primò* num. 10. *vers.* Et clarum est in jure *Decian.* consf. 3. n. 17. lib. 7. *Felin.* in d. c. 1. nu. 54. *vers.* Et ubi DD. discrepant, & dicitur per imperitiam judicare. *Bald. in l.* Propterea per illum textum, *ff.* de Senat. *& Alex.* consf. 95. *Visis*

sis processibus, num. 6. lib. 2. *Rursus in dubiis præferendum, quod benignius est, quod verisimilius, quod plerumque fieri solet.* l. *Semper in dubiis.* l. *In obscuris*, & l. *Quoties idem*, ff. de reg. jur. *& quamplures aliæ his consimiles, quæ compendiosè recensentur à Matth. Matthesil.* in d. Opusc. *electionis verioris opinionis inter tractatus communes.* Præmiserat autem numero 230. *à Theologis partem tutiorem appellari, non tantum illam, in qua nullum peccatum est; sed etiam illam, in qua minus malum reperitur, si necessarium sit ex duobus unum eligere, ut explicat Covar. in.* 2. par. de matrim. *c.* 7. §. 2. num. 7. *Cæterum propriè illa dici non debet pars tutior; sed potius minus periculosa; quia verè utrinque imminet periculum, licèt alterum sit altero gravius, sicut ex duobus malis, quod levius est, non dicitur melius, sed minus malum, ut in c.* Duo mala, *& c.* Nervi. 13. *dist.*

RESOLUTIO VI.

157 Dico sextò. Ut quis licitè in materia periculosa, quæ mores concernit, operetur, sive ad formandã conscientiam practicè certam, non sufficit hoc judicium, *licet mihi operari ex opinione probabili, quæ passim non rejicitur, ut improbabilis.*

158 Probatur: quia ista limitatio nihil operatur: nam vel demonstrativè rejicitur ut improbabilis, vel solùm probabiliter? Si prius: frustra requiritur, ut passim &c. cum evidens sit, neminem posse sequi opinionem, quam demonstrativè rejicit ut improbabilem, præsertim cum velimus debere rejici ut probabilem præcisè. Si posterius: ex una parte per sententiam probabilem tantum ut improbabilis rejicitur; & ex altera, illa improbabilem solum reddit probabiliter talem, ac ideò relinquit probabiliter probabilem: ergo si liceat mihi operari ex opinione probabili, quæ passim non rejicitur, ut improbabilis, licebit mihi operari ex opinione probabili quæ passim rejicitur, ut improbabilis: sed hoc nullus dixerit: ergo &c.

159 Confirmatur: non licet mihi operari ex opinione probabili præcisè, uti Resol. 5. probatum est; ergo neque ex opinione, quæ passim non rejicitur, ut improbabilis. Probatur consequentia; quia quod rejiciatur, vel non rejiciatur ut talis, est impertinens, hôc ipsô, quod per sententiam probabilem tantum, & quæ, ut ista, ab uno aut pluribus aliis, rem penitiùs spectantibus judicari potest improbabilis, rejicitur: ergo &c.

RESOLUTIO VII.

160 Dico septimò. Ut licitè operer in materia periculosa, quæ mores concernit, non sufficit hoc judicium, *licet mihi operari ex opinione probabili* præcisè, & non additô aliô judiciô moraliter saltem certô, videlicet, *quod sic operando, nullam eludam obligationem, cujus possessio juxta communem prudentum invincibiliter operandi modum, præferri non debeat*, sive *quod hic & nunc operando non peccem.* licèt simul non occurrat opinio opposita æquè probabilis aut probabilior. Ità D. Fagnanus *in cap. ne innitaris num.* 59. ubi præmissis pro affirmativa fundamentis, sic resolvit. *Sed prædictis minimè obstantibus, adhærendum videtur contrariæ sententiæ, quæ licèt authoribus modernis sit ferè destituta, innititur tamen sapientiæ antiquorum, & fulcitur solidissimis fundamentis.* In oppositam

sententiam acerrimè invehitur, eamque innumeris penè censuris gravat, D. Sinnichius *Saulis sui Exregis lib.* 1. quas hîc subjicimus: non quod illis omnes probabilitatum patronos putemus à D. Sinnichio affectos, aut à nobis, ut post singulas apparebit, vel aliis afficiendos: sed ut, vel suas opiniones retractent, si qui, justè affecti, vel nè in illas, nimium laxando, incidant non affecti. Igitur sic ibi lego

161 Primò Cap. 94. num. 352. *Postulat tractationis ordo, ut hôc locô breviter perstringamus Neotericorum quorumdam Ethicen, sive morum doctrinam, nimiò jam successu in Ecclesia adolescentem, multigenâ librorum editione sese diffundentem, omnibus passim se opportunè importunè ingerentem, libertinis summoperè arridentem, prisco Ecclesiasticæ disciplinæ rigori, non tam insidiantem, quàm insultantem, suffragatorum multitudine crebrescentem, eorumdemque claritudine celebrescentem: quæ humanarum opinionum dictaminibus tantum defert, sive arrogat, ut unicuique licere asserat, quidquid propria conscientia probabilitate subnixa præscripserit.*

162 Deindè refert P. Thomæ Tamburini *lib.*1. *in Decalogum c.*3.§.3. sententiam, & nu. 353. subdit, *Nolo dicere, sententiam istam per omnia coincidere cum errore libertinorum, superiori capite disploso: vereor tamen, ne nimis propè accedat, atque ei revehendo aditum pandat. Gnostici* §. 349. *memorati dicebant*, Solâ humanâ opinione differre negotia bona, & mala. *Manichæi ibidem relati dicebant*, qui aliquod facinus exultante perpetraverit audaciâ, velut credens se ex fide facere, quod malè facit, evasit culpam. *Quintinistæ ibidem descripti dicebant*, nihil esse peccatum, nisi eorum opinione, qui se peccare putant. *Hi nostri asserunt*, qui aliquid aperatur, motus ex opinione probabili, benè operatur, & sine peccato: *Et hoc dicendo*, per opinionem probabilem *intelligunt omnem eam, quæ* nititur ratione vel authoritate alicujus momenti, modò pro parte oppositâ nihil appareat convincens. *Porrò ut ratio vel authoritas censeatur* alicujus momenti, *non necesse putant, ut reipsâ sit alicujus momenti, aut ut certò quis sibi persuadeat eam esse talem; sed ut saltem probabile sit, eam esse talem: neque de hac ipsa reflexiva probabilitate constare volunt aliter, quàm probabiliter. Itaq; ut quis tutò ac sine peccati scrupulo sententiam quampiam in praxi sequatur, sufficerit, probabile esse eam probabiliter esse probabilem. Quamvis autem plerimque distinguant probabilitatem intrinsecam seu rationalem, ab extrinseca seu authentica; priorem tamen ultimatè resolvunt in posteriorem. Cum enim dicunt ad probabilitatem intrinsecam requiri rationem sive* firmam, *sive* alicujus momenti; *non exigunt ut reipsâ sit*, firma, *vel* alicujus momenti; *sed satis esse reputant, quod probabiliter sit talis, & quidem probabilitate extrinsecâ, sive authenticâ. Ad hanc denique constituendam sufficit eis unus author doctus, etiam* contra innumeros, *qui rem ex professo tractarit. Sed quid si non certò constet hunc unum authorem doctum esse, vel materiam ex professo tractasse? Sanè juxta horum Maximas, nihil id obstabit, dummodò probabile sit eum doctum esse, & materiam ex professo tractasse:* quia dum probabilitate, sive intrinsecâ, sive extrinseca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus nō exeatur, confisi aliquid agimus, sēper prudenter agimus. *Quid verò si extrinseca illa authoritas nitatur solum suffragiis authorum, quos non certò constat doctos esse? etiam hoc nihil obstabit, dummodò probabile sit eos es-*

se doctos; idque probabilitate, sive intrinsecâ, sive authenticâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur; *etiam opinione probabiliore relictâ, etiam omissâ tutiore, etiam communi, etiam in articulo mortis, ubi de æternitate jacitur alea. Imò verò non opus est plurium suffragiis, sed unius authoritas sufficiet, dummodò is fuerit vel probabiliter doctus, & materiam ex professo probabiliter tractaverit. Sed quid si ille propriâ suâ dumtaxat opinione sit doctus? nec hoc obstabit, dummodò probabile sit, probabilitate intrinsecâ vel extrinsecâ, eum esse doctum. Sed quomodò poterit hoc esse probabile, cum nemo censeatur idoneus testis in sua causa? Etiamsi nemo sit idoneus testis in sua causa ad certò persuadendum, potest tamen quis esse idoneus testis in sua causa ad probabiliter suadendum. Et hoc* ipsum *tametsi certum non sit, probabile tamen est: idque sufficit*: quia in humanis, ut cum prudentia, quæ est certa regula actionum, operemur, nonnisi probabilitas necessariò requiritur. Id quod ità certum est, & ità à Doctoribus comprobatum, ut nostra discussione non indigeat. *Ex qua deductione obvium est cernere, quàm prope accedat hujusmodi authorum persuasio, ad errorem istum Manichæorum, superius ex Juliano relatum:* Qui aliquod facinus exultante perpetraverit audaciâ, velut credens se ex fide facere, quod malè facit, evasit culpam. *Sunt præterea quidam ex hujusmodi opinionum laxiorum, quas ipsi vocare solent* benigniores, *patronis, qui asserunt, quod* ut actio quæpiam sit peccaminosa, oportet, ut procedat ab homine, qui noscit, & percipit, quid boni malive in ea sit: & antequam id videat, aut animum reflectat, actio neque bona est, neque mala. *Sic enim habet articulus* 25. *inter eos, quos ad requisitionem Episcopi Gandavensis anno* 1657. *die quinta May censuravit Facultas Theologica Lovaniensis. Qui profectò articulus non parum symbolizat cum illo libertinorum dogmate suprà hic relato* nihil est peccatum, nisi eorum opinione, qui se peccare putant. *Cum eodem pariter symbolizare videtur illa Tamburini assertio:* Cum tibi menti non occurrat, illud esse peccatum, nec ullum dubium de indagandâ veritate, jam laboras inculpabili conscientiâ, per oblivionem seu inadvertentiam: à quibus excusari operantem, perindè ac ab ignorantia, innui suprà *c.* 2. §. 10. *num.* 1. Ita ille. Sed

163 Contra: neque nobis prodest, neque ab Ecclesia toleratis probabilitatum Patronis catholicis obest, quod adfert de Gnosticis, *Solâ humanâ opinione differre negotia bona & mala.* Quia nec nos, nec ulli tolerati probabilitatum Patroni catholici, dicimus, omnia quæcumque sunt irreligiosa & impia solâ opinione humanâ posse fieri bona, prout volebant Gnostici: nec nos, nec ipsi, negamus aliqua esse naturâ, sive naturæ dictamine, mala, prout Gnostici, uti ipse D. Sinnichius probat *cap.* 93. *num.* 349. aiens. *Est præterea alius quidam error, humanæ saluti plurimum exitiosus, quem perversa libertatis ambitio suis inspiravit clientibus: honestatem scilicèt & pravitatem cujusque operis, ex mera pendere opinatione operantis; ità ut unicuique liceat, quidquid sibi licere persuaserit. Quem errorem* Gnosticis, *signanter* Carpocratianis, *attribuit Irenæus, ità de iis scribens:* In tantum insaniâ effrænati sunt, ut omnia quæcumque sunt irreligiosa & impia potestatem se habere operandi dicant: solâ enim humanâ opinione differre negotia bona & mala. *Et rursus ibidem post pauca.* Secundum o-

pinionem hominum quædam quidem bona, quædam autem mala vocari asserunt, cum nihil naturâ malum sit. *De iisdem & Epiphanius:* Cum mentem suam, *inquit*, licenter insaniæ exposuerint, innumeris voluptatum affectibus, seipsos tradunt: asserunt enim, quod quæcumque apud homines mala esse putantur, ea mala non sint, sed naturâ bona. Nihil enim naturâ malum esse, sed hominibus quædam putari mala.

164 Neque etiam illis obest, aut nobis prodest, quod adfert de Manichæis, quod, *qui aliquod facinus exultante perpetraverit audaciâ velut credens se ex fide facere, quod malè fecit, evasit culpam.* Quia, nec nos, nec ulli probabilitatum Patroni catholici, dicimus, solam conscientiam formidantem culpare, & exultantem audaciam à culpa excusare, prout juxta Julianum volebant Manichæi, uti etiam ipse D. Sinnichius probat *nu.* 349. *citato.* aiens *Eundem errorem Manichæis attribuit Julianus. Pelagianista apud Augustinum, non quidem ei assentientem, sed nec omninò repugnantem, hisce ad eum verbis:* Quid ad nos pertinet, quia Manichæos dicere affirmas: Si quis homicidium conscientiâ formidante commiserit, reus est, qui timuit; si autem aliquod facinus exultante perpetraverit audaciâ, velut credens se ex fide facere, quod malè facit, evasit culpam. Quod quidem nunquam audivi dicere Manichæos. Sed quid ad nos, sive dicant, sive etiam ipsis calumnieris: cum Catholica hoc non dicat fides, quam tenemus, & cujus te pondere urgemus.

165 Neque etiam illis obest, aut nobis prodest, quod adfert de Quintinistis, *Nihil esse peccatum, nisi eorum opinione, qui se peccare putant.* Quia nec nobis, nec ullis ab Ecclesia toleratis probabilitatum Patronis catholicis, nihil æquè displicet, nihil magis improbatur, *atque simplex & germanus Ecclesiæ sensus, aut nobis vel illis Christus est Satanas, & contra; vitium virtus, & virtus vitium.* Neque ex nostra & illorum sententia, *nihil est peccatum, nisi eorum opinione, qui se peccare putant* hôc sensu *nullum est peccatum formaliter eorum, qui se peccare non putant, licet erroneè vincibiliter,* & sic de aliis, quæ volebant Manichæi, uti etiam probat D. Sinnichius *n. citato* aiens. *Hunc ipsum errorem novissimis hisce temporibus resuscitarunt.* Quintinistæ, *qui & Libertini antonomasticè dici jam consueverunt:* libertinos *inquit Lindanus,* à libertate, quam prædicant Evangelicam, P. Viretus facit Catabaptistarum prolem. Fanaticum hominum genus, in quo jure credas revixisse Gnosticos & Valentinianos. Nihil eis æquè displicet, nihil magis improbatur, atque simplex & germanus Scripturæ sensus. Illis Christus est Satanas, & contra, vitium virtus, & virtus vitium. Nihil enim ex eorum sententia peccatum, nisi eorum opinione, qui se peccare putant (subaudi sensu statim datô.) Verus Dei timor, & eô imbuta conscientia, pro inferno illis habetur: pro paradiso autem conscientia divini judicii contemptrix, secura, stupida, & consopita. Hoc nominis varias sectas sibi usurpare in Brabantia & Hollandia indicat Calvinus, suppressâ furoris hujus origine: sed in Gallia appellari ait *Quintinistas*, à quodam Quintino sartore Picardo, qui illic eas sparserit, cum quodam Coppino. *Et rursus ibidem paulò post de iisdem.* Cæterum, *inquit*, suam spiritualem regenerationem in eo collocant, ne ullâ re,

nec

nec peccati remorſu, nec Dei timore, nec judicii terrore tangantur. Unde docent, omnia homini eſſe licita ſine ulla exceptione, omneque genus vivendi probant. Lenonem ſuo fungi munere volunt, fures audacter furari jubent, matrimonia diſſolvunt, quæ appellant carnalia, ubi uxor mariti ſui tædium cœperit. Unde & permiſcuos laudant concubitus, modò alter altero ſit contentus, id ſpirituale vocant matrimonium. Communionem Sanctorum interpretantur communionem bonorum temporalium: ideoque quantum quiſque poteſt, ut rapiat, ſuadent.

166 Replicabit D.Sinnichius. *Hi noſtri*, ſcilicet probabilitatum Patroni, *aſſerunt*, quod qui aliquid operatur motus opinione probabili benè operatur, & ſine peccato; *& hoc dicendo*, per opinionem probabilem *intelligunt omnem eam* quæ nititur ratione vel authoritate alicujus momenti, modò pro parte affirmativa nihil appareat convincens. *Nolo dicere ſententiam iſtam per omnia coincidere cum errore libertinorum*, ſuperiori *cap. diſploſo: vereor tamen ne nimis propè accedat, atque ei revehendo aditum pandat.*

167 Sed contra: optarem, citaſſet unum probabilitatis Patronum pro Catholico receptum, qui ſequentem opinionis probabilis explicationem, conſonam illi, quam *Reſol.* 2. ex noſtro Lezana poſt multos, quos *Conſulto* 48. pro illa citat, & D. Proſpero Fagnano attulimus, tanquam falſam rejiciat, aut tanquam veram non admittat, aut ſaltem ſupponat, nempè, *Opinio probabilis eſt dictamen, ſeu judicium aliquod practicum, ſemper S. Scripturæ & Eccleſiæ diffinitionibus, communi SS. Patrum conſenſu & lege naturæ ſalvis, fundatum in authoritate alicujus vel aliquorum Doctorum in Eccleſia probatorum, rationibus congruis ac ſolutione congrua fundamentorum oppoſitæ opinionis.* E contra verò unum Gnoſticum, Manichæum, Quintiniſtam aut Libertinum, qui iſtam opinionis probabilis explicationem tanquam falſam non rejiciat, aut tanquam veram admittat. Ego reverà nullum talem legi; ſi tamen reperiantur, meritò in eos ità invehitur D. Sinnichius, ipſique ſuum periculum ex præcitatis ſufficienter diſcere poſſunt, ut fugiant, & patronos doctrinæ emendatioris audiant.

168 Secundò Cap. 95. n. 357. *Nemo neſcit; humanam quamcumque opinionem, eô ipsô obnoxiam eſſe periculo erroris, quod non tranſcendat limites probabilitatis. Si igitur contingat eam reipsâ errare, prout contingere poteſt, quiſquis ei ſe in operando vel otiando conformaverit, opinione falsâ decipietur. Non ergo ad vitam, ſed ad mortem verget: dicente Lactantio,* In æternum ſtultitiæ pœna ſubeunda eſt, ſi aut perſona inanis, aut opinio falſa deceperit. *Ubi notatu dignum eſt, Lactantium loqui non de opinione improbabili, ſed ſimpliciter de falſa: qualis poteſt eſſe ea, quæ non ſolum probabilis, ſed etiam inter probabiles probabiliſſima exiſtit. Sicut enim opinio ſive minus probabilis, ſive etiam minus quàm probabilis, poteſt eſſe vera: ità ex adverſo opinio probabilior, vel etiam probabiliſſima, poteſt eſſe falſa. Quamdiu ergo intra limites probabilitatis hæretur, errandi periculo non plenè obviatur. In materia autem morum neceſſaria, prout ex Lactantio mox audivimus, ſi quid fuerit erratum, vita omnis evertitur. Cui doctrinæ favere planè videtur Auguſtinus, dum enumeratis aliquot peccatorum divinæ Legi adverſorum generibus ait Catechumeno, quem inſtruere ſatagit.* Cum videris multos non

solum hæc facere, sed etiam defendere, atque suadere; tene te ad legem Dei, & non sequaris prævaricatores ejus. Non enim secundum illorum sensum, sed secundum illius veritatem judicaberis.

169 Contrà Probabilitatum Patroni facilè admittent, quod, *sicut opinio, sive minus probabilis, sive etiam minus quam probabilis, potest esse vera, ita ex adverso opinio probabilior, vel etiam probabilissima, possit esse falsa. Et quamdiu intra limites probabilitatis hæretur, errandi periculo* physico & materiali *non plenè obviari.* Sed contendent periculum hoc probabilibus, probabilioribus & probabilissimis esse formaliter inculpabile culpâ distinctâ, à perseverante, à qua est, uti invincibile; & solum morale & formale esse formaliter culpabile culpâ distinctâ, à perseverante, à qua est, & vincibile, quæ sunt rectæ rationi & Pontificum decretis conformia, ut vidimus *dub.* 3. Nec apparet: quid huic doctrinæ opponere possit, præter sententiam, quâ sustineretur, ignorantiam invincibilem non excusare à formali peccato, etiam distincto &c. quam ibi tanquam ab Ecclesia damnatam rejecimus: Lactantius verò & Augustinus loquuntur de sufficienter instructis in opinione vera & lege Dei, sic ut dici possint, contra illas errantes, vincibiliter errare; quò casu omnes Probabilitatum Patroni tolerati (opinione probabili sumptâ ut supra) ultrò admittunt dictum Lactantii, & consilium Augustini: unde ipsi in eo, quod ibi contendunt, rectæ rationi & Pontificum decretis conformiter loquuntur. Si quis verò intenderet periculum physicum & materiale, etiam in probabilissimis esse formaliter culpabile culpâ distinctâ, à perseverante, à qua est, etsi invincibile, contra ipsos rectæ rationi & Pontificum decretis difformiter contenderet.

170 Tertiò. Cap. 97. n. 362. *ut rectè monet Estius in 2. dist. 23. 57.* Distinguenda est triplex ignorantia: una puræ negationis, quâ nimirum aliquid nescitur, quod non opus est sciri: altera privationis, id est, ex qua nescitur aliquid, quod pro loco & tempore debet, aut convenit sciri: tertia pravæ dispositionis, quæ alio nomine error seu deceptio vocatur, quâ scilicet assentimur falsis tanquam veris, sive firmo judicio id fiat, sive opinando dumtaxat. *Ad hoc tertium ignorantiæ membrum directè vel consecutivè spectant omnes illæ de moribus opiniones, quibus probabilitatum præcones securitatem dirigendi humanas operationes attribuunt. Nec obstat: quod non omnis ejusmodi opinio reipsâ sit error sive deceptio, sed quædam subindè sint veræ. Nam inprimis opinantem latet veritas, si qua fortè subest: ac proinde eòdem prorsus modò se dictamini vero accommodat, ac si reipsâ abesset veritas, subesset falsitas. Ex quo ulterius fit, ut interpretativè censeatur falsitatem amplecti velle, perindè ac veritatem. Deindè cum juxta adversariorum placita omnes opiniones probabiles sint in praxi æquè securæ: contradictoriarum autem opinionum probabilium altera haud sit falsa: consectarium omninò est, ut juxta ipsorum placita, tam secura sit opinio falsa, quàm vera; adeoq; ignorantia dispositionis pravæ, quàm non pravæ. Quandò igitur quærunt ipsi, atque resolvunt, an probabilis opinio præstet opinanti securitatem benè operandi; implicitè quærunt, atque resolvunt, an probabilis ignorãtia pravæ dispositionis præstet ignoranti securitatem benè operandi. Resolutio porrò ipsorum affirmativa est quoad illud prius: atque adeò affirmativa esse*

debet quoad istud posterius.

171 Contrà. D.Sinnichius hîc obscurè loquitur: aut enim vult ad ignorantiam pravæ dispositionis directè vel consecutivè spectare omnes & solas de moribus opiniones, quibus *præcisè* sumptis, aliqui probabilitatum præcones securitatem dirigendi humanas operationes attribuunt: aut vult ad eam spectare omnes, etiam quibus conjungitur certitudo moralis, de qua *Resol. præcedenti* conformiter ad præmissa *supposito* 7.? Si prius: id ipsum contra illos *Resolutione præsenti* contendimus: sed hôc datô D.Sinnichius admittere debet illud posterius, & consequenter dari opinionem probabilem, cui sine ignorantia, vitio & errore pravæ dispositionis attribuatur humanas operationes dirigendi securitas, prout *Resol. præcedenti* probavimus: idque non obstante eô, quod sit obnoxia periculo erroris physici & materialis; eò quòd non transcendat limites physicæ probabilitatis: ex quo sequitur voluntarium periculum erroris physici & materialis dumtaxat non impedire operationes humanas dirigendi securitatem, sed excusari à peccato formali, uti & ignorantiam invincibilem; nec proindè hanc aut illud esse pravæ dispositionis vitium: quæ cum non admittat, nec illud prius, unde ista sequuntur admittit. Si posterius: consequenter velle debet omnes peccare, quoties operantur in materia, quæ non sit fidei, aut aliquo sensu evidens: quia quæcumque alia solam certitudinem moralem annexam habere potest, uti *suppos. 6. & 7.* vidimus; illud autem est contra mentem totius Ecclesiæ, haud secus, quam dicere, omnes decisiones Rotæ, Cardinalium, Conciliorum &c. in physicis obscuris, quæ non sunt fidei, esse peccata; quod indubiè Ecclesia damnavit, dum *omnia opera infidelium esse peccata* damnavit. Deindè decisiones illæ sunt physicè infallibiles, vel solum moraliter? Si primum: probare debet, unde illæ & omnia judicia, quibus in physicè obscuris & inevidentibus judicamus, sint physicè infallibilia & certa certitudine naturali, quæ in evidentia physica fundatur: neque hoc probato difficultatem totam superaverit; quia sequitur illa fore physicè evidentia ut diceret, & physicè inevidentia, ut patet ex eo, quod supponantur esse de physicè obscuris & inevidentibus, quæ apertas contradictiones varias involvunt. Si secundum, habemus intentum.

172 Quartò. Cap.99.n.371. *Decalogum Hebræis Moyses consignavit, in duabus tabulis lapideis descriptum. Harum prima continebat tria priora præcepta, divinam Religionem concernentia: altera complectebatur septem reliqua, quibus quisq; erga proximum ritè disponebatur; & primò quidem erga parentes:* Honora, *inquit*, patrem tuum, & matrem tuam: Honor, *inquit*, Hieronymus *in cap. 15. Matth.* in Scripturis non tantum in salutationibus & officiis deferẽdis, quantum in eleëmosynis ac munerum oblatione sentitur: Honora, *inquit Apostolus*, Viduas, quæ veræ viduæ sunt, hic honor donum intelligitur: & alio loco, Presbyteri duplici honore honorandi sunt, maximè qui laborant in verbo & doctrina Dei. Et per hoc mandatum jubemur bovi trituranti os non claudere: & dignus sit operarius mercede suâ. Præceperat Dominus, vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentum considerans, *ut filii honorarent*, etiam in vitæ necessariis ministrandis, parentes suos.

Hanc

Hanc providentissimam Dei legem volentes Scribæ & Pharisæi subvertere, ut impietatem sub nomine pietatis inducerent, docuerunt pessimos filios, ut si quis ea, quæ parentibus offerenda sunt, Deo vovere voluerit, qui verus est pater; oblatio Domini præponatur parentum muneribus. Vel certè ipsi parentes, quæ Deo consecrata cernebant, ne sacrilegii crimen incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur: atque ità fiebat, ut oblatio liberorum sub occasione templi & Dei, in Sacerdotum lucra cederet. Hæc pessima Pharisæorum traditio de alia veniebat occasione: multi habentes obligatos ære alieno, & nolentes sibi creditum reddere, delegabant Sacerdotibus; ut exactâ pecuniâ, ministeriis templi, & eorum usibus deserviret. *Videmus hinc qualiter Scribæ & Pharisæi præcepta quædam Decalogi pravis suis interpretationibus perverterint, & tanquam Doctores legis plebem sibi obsequentem seduxerint. Quid dicemus? Excusabimúsne ipsos à violatione legis, prætextu probabilitatis? Excusabimúsne plebem eis obsequentem, & per probabilitatum semitas veluti securè incedentem? Quis enim negare audeat eos, & magnô numerô fuisse, & magnam sibi eruditionis ac probitatis opinionem apud populum comparasse? Quis item abnuere ausit rationem, quam obtendebant, non modò* alicujus momenti, *sed planè speciosam ac plausibilem fuisse; utpotè in divinæ Paternitatis prærogativâ fundatam? Sanè si modernorum probabilitatum patronorum principiis insistimus, non facilè apparet, quomodò eos accusare possimus, & multa suppetunt, unde excusari posse videantur. Atque ut demus excusari non posse magistros, quid objicere poterimus plebeis eorum sequacibus? An fortè obstat eorum excusationi instructio Domini, dicentis ad Magistros:* Quare vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram? Nam Deus dixit, honora patrem & matrem; &, qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, quicumqe dixerit patri vel matri: munus quodcumque est ex me, tibi proderit; & non honorificabit patrem suum, & matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram? *Obstet quidem illa excusationi eorum pro tempore subsequente, certè tamen obstare non poterit pro tempore antecedente. Et tamen accusat eos Christus de legis irritatione anteà perpetrata, non de perpetranda: non enim ait, irritum facietis, sed* irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram. *Ecce accusantur pro tempore præterito, quò nondum fuerant à Christo instructi. Quid tunc defuit eorum* traditioni, *è requisitis per neotericos nostros ad opinionis probabilitatem, ac rectè agendi securitatem? Sed demus ipsos Magistros sive negligenter, sive malignanter illam suam traditionem inchoasse vel continuasse: quid equidem dicturi simus de rudiori populo, eis se conformante? An hunc saltem fatebimur per* securissimas probabilitatum semitas *inculpatè incessisse, tot ac tantorum Magistrorum ducatui insistentem? Certè non fatetur, sed diffitetur id Christus, qui cum de Magistris ducentibus dixisset ibidem*, Cæci sunt & duces cæcorum: *mox adjecit*, Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.

173 Contrà. D. Sinnichius non videtur attendisse ab Ecclesia toleratos probabilitatum Patronos Catholicos, nusquam, scientes & volentes (quod legerim) admittere probabilem opinionem contra S.Scripturæ vel Ecclesiæ definitiones, saltem evi-

evidentes, aut contra communem SS. Patrum consensum vel legem naturæ. Nam, aut his contrariam ore communi fatentur improbabilem, aut alioqui ab Ecclesia non tolerantur, sed inquisiti condemnantur: Scribæ autem & Pharisæi, de quibus ibi Hieronymus, filios & plebeos docebant traditiones contra evidentem Decalogi Scripturam & naturæ legem, quas nec ipsi, nec eorum filii aut plebei invincibiliter ignorabant: unde erant malitiosè cæci, & duces malitiosè cæcorum, quorum ambo ex propria malitia in foveam cadunt. Dicere autem probabilitatum Patronos, celeberrimos Doctores Catholicos, eosque plurimos, & pientissimos, esse in sua probabilium opinione, descripta *n.* 167. in solutione ad Replicam D. Sinnichii, malitiosè cæcos & duces malitiosè cæcorum, non videtur sine evidenti periculo posse affirmari: licèt enim reipsâ & materialiter cæci sint, & duces reipsâ & materialiter cæcorum; quatenus tamen, solutione invincibiliter apprehensâ verâ & bonâ rationum oppositarum, statuunt, & recipiunt, *S. Scripturæ & Ecclesiæ definitionibus, communi SS. Patrum consensu & lege naturæ salvis, licitum esse in obscuris sententiam ab extrinseco vel intrinseco probabilem sequi*, à malitia per ignorantiam invincibilem excusantur; neque D. Sinnichius hanc invincibilem ignorantiam, uti Scribarum & Pharisæorum malitiosam cæcitatem vincibilem justè culpare potest, ut patet ex præmissis *dub.* 3. *resol.* 1.

174 Quintò. Cap. 94. n. 354. *Cum enim duplex ab eis* distinguatur *probabilitas*, *intrinseca scilicet seu rationalis*, *& extrinseca seu authentica*; *ubi vident deesse suis commentis primam*, *student eis procurare saltem secundam: atque in hunc finem laudant alterutrum*, *ut quisq; eorum laudando suum laudatorem directè*, *laudet seipsum saltem reflexè*; *ac sic procuret suis opinionibus umbram quandam probabilitatis ab authoritate*, *quam denegari cernit à ratione. Notavit*, *& detestatus hanc eorum praxim non adeò pridem Episcopus Gandavensis*, *in Epistola Pastorali ad Clerum suæ Diœcesis*, *post obitum ipsius editâ*, *adversus laxiores quorumdam sententias invehi illuc cœptas*, *atque à Facultate Theologica Lovaniensi suis singulatim notis inustas*: Experimur, *ait ipse ibi*, quotidiè, tantâ passim licentiâ novas & laxas, in doctrina morali excogitari opiniones & commenta, ut vix quidquam post hac illicitum futurum sit, si quorundam placitis acquiescimus; nec ullum penè præceptum, naturale aut positivum, quod quæstuosis istorum probabilitatibus obnoxium non sit, & eludatur: usque adeò student peccata omnia fucare & obvolvere, aut è medio etiam omninò tollere, *arctamq;* cœli *viam*, & reclamante Christô Dominô, dilatare: ut, quantum saltem apparet, commodiùs per *spatiosam* ambulent, quæ utinam ipsos cum sectatoribus *ad perditionem* non ducat. Et hi non solum corruptæ naturæ prurientes aures blanditiis suis demulcent, sed & *mutuo scalpunt*, atque de adinvento aliquo vitiis prætextu, tanquam de novo cœli tramite reperto, sibi invicem gratulantur, & applaudunt: sicque pro innata homini ambitione, & existimationis cupiditate, *coacervantur magistri*, quorum sive authoritate, sive pietatis specie, sive adulatione ducti, vel naturali etiam propensione in vitia, honestate præsertim vestitâ, seducti rudes & incauti, facilè *à veritate auditum avertunt*, *ad* fallaces autem istas *fabulas conver-*

convertuntur. Nec perpendunt, supremum Judicem Deum, non ex Magistrorum istorum placitis, aut commentis; sed ex Christianæ pietatis præscriptis regulis sententiam aliquandò laturum: istosque consultores tribunali nunc temporis non adfuturos, qui causam agant, & Philosophicis suis ratiocinationibus defendant reos, quibus relictâ securiori viâ, per minus securam, modò commodam, se tutò posse incedere persuaserant. Cap. autem 95. n. 356. *Cum hanc Caramuelis doctrinam perlegissem, venit mihi in mentem Archiepiscopi Mechliniensis decretum, anno* 1655. *die* 18. *Februarii expeditum, quo libros omnes istius authoris à sua Diœcesi proscribit, inter alias proscriptionis suæ causas allegans*, Eum variis in locis apertè profiteri, sese ad hoc studiosè laborare, ut multarum sententiarum probabilitates introducendo, plurima faciat hominibus licita, quæ hactenùs æstimantur esse peccata; & sic viam cœli indies latiorem & faciliorem reddat: quasi verò possit adinventionibus suis mendacem facere sermonem Evangelicum Domini nostri Jesu Christi, *ubi ait:* Intrate per angustam portam, quia lata est porta & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam? *Miratus prætereà fui, Neotericos istos laxioris Ethices procusores non modò accedere ad veterum Libertinorum sententiam, sed eorumdem quoque resumere jactantiam.*

175 Contrà imprimis insistendum expositioni utriusque viæ, spatiosæ & arctæ, quam ipse *n.* 356. adfert ex Paulino *in Epist.* 50. *ad Celantiam.* Vide quanta inter has vias separatio sit, quantumque discrimen: illa ad mortem, hæc tendit ad vitam: illa celebratur & teritur à multis, hæc vix invenitur à paucis: illa enim vitiis per consuetudinem quasi declivior ac mollior, & amœna velut quibusdam floribus voluptatum, facilè ad se trahit commeantium multitudinem; hæc velut insuetò calle virtutum tristior atque horridior, ab iis tantum eligitur, quibus non tam delectatio itineris cordi est, quàm utilitas mansionis. Asperam enim nobis & insuavem virtutum viam nimis facit vitiorum consuetudo, quæ si in partem alteram transferatur, invenietur, sicut Scriptura dicit; semita justitiæ levis. Ponamus ergo jam rationem vitæ nostræ, & per quam potissimum gradiamur viam conscientiâ teste discamus. Omne enim quod agimus, omne quod loquimur, aut de lata, aut de angusta via est: si cum paucis angustum iter & subtilem quandam semitam invenimus, ad vitam tendimus; si verò multorum comitamur viam, secundum Domini sententiam imus ad mortem. Si ergo odiò atque invidiâ possidemur, si cupiditati & avaritiæ cedimus, si præsentia commoda futuris præferimus, per spatiosam viam incedimus: habemus enim ad hæc comitem multitudinem, & latè similium stipamur agminibus. Si iracundiam libidinemque explere volumus, si injuriam vindicare, si maledicenti remaledicere, & adversus inimicum inimico animo sumus, æquè cum pluribus ferimur, si vel adulamur ipsi, vel adulantem libenter audimus, si verum dicere gratiâ impedimur, & magis offendere animos hominum timemus, quàm non ex animo loqui, de multorum item via sumus; tot nostri sunt socii, quot extranei veritatis. At è contrario si ab his omnibus vitiis

vitiis sumus extranei, & omni cupiditate calcatâ solis studemus divites esse virtutibus, per angustam viam nitimur. Conversatio enim ista paucorum est, estque perrarum atque difficile idoneos hujus itineris comites reperire. Quin etiam multi hàc se ire simulant, & per diversa errorum diverticula ad viam multitudinis revertuntur: ideoque timendum est, ne quos duces recti hujus itineris habere nos credimus, eos comites habeamus erroris. *Ità ille.*

176 Sed quis Catholicus ab Ecclesia toleratus probabilitatum Patronus istam inter vias illas separationem improbat, aut per hoc, quod docet, licere opinionem probabilem sequi, *semper S. Scripturæ & Ecclesiæ definitionibus, communi SS. Patrum consensu & lege naturæ salvis*, aliam separationem intendit, aut vitium pro virtute, & è contra? Certè id non ausim de viris Catholicis, doctissimis & pientissimis vel solum suspicari, multò minus asserere. Fateor quidem nonnullos, ut Dianam, Caramuelem, Thomam Tamburinum & similes, in quos D. Sinnichius invehitur, tueri sententias reipsà viam arctam laxantes, & spatiosam angustiantes, contra Evangelicum sermonem Domini nostri Jesu Christi, *intrate per angustam portam* &c. sed nixi rationibus & authoritatibus, quibus sibi invincibiliter persuadent illam non plus laxari, quàm apud Deum arcta sit, neque hanc magis angustiari, quàm apud eundem spatiosa sit. Unde non veniunt criminandi tanquam spontè malitiosi, Gnostici, Manichæi, Quintinistæ & Libertini, sed ab omni eo, qui à Deo lumen majus acceperit, ipsi sunt, prout omnes invincibiliter ignorantes, & justitiæ ac veritatis amantes, in doctrina sana & vera instruendi: nam Petri 3. scriptum est, *Dominum Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe.* Quod semper melius rationum & authoritatum, quibus nituntur, convincenti solutione, quàm aggravantibus censuris fiet: quia clamant cum Prospero lib. contra Collat. cap. 1. *Parati sumus Patronos doctrinæ emendatioris audire.* Ad hoc enim sunt Doctores, quamdiu Ecclesia illorum sententias ad majorem discussionem veritatis tolerat, & in istum finem Illustrissimus Gandavensis Epistolam præcitatam scripsit, ac Mechliniensis Archiepiscopus per quã interim Caramuelis opera prohibuit, *Oportet enim Episcopum amplecti eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem; ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Omissis igitur istis censuris nostra Resolutio

177 Probatur primò: quia, uti *Resol.* 5. (& fusius *Resol.* 9.) multis rationibus probatum est, quæ huic resolutioni etiam serviunt, alioqui semper verum manet: *Ergo licet me exponere probabili peccandi periculo:* Nam hoc judicium, *licet operari ex opinione probabili, aut probabiliori*, æquivalet huic; *licet operari cum formidine actuali, quod operando pecco*; siquidem opinio probabilis aut probabilior, in subjecta materia, sive ex motivis fortioribus, sive debilioribus, equidem dicit, *fortè est peccatum id, quod facio, fortè non est peccatum:* atqui is, qui operando fortè peccat, operatur cum formidine actuali, quod peccet; ergo &c.

178 Probatur secundò: quia alioqui, cum plurimæ sint opiniones oppositæ probabiles, quod v. g. unô modô satisfaciam,

& aliô non satisfaciam, quod sit vel non sit obligatio; quod sic vel sic operari, sit vel non sit peccatum mortale, ut bene notavit D. Fagnanus *num.* 206. citandus, toties in opposita sententia obligationem eludere potero, quoties sententiam probabilem eligere vel mutare voluero, si v. g. 1. sequar sententiam Castropalai *Tom.* 1. *tract.* 1. *p.* 6. *n.* 5. dicentis, *Audeo affirmare valdè probabile esse, te obligatum non esse Superiori præcipienti obedire, quandò opinionem habes probabilem, illicitam esse rem imperatam, vel excedentem ejus jurisdictionem.* cum hôc ævô omnia sint plena probabilitatibus. 2. Si ascendens mare sequar sententiam probabilem, *quod liceat Carmelitæ ex Breviario Romano Officium legere*, & post *proprium* retrò relictum, in mari sententiam illam in oppositam probabilem mutem, dicendo, *quod oporteat legere ex proprio*; tunc enim toto tempore, quo ero in mari, ad Officium legendum, defectu *Breviarii proprii*, non obligabor. 3. Si, auditâ duodecimâ Dominicæ noctis in horologio A. ventrem carnibus repleam, & posteà audiens duodecimam in horologio B. velim hoc sequi, potero statim celebrare tanquam jejunus. Deindè, si ipsâ Dominicâ, post auditum medium duodecimæ meridianæ, dicam esse tantum undecimam, quod juxta plerosque est probabile, & post mediam horam, auditâ duodecimâ, dicam me amplius non obligari audire Sacrum, aut 100. aureos solvere, quos ante duodecimam istam solvere debebam; sic enim integris annis Sacri obligationem, & similium debitorum solutionem, justè eludere potero. 4. Si unô instanti probabiliter judicem Baptismi materiam esse sufficientem, potero permittere infantem, sub illa baptizatum, mori, nec potero ante mortem illum rebaptizare; &, si altero instanti probabiliter judicem, illam non esse sufficientem, non potero infantem sub illa baptizatum permittere, sine alio Baptismo, mori, & peccabo mortaliter eum non rebaptizando, intereà eadem est sub utraque opinione infantis necessitas, & ad eum baptizandum obligatio. Denique 5. si Paulus Doctor mihi dicat, esse veniale, quod facio, faciendo venialiter peccabo; si dicat esse mortale, mortaliter; si nullum peccatum, nullum erit peccatum; & consequenter si tribus instantibus idem faciam, illud idem erit successivè peccatum veniale, mortale, & nullum peccatum; intereà tamen eludetur obligatio gravis, quæ in possessione erit, ut supponitur: imò, si Petrus dicat esse feram retrò sepem, ibi hominem jaculando non peccabo; si aliô instanti dicat esse hominem, mortaliter peccabo, solâ mutatione factâ, in eo probabili judicio præcisè licebit Medico probabilibus medicamentis, Parocho, probabilibus Sacramentis, Judici probabilibus allegatis uti neglectis certis non obstante periculo mortis, salutis & ruinæ tertii. Atqui hæc omnia sunt valdè absurda, & contra Reipublicæ, tàm Civilis, quàm Christianæ pacem, nec apparet, quomodò in opposita sententia vitari possint: ergo &c.

179 Confirmatur: aliis argumentis, quæ profert D. Fagnanus *in cap. ne innitaris.*

180 Primò num. 66. *probatur hæc sententia: authoritate Aristotelis* 6. Ethic. c. 5. *ubi definit prudentiam esse* habitum cum ratione vera (non quidem ex parte objecti; quia veritas ex parte objecti, non divinæ

fidei

fidei & inevidentis, semper nobis physicè & moraliter obscura est: sed ex parte intellectus; sic nempe, ut intellectus apprehendat invincibiliter rationem esse veram, ità ut nullam formidinem habeat de falso, & si erret, invincibiliter erret, prout ferè ipse D. Fagnanus Aristotelem explicat *nu.* 109. aiens, *Is, qui se determinat ad unum, sine ulla formidine contrarii, utique moralem habet certitudinem requisitam ad rectè operandum, per D. Thomam in* 3. sent.dist.23.q.2. art.2. q. 3. *quia alioquin nihil agere possemus, & Deus requireret à nobis impossibilia: etenim omninò impossibile est omnium esse demonstrationem, ut legitur* in 4. Metaph. cap. 2. *Et* ibidem num. 111. *Discrimen igitur est inter judicium certum moraliter & opinionem; quia judicium certum moraliter nullam formidinem habet de falso; unde si errat, hoc est omninò per accidens, & prater intentionem.*) circa bona humana activum: opinio autem probabilis non fundatur in ratione vera (*sensu datô*:) sed fallibili, cum se habeat ad verum & falsum, *ut* 1. *magnorum moralium* cap. 33. *& in 6. Ethic.* cap. 3. *Ergo judicium probabile & opinativum est extra spheram prudentiæ: ac proindè, qui pro regula suorum actuum assumit opinionem probabilem, non agit prudenter, nec habet virtutem moralem, cum prudentia sit generalis regula humanorum actuum, & completiva omnium virtutum moralium, ut dicitur in 6.* Ethic. *d. c.* 5. *& docet S. Thomas in* 2. 2. qu. 166. art.2. ad 1. *& in* 3. *sent.* dist.9. q. 1. art. 1. *& dist.* 27. q. 2. art.4. q.2.

181 Secundò *num.* 70. *& seq.* quæ habes infra *Resol.* 9. *Conf.* 1. *&* 2.

182 Dices. *In dubiis, quod minimum est, sequimur. Melior est conditio possidentis libertatis*, &c. atqui dubia sequuntur sententiam probabilem; ergo saltem in illis, licet sententiam probabilem, & multò magis probabiliorem, sequi.

183 Confirmatur: si occurrant duæ sententiæ, quarum una dicat, id esse peccatum mortale, alia illud esse veniale tantum; hanc sequi possum alterâ, etiam probabiliori, relictâ: ergo &c.

184 Respondeo: Regulas illas juris, intelligi debere *cæteris paribus*, sive *nisi jus aut vehemens præsumptio resistant*, ut aliàs videbimus & sequitur D. Fagnanus infra *num.* 269. citandus: ac proindè hoc modô, *in dubiis, judicante conscientiâ, quod obligatio non eludatur, cujus possessio juxta invincibilem prudentum hic & nunc operandi modum præferri debeat, quod minimum est sequimur: melior est conditio libertatis* &c. Secus, dictante conscientiâ, quod talis obligatio eludatur: istô autem modô sequendo conscientiam, sequor conscientiam moraliter certam, quod operando non peccem, secus hôc modô, ut consideranti patebit. Unde ad minorem. Respondeo distinguendo. Atqui dubia, *judicante conscientiâ*, &c. sequuntur sententiam probabilem præcisè, nego minorem; sequuntur sententiam probabilem conjunctam conscientiæ moraliter certæ, quod operando non peccem, concedo minorem: hoc autem approbamus, illud reprobamus ob præmissa, quæ istâ objectione non tanguntur.

Ad confirmationem verò

185 Respondeo: in casu talis concurrentiæ, consulendam esse conscientiam, juxta statim præmissa; & juxta primum modum eam esse sequendam, non

ità juxta ſecundum: ille enim ſolus prudenter operatur, qui conſcientiam moraliter certam, quod operando non peccet, ſequitur; nec quiſpiam aliter laudem meretur, prudentum opinionem ſequendo, quam quatenus invincibiliter putat, eos eſſe moraliter certos, quod eorum opinionem ſequendo, non peccetur; alioqui, ſi oppoſitum putet, ipſe & illi, tanquam imprudentes, meritò ſunt ſaniora docendi, ut patet. Vide D. Fagnanum infra à *nu.* 195. ad *num.* 208. Ex præmiſſis

186 Infcres primò. Non ſufficere opinionem, quam in materia periculoſa operando ſequeris, eſſe evidenter probabilem; quia evidentia hæc, nec peccandi periculum ſalvat; nec abſurda allata ſupra, & dubio ſequenti, vitat: ac proindè, quidquid oppoſitum Sanchez, Salas, Vaſquez, Merolla, Paſqualigus & alii, quos citat, & ſequitur Tamburinus *lib.* 1. *cap.* 3. *de conſcient. opinion. num.* 8. non ſufficit &c.

187 Sed quid ad P. Ludovicum de Schildere *de principiis conſcientiæ* tract. 2. nu. 12. *Opinio probabilis eſt aſſenſus cum formidine innixus rationibus gravibus, ex qualibus vir conſideratus, poſt argumenta contraria conſiderata & ſoluta, in negotiis magni momenti concludere ſolet.* Et infrà. *Dicitur: innixus rationibus gravibus, ex quibus vir conſideratus in negotiis magni momenti concludere ſolet; gravitas enim rationum non poteſt melius explicari, quàm modò aſſignatô.*

188 Reſpondeo imprimis vitium eſſe in iſta definitione, & in verbo conſideratus petitionem principii, uti notavimus ſupra *num.* 81. Deinde Patrem Schilders ob illam *formidinem* incurrere omnes difficultates *dub.* 5. allatas. Deindè opinionem probabilem, ut ſic deſcriptam, non eſſe pluſquam evidenter probabilem, quam non ſufficere, ſtatim diximus. Denique iſtam opinionem nondum eſſe talem, quam quis ſequendo invincibiliter erret, ſi erret: tum quia ipſe *ibidem* addit, *dicitur* cum formidine, *ſive* judicio reflexo, *quod, ſtante præfatô aſſenſu, fieri poſſit, ut objectum non exiſtat; ſive quod aſſenſus ille non inferat infallibiliter exiſtentiam objecti. In quo differt ab errore invincibili, qui licèt ſit opinio, non habet tamen formidinem adjectam.* Tum quia Doctores, qui ſcripſerunt, licere ſequi ſententiam probabilem, ſunt viri conſiderati, & quidem plurimi, iique ſuam talem opinionem ſequi ſolent, & juxta illam in negotiis magni momenti concludere; & tamen, illam præciſè ſequendo, non magis errant invincibiliter, quàm ſequendo opinionem de contradictoriis liberis ſimul licitis, ut vidimus, aut quàm ſi, operando, dum ab opere ſine incommodo ceſſare poſſunt, ſe exponant vincibiliter periculo erroris. Unde locô *concludere ſolet*, dici debet, *concludit invincibiliter*, *ſic ut erret invincibiliter, ſi erret*; quia alioqui, uti ibi ſiſtendo, *concludere ſolet vincibiliter*, ità & *errare vincibiliter*, ſi talem opinionem præciſè ſequatur. Accedit, quod inde ſequatur, licere (quod negat *ibidem* P. Schilders *num.* 22.) contra proprium judicium præciſè tale (cum probabilius non ſit) ſequi unius authoris opinionem probabilem pro aſſenſu cum formidine innixo rationibus ſibi viſis gravibus, poſt argumenta ſoluta & contraria; quia omnes tales authores putant ſe conſideratos, & in negotio animæ, quod eſt gravis momenti, concludere ſolent: id tamen licere, ſaltem ſtante judiciô de illius falſitate, aut etiam probabilitate

bilitate præcisè, non magis verum est, quàm licere sequi talium opinionem falsam aut probabilem præcisè, ut patet. Unde isti quidem *concludere solent*, sed non invincibiliter, sic ut invincibiliter errent, si errent; quia non operando, uti liberè posse supponitur, errorem vincerent, à quo per solam operandi necessitatem excusantur ex præmissis, nisi accedat principium moraliter certum, modô supra explicatô: ac proindè extra necessitatem omnes in moralibus abstinere debent ab usu præcisè probabilium. Tamen contra resolutionem.

189 Objicies primò: ex P. Rhodes *disp. 2. de actibus humanis q. 2. sect. 3.* Probabilis opinio vocatur illa, quæ nititur ratione aliqua bona & alicujus momenti, etsi non omninò convincente, neque contra se habet aliquam convincentem: sic nempè, ut ad opinionem probabilem, requiratur. *Primò*, ut eam ratio aliqua bona fulciat. *Secundò*, ut contra illam non sit ratio aliqua convincens. *Tertiò*, ut eam omnes Doctores generaliter tanquam falsam aut absurdam non explodant. *Quartò*, ut non repugnet principiis veris & in Ecclesia receptis, aut communi sensui fidelium. Ità ferè omnes supponunt, & ferè in terminis docet Suarez *hîc disp. 12. de bonitate & malitia sect. 6.* Atqui ille, qui opinionem illam absque ulteriori certitudine sequitur, prudenter & cum ratione operatur: ac per consequens non malè, quia malum est, quod rationi & prudentiæ repugnat: ergo &c.

190 Respondeo negando minorem: quia quatenus operatur cum ratione non convincente, hôc sensu, quod invincibiliter putet opinionem, quam sequitur, esse veram, oppositam verò falsam, non removet peccati formalis periculum, ac per consequens non prudenter operatur ut vidimus, etiam ex D. Fagnano, *num.* 180. & 181. Quia prudentiæ est, ità omnia circumspicere, ut semper omne peccati formalis periculum removeat; in ista autem invincibilitate, consistit ipsa certitudo moralis, quam supra probabilitatem requirimus, & requiri *Resol. præcedenti* fusè probavimus; nè alioqui operans in materia morali, periculosa & peccaminosa sit vincibiliter expositus peccati formalis periculo, quatenus liberè operatur, dum liberè operationem suspendere potest, ex judicio practico sibi solum vincibiliter vero, & ideò non minus sibi formaliter periculoso, quàm sit ignorantia vincibilis, ex qua in tali materia operaretur.

191 Instabis. Ille non operaretur ex judicio practico sibi solum vincibiliter vero; sed ex judicio practico, dictante illud, quod facit esse probabiliter licitum, comitante judiciô speculativô sibi solum vincibiliter verò: ergo &c.

Respondeo: negando assumptum pro prima parte; & ad secundam illius partem: quæro, an hoc judicium practicum, dictans illud, quod facit esse probabiliter licitum, sit operanti plusquam vincibiliter verum, vel non? Quidquid dixerit habemus intentum. Si prius: contradicet secundæ parti assumpti, & incidet in nostrâ resolutionem. Si posterius: contradicet primæ parti assumpti, & incidet in primam partem assumpti, quam negat. Unde non video, cur P. Rhodes ob has duas objectiones & instantiæ rationes, aut similes, locô citatô allatas, dicat, *quæ certè demonstratio* (quam ibidem dixerat *veram*, *certam*, *indubitatam*)

tam) apertam esse declarat adversariorum, vel ignorantiam, vel malitiam. Præsertim cum hic & *Resol. præcedenti* satis probatum sit, præscindendo ab his solutionibus, non licere sequi judicium practicum, dictans illud, quod facit, esse *præcisè* probabiliter licitum, eò quòd illud virtualiter involvat esse *præcisè* probabiliter illicitum, quamdiu ly *probabiliter* per supradictam certitudinem moralem de licito præ illicito non determinatur ad licitum.

192 Objicies secundò: ex P. Herincx *p.2. tractat. 2. disp. 4. nu. 22.* Cum intellectus noster in rebus humanis plerumque non possit certò assequi veritatem, intollerabile esset onus, & excedens ordinarium agendi modum, si non sufficeret operantibus assensus rationabili fundamento innixus, etsi cum aliqua formidine oppositi: ergo, regulariter loquendo, ex opinione seu assensu probabili rectè formatur dictamen conscientiæ, *quod licitè fiat, vel omittatur actio,* etiam sequendo partem minus tutam.

193 Respondeo: imprimis notatum supra *in solutione objectionis* contra *probat. 3. Resol. 3.* quod P. Herincx in ista doctrina valdè procul à suo Scoto recedat, sed maximè cum hic *in 4. dist. 3. q. 2. art. 3.* dicat. Primò. *Si possibilitas adest, via tutissima est eligenda.* Secundò. *Si non adest possibilitas, viæ tutissimæ proxima est tenenda.* Tertiò *cessante impossibilitate, cautè est supplendum, quod impossibilitas prohibebat* & in 4. dist. 17. q. unicâ. *ubi via est facilior, id est magis in potestate hominis, & certior ad gratiam recuperandam, tenetur quilibet ad illam viam, ita quod, omissâ illâ, non attentet aliam difficiliorem & incertiorem; quia tunc se exponeret periculo salutis suæ, & videretur esse contemptor propriæ salutis.* Deinde in assumpto supponi falsum, videlicet, quod assensus probabili sententiæ præcisè innixus, rationabili fundamento nitatur; sicut enim irrationabile est, quod peccandi periculo nos exponit, & absurda, de quibus ante, annexa habet, ità & tale fundamentum, ut contendimus. Unde nego consequentiam ad sensum assumpti: nam ex assensu probabili præcisè solum rectè formatur dictamen conscientiæ, *quod periculosè fiat, vel omittatur actio,* præsertim *sequendo partem minus tutam,* ut hic & *Resol. 2.* probatum est: ac proinde probare non possum, quod addit n.24. *Respondetur cum aliis passim, operantem secundum opinionem probabilem habere dictamen conscientiæ practicè certum, eò quòd sit satis certum, saltem moraliter, licitum esse formare dictamen conscientiæ secundum opinionem probabilem.* Hoc enim non est practicè certum moraliter ab intrinseco, quod operando non peccetur, quod necessarium est, ut contendimus (neque id molestum est, attentâ ratione *Suppositi 7.*) sed ab extrinseco tantum, sive multitudine Authorum pro illa sententia: at sentiam illam defectu extrinsecæ authoritatis non rejicimus, licet putemus hanc, quatenus probabilem præcisè, non sufficere, ad rationabiliter sive prudenter operandum, & solum ad hoc sufficere, quatenus is, qui secundum illam operatur, aliunde invincibiliter credit se moraliter certum, quod secundum illam operando non peccet. Unde ante opus hæc conscientia supra, & potius quàm authores consuli debet: indeque sequitur nonnullos damnabiliter, hâc neglectâ, post opus completum Authores examinare, qui ipsos à peccato, aut gravitate ejus, excusent; cum nequidem ante opus consulti, id in-

independenter ab illa facere possint: ex quo satis vitamus infinita absurda, quæ oriuntur ex eo, quod alii docent, licere sequi sententiam probabilem præcisè unius aut alterius Doctoris, saltem quæ passim non rejicitur, ut improbabilis, de qua supra *Resol.* 6. vide relata ex D. Fagnano infra à *num.* 195. ad *num.* 208.

194 Inferes secundò: à fortiori, sepositâ operandi necessitate, non licere sequi sententiam minus probabilem, relictâ oppositarum probabiliori. *Primò*: quia de minus probabili conscientia est magis dubia; quàm de altera æquè probabilium, de qua necessariò est dubia ut eruditissimè docet D. Fagnanus à nobis citatus à *num.* 145. *ad* 150. & infra num. 196. latius *Resol.* 9. atqui sepositâ operandi necessitate, non licet sequi conscientiam dubiam, ut omnes fatentur: ergo &c. Probatur consequentia; quia sententia minus probabilis non magis certificat, quàm sententia dubia, de qua necessariò est conscientia dubia. Cætera patent. *Secundò*: quia de minus probabili in concursu probabilioris non datur opinio probabilis, sed dubium de malitia objecti, sed ut quis licitè sententiam aliquam sequatur, debet saltem opinari probabiliter: ergo &c. Minor & consequentia patent. Probatur major; quia si in concursu æquè probabilis oppositæ dum operatio est libera & non necessaria, ut vidimus à *nu.* 145. *ad* 155. nequeat probabiliter opinari, sed debeat hærere suspensus ac dubitare, multò magis in concursu probabilioris debet circa alteram hærere suspensus & dubitare, attendens contradictoriarum alteram necessariò esse falsam: Unde sententia probabilis in concursu magis vel æquè probabilis oppositæ necessariò transit in dubiam, quod non satis advertitur. *Tertiò*: quia probabilior v.g. moraliter verius dicit, *non est conforme legi divinæ*; minus probabilis moraliter minus verè dicit, *est conforme legi divinæ*: atqui id magis, quàm hoc, accedit ad certitudinem legis divinæ, sive regulæ primariæ; ergo hoc non potest esse regula morum secundaria: majorem & minorem admittunt adversarii. Consequentia probatur: quia regula secundaria debet in certitudine, quantum fieri potest, ad primariam accedere, uti ratio naturalis dictat, alioqui meritò censeretur Deus potius velle nos errare & à lege sua hic & nunc aberrare, quam rectè agere & legem suam servare, quod solus dixerit impius. Quartò: *in dubiis tutior pars est eligenda* ex regula juris, de qua *Reso.* 8. ergo *in probabilibus probabilior*, dum *tutior*. Quintò: quia id videtur directè contra Scripturas *Resol.* 2. *probat.* 1. citatas.

195 Accipe tamen, quæ in istius doctrinæ confirmationem sapientissimè, ut solet, adducit D. Fagnanus *in Cap. ne innitaris. num.* 257.

Primò: *quia, ut quis prudenter, & rectè operetur, secundum Authores contrariæ sententiæ, debet habere saltem probabile judicium practicum, quod licitum sit illud, quod operatur, ut apud Sanchez* in Decal. tom. 1. lib. 1. c. 9. num. 18. *Sed qui sequitur minus probabilem, non potest formare hoc probabile judicium practicum, quod actus sit licitus; quia cum habeat fortiora motiva pro illicito, impossibile est, ut habeat judicium practicum de licito; cum opinari, seu judicare aliquid probabiliter esse verum in nobis non sit, teste Philosophô proximè citatô; sed oporteat sequi motiva fortiora, qualia non sunt in minus probabili, sed in opposi-*

Aa ta.

ta. Ergo qui minus probabilem sequitur, non agit rectè, ac prudenter.

196 Secundò num. 260. *Quia is, qui facit actum ex suo genere licitum, si conscientiam habeat, quod sit illicitus, absque dubio peccat; sive talis conscientia sit dubia, ut c.* Nervi, 13. dist. *&c.* illud, de Cler. excom. ministr. *sive sit ex credulitate levi, & scrupulosa, c.* per tuas, *il.* 2. de Simon. *c.* Inquisitioni, *vers.* in secundo, de sent. excom. *Ponderando hæc jura, ut dixi supra* num. 95. *&* n. seqq. *&* num. 246. *sive sit ex credulitate, seu opinione magis probabili. Quia secundum Apostolum:* Omne, quod non est ex fide, peccatum est. *C.* Quoniam omne, de præscript. *C.* litteras, *de restit. spoliat.* & omne, quod contra conscientiam fit, ædificat ad gehennam, *quæ sunt verba textus in* §. Ex his, *post C.* Omnes 128. q. 1. *& declarat S. Thom.* quodlib. 8. art. 13. *& egregiè S. Bonaventura* in 2. sent. d. dist. 39. n. 19. *Quò fit, ut quantò proximius accedit aliquis ad certam fidem, seu plenam credulitatem quod actus sit malus, tantò magis peccet contra conscientiam, si actum illum faciat; quia majori periculo se exponit, & quantum sapit credulitatis, tantum sapit determinationis ad peccatum. Quare si peccat is, qui agit cum conscientia dubia, nihil habens credulitatis, utique magis peccat, qui agit cum conscientia scrupulosa, cum habeat aliquid credulitatis, quamquàm levis: & adhuc magis peccat, qui agit cum conscientia ex credulitate, seu opinione probabili, & discreta, cum talis plus habeat credulitatis de malitia actus, quàm ille, qui simplicem habet suspicionem. Ergo fateri oportet longè magis peccare eum, qui de peccato habet conscientiam, seu opinionem magis probabilem; quia talis absque dubio propius accedit ad certam fidem, seu plenam credulitatem, quod actus sit malus, & ideò se exponit majori periculo, & gravius offendit Deum, cujus præceptum magis contemnit, prout hi gradus distinguuntur, & efficaciter probantur in prææallegata decretali* Inquisitioni.

197 Tertiò num. 262. *Quia in agibilibus quicumque non adhibet moralem diligentiam, quam debet, ad cognoscendum, quod sit verum, vel falsum, absque dubio peccat, ut docet S. Thomas in* 1. 2. q. 76. art. 2. *talis enim ignorantia cum sit eorum quæ scire potest, & debet, dicitur vincibilis, & affectata, quæ æquiparatur scientiæ, ut c. ult.* 37. dist. *& ideò non excusat à peccato omissionis, c.* Cum inhibitio, de clandest. despons. c. 2. *& ibi glos. in ver.* Affectata, de tempor. ordin. lib. 6. *& optimè declarat idem S. Thomas* vbi supra. *Sed qui sequitur minus probabilem, relictâ probabiliori, non adhibet moralem diligentiam, quam debet, & potest ad cognoscendum, quod sit verum, vel falsum. Ergo à peccato non excusatur.*

198 *Minor probatur: quia minimè dicitur adhibere moralem diligentiam ad aliquod negotium rectè peragendum is, qui sponte utitur mediis minus probabilibus & congruis ad illud rectè expediendum: hic enim ut plurimum à fine aberrat, ad quem non pervenitur, nisi per medium,* l. 1. *de orig. jur.* cum similibus. *Quis enim dixerit illum diligentiam adhibere, ut cognoscat peccatum, seu errorem, aut falsitatem, qui, deditâ operâ, sequitur id, quod magis apparet peccatum, & error, & falsitas, quam contrarium? Nam si magis probabilis apparet magis vera, oportet ut illius contradictoria minus probabilis appareat magis falsa, quàm vera; quia unam falsam esse necesse est, ut* in 4. Metaph. c. 6.

199 Quartò ibidem. *Quia in nullo alio humano gravi negotio, in quo agatur de proprio cujus-*

cujusque commodo, seu interesse, sequitur quis minus probabilem partem, aut minus verisimilia ad illius finem consequendum; & si quis illa sequatur, negligentiæ, seu culpæ ipsius imputabitur, §. Igitur cum quis, *in fin. instit.* de obligat. quæ ex quasi contractu, *l.* Hæredes, §. Non tantum, *ff.* Familiæ erciscundæ *l.* In rebus, *ff.* De jur. dot. *l.* Si constante, §. Si maritus, *ff.* solut. matrim. *Ergo multò minus id faciendum est in negotio animæ, in quo agitur de offensa Dei, & de vita æterna; ac si id fiat, majori negligentiæ, & culpæ erit imputandum, ad tradita per glos.* 2. in l. 1. *ff.* De pact. *& in Authent.* Ut cum, de appellat. cognosc. §. Si quis de prædictis, *in ver.* Si enim, *& in* §. Sacræ, *in ver.* Exceptæ. *Instit.* de rer. divis. *Et constat ex D. Thoma* d. quodlib. 8. *in fin.* art. 13. *ibi: periculo se committit, & sic proculdubio peccato, utpotè magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem. Confert* text. *in c.* Ubi periculum, *de elect.* lib. 6.

200 Quintò num. 264. *Quia ex illo Eccli.* 3. Qui amat periculum, in illo peribit. *Qui non vitat, quantum potest periculum peccandi materialiter, quod quantum potest, id est adhibitâ morali diligentiâ, vitare tenetur, ipse amat periculum, & perit in illo, seu peccat formaliter. Sed qui minus probabilem sequitur, relictâ probabiliori, non vitat quantum potest periculum peccandi materialiter, quod quantum potest seu adhibitâ morali diligentia, vitare tenetur. Ergo formaliter peccat.*

201 Sextò num. 290. *In rebus ad salutem animæ pertinentibus, ut dicit Augustinus* in lib. 1. de Baptis. c. 3. *graviter peccat, qui certis incerta præponit, & magis incautè agit, qui majori periculo se exponit. C.* Ubi periculum *de elect.* lib. 6. *glos.* 1. in c. 2. de juram. cal. *glos. fin.* in c. *Venerabilis*, de testib. *Et profectò numquid non imprudens, ac temerarius dicendus esset, qui sponte ingrederetur sylvam, quam probabilius crederet obsessam esse à latronibus, & grassatoribus? ut per D. Ambrosium* Psalmo 1. *Quive ultrò se in altum puteum dimitteret per funem, quem probabilius judicaret protinus confractum iri? Aut qui cum medicamentum tutum haberet, tamen illud sumeret, quod probabilius putaret esse mortiferum? Aut qui in duello pugnaret cum milite strenuo, ac forti, de quo probabilius opinaretur se fore interficiendum? Aut qui cum decem millibus bellum committeret adversus Regem, qui cum viginti millibus veniret ad se?* ut Lucæ 14. *Rursus transeundum est mihi flumen: consulo aliquot viros fide dignos, an vadum sit tutum, respondent illi esse tutum, & plures sæpè transmeare, nec alicui umquam aliquid mali accidisse. Si ergo illorum authoritate, & probabilibus rationibus adductus flumen ingrediar, non sum dicendus imprudens, aut temerarius, licèt securius possim per pontem transire. At si volenti mihi flumen ingredi occurrant viri multò plures, & majoris authoritatis ac fidei, obtestantes flumen esse profundum, ac rapidum, & multos in eo periisse, ac proindè periculosum esse illi se committere. Certè si eorum testimonio, & rationibus validioribus auditis, flumen intrarem, non solum imprudens, ac temerarius, sed etiam fatuus, dicendus essem; & meritò culpæ meæ omnes adscriberent, si quid in aquis mihi deterius contingeret. Alia periculorum exempla habes his similia apud S. Basilium* de instit. Monach. c. 74. *& S. Jo. Chrysost.* hom. 9. *super Epistolam* ad Thessalonicenses. *Porrò quisquis periculum non æstimat, temerarius dicitur. Archid. & Jo. And.* in c. *Quia plerique* in princ. *de offic. Ordinar.* lib. 6. *Imò stultus, & fatuus. Secundum glos.* in c. 1. *in ver.* temerarius, *& ibi*

Joan. Monach. & *Joan. Andr.* de sent. excom. eod. lib. *Quæ cum ità sint in periculo salutis corporis, longè magis vendicant sibi locum in periculo salutis animæ, quæ corpori est præponenda, ut arguit gloss. fin.* in c. *ille autem*, 32. quæst. 5. *Ad hoc c.* Sedulo, 38. dist. *cap.* Præcipimus, 12. quæst. 1. *&c.* Solicitè, de major. & obed. *Pulchre Abb.* in c. litteras, *num.* 25. de restit. spoliat. *Itaq;* *maximè imprudens est, ac temerarius, ne dicam fatuus, quisquis eligit opinionem minus probabilem, ac minus tutam, & exponit se salutis periculo*, c. Significasti, il. 2. &c. Petitio de homic. *Et propterea lethaliter peccat secundum S. Thomam.*

202 Septimò num. 292. Ex pluribus absurdis, quæ sequuntur ex doctrina de libera electione opinionis minus probabilis. Ut

203 Primò num. 293. *Quod medicus curans ægrotum, cui magis probabile sit medicamentum non profuturum, minus verò probabile profuturum, cum habeat aliud in promptu, quod magis probabile est profuturum fore, possit licitè tunc dare illud medicamentum, quod minus probabiliter esset profuturum, relictô eô, quod probabilius posset prodesse. Rursus posset dare medicamentum, quod magis probabiliter prodesset; & sic probabilius occideret. Hoc autem esse perquàm absurdum, vel ex eo manifestum est; quia nemo vellet talem Medicum.* Utpotè, *qui probabilius occideret, quam sanaret, & si quis talem eligeret aut probaret, hunc ego censerem magis ægrum mente, quam corpore &c. Id autem à fortiori concludit de medico spirituali in ordine ad salutem animæ.*

204 Secundò num. 298. *Quod Judex possit sequi minus probabilem partem, ferendo sententiam in favorem ejus, qui pro se habet rationes levioris momenti adversus illum, pro quo militant rationes validiores. Nullus autem vellet in sua causa talem judicem habere, nec est, qui de injustitia non conquereretur. Id autem à fortiori concludit de judice spirituali in negotio salutis animæ.*

205 Tertiò num. 320. *Quia hæc doctrina reddit homines ignavos, eosque ab omni studio contemplandæ veritatis abducit. Nam ubi primum quis in aliqua controversia morali intelligit extare opiniones probabiles, & se habere libertatem sequendi, quam maluerit, licèt minus probabilem, ac minus tutam, non laborat pro veritate ulterius assequenda.*

206 Quartò n. 330. *Quia cum nulla ferè sit veritas moralis, quæ plausibili aliquâ ratione oppugnari non possit, nulli dubium est, quin omnis regula morum possit everti ex libertate opinandi, non modò in præceptis humanis, verumetiam in divinis, & naturalibus, dum de ipsis interdum non occurrunt nobis rationes demonstrativæ. Unde his temporibus eò res perducta est, ut nullus ferè sit articulus in moralibus, in quo non sit varietas, vel contrarietas opinionum, adeò ut in solo opere non ità pridem impresso resolutionum moralium Antonii Dianæ numerentur in unum collectæ quæstiones supra termille cum opinionibus, & Authoribus pro utraque parte plerumque affirmantibus, aut ambas esse probabiles, aut unam probabilem & alteram probabiliorem, & in quibus ferè omnibus agitur de mortali peccato, ut de Sacramentis, de Censuris, de Votis, de Jejunio, de Restitutione, & aliis hujusmodi, quæ amplectuntur universam ferè materiam ad forum conscientiæ pertinentem. Quem scribendi morem passim observare & alii plures ex recentioribus Theologis. Quinimò apud multos receptum videtur ut probabilitas opinionis, non solum eliciatur ex rationibus &* ar-

argumentis congruentibus, sed etiam ex simplici authoritate unius docti, & pii Doctoris, ut tenent Gregor. de Valent. in 1.2.disp.2.q.12. punct.4.q.4. *Emanuel Sà* in Summ. *in ver.* Dubium n. 1. *Sanchez* in Decal. *tom.* 1. lib.1. c.9. n.7. *Filliucius* tom.2.tract.21.c.4. n. 134. *& alii apud Dianam* resol. moral. *par.*4. tract. 4. *Miscell.* resol.30. *Quod tamen vix dixerunt Doctores nostri de opinionibus Glossarum, ut notat Decius* in c.1.n.94. sup. eod. *Et quamvis hæc opinio ità generaliter, & absolutè concepta sustineri non possit, ut dicemus infra* in 4. quæst. *tamen quidam Author modernus viam quandam adinvenit, eam defendendi, verisimiliter quidem, sed non verè, ut loquar cum Aristotele* in 4. *Metaph.* c. 3. post med. *sic enim ratiocinatur: [Sententia illa proculdubio est probabilis, quæ pro se habet quatuor saltem Doctores probos & doctos: Sed hæc sententia, quæ docet, opinionem reddi probabilem ex authoritate unius Doctoris, habet pro se quatuor saltem authores doctos, & probos, videlicet, quos supra proximè retulimus. Ergo probabilis est. Quamobrem si unicuique licet sequi quamcumque opinionem probabilem, & probabilitas oritur etiam ex authoritate unius Doctoris: jam licet sequi opiniones ferè omnes etiam erroneas, ac temerarias, cum hodie in moralibus nullum quasi sic paradoxum, quod non nitatur authoritate alicujus Doctoris: aut certè negari non potest quin errandi occasio hinc præbeatur minus doctis, qui veritatem profundius scrutari, nec solent, nec sciunt. Non enim desunt, ut sæpè audivimus, qui dicant: sufficit mihi, ut pro meæ conscientiæ quiete sic doceat talis, vel talis Theologus ex Neotericis, quibus magis deferendum esse, quàm antiquis, quorum opiniones possunt esse antiquatæ, confidenter affirmat Thomas Sanchez* in Decal. *tom.* 1. d.c.9. num.11. *Quarè hæc doctrina probabilitatum videtur fovere veluti quamdam libertatem conscientiæ; ac proindè magnopere indigere dextera Dei, & Beatissimi Romani Pontificis provisione, ne venenum jam plus nimio dilatatum ulterius serpat. Etenim si optimæ sunt leges, quæ quàmpaucissima judicis arbitrio reliquerunt secundum Philosophum* 1.Rhetor. *fateri oportet pessimam hanc esse doctrinam, quæ ferè omnia relinquit libero cujusque arbitratui. Nam qui legem imperare jubet, is legem, & Deum imperare jubet: qui verò hominem, belluam adjungit, ut idem docuit* 3. *Politicor. Præsertim verò: quia idem Author Modernus non erubuit suâ epistolâ disseminare* hanc *propositionem, videlicet*, opiniones probabiles efficere, ut quod olim peccatum erat, modò amplius non sit. *Quod si verum est, jam opiniones probabiles sunt supra legem Dei, & naturæ, & tamen D. Thomas* quodlib.8.art.13. *&* quodlib. 3.art.10. *palàm docuit opiniones Magistrorum minimè efficere ut quis excusetur à peccato, si agat contra legem Dei, sicut etiam tetigimus supra* n.319. *Nam ut dicitur Matthæi* 15. Si cæcus ducatum cæco præstet, ambo in foveam cadunt. *Sed quicumque errat, cæcus est in quantum errat*, c. *Hinc etenim*, 49. dist. *Ergo quicumque sequitur opinionem errantis Magistri, in foveam peccati cadit.* Ad idem c. Cum sit ars, *in fin.* de ætat. & qualit. *Quapropter non immeritò Antonius Merenda in suo* tractatu *de hac materia novissimè impresso in* Præfatione *pag.*7. n.14. *rotundis verbis affirmat, usum probabilitatum esse commentum diaboli ad enervandam vim præceptorum. Ad quod vide epistolam Archiepiscopi Mechliniensis inferius relatam* num. 337. *nec non epistolam Fratris Vincentii Baronii Diffinitoris Tolosæ Ordinis Prædicatorum impressam initio Tractatus* de probabilitate opinionum *Fratris*

Julii Mercori ejusdem Ordinis, in qua refertur Sanctissimi D. N. Alexandri præceptum, seu consilium in Generali Capitulo evulgatum, ac Theologis Thomistis quotquot sunt in orbe Christiano à Diffinitoribus deferendum, videlicet. Tædere Beatissimum Patrem tot novarum opinionum hoc sæculo in Theologiam moralem inductarum, quibus disciplina Evangelica resolvitur, ac conscientiis cum gravi animarum periculo illuditur, & se maximè velle à Theologis nostris in Ecclesiæ hoc morbo occulto laborantis remedium, opus parari ex severiori, & tuta Sanctissimi Præceptoris doctrina, quo hæc morum, & opinionum licentia, quæ indies grassatur, quasi cauterio cohiberetur.

207 Alia autem quamplurima adfert notabilia absurda, quæ brevitatis causa omitto, satis, & sufficere putans, addere ea, quæ habet n. 392. per modum compendii suarum rationum. *Qui in actibus humanis ad mores pertinentibus eligit opinionem minus probabilem, imprudenter agit; quia tenetur pro regula suorum actuum eligere verum, quod est objectum prudentiæ: & tamen eligit minus probabile, quod plerumque est falsum. Item tenetur eligere, quod perpetuò est verum, & stabile: & nihilominus eligit opinionem minus probabilem, quæ hodiè videtur vera, sed posteà verisimilius apparebit falsa. Item, ut prudenter agat tenetur judicare de re, secundum quod est; & tamen judicat, secundum quod putatur esse minus probabiliter. Item debet esse certus saltem moraliter de rectitudine suæ operationis, quam tamen certitudinem profectò non habet judicium minus probabile; sed prorsùs fluctuat, & vacillat propter fortiora motiva opinionis oppositæ. Item debet uti principio infallibili, & tamen utitur opinione minus probabili, quam mentiri, & fallere plerumque contingit, & falli. Item ex prudentia tenetur eligere certum, & dimittere incertum: & tamen eligit judicium minus probabile, quod est obnoxium magnæ formidini propter validiora motiva partis alterius: & ideò est omninò timidum & incertum. Item tenetur agere cum veritate: & tamen sequitur minus probabilem opinionem, quæ ut in pluribus est falsa; & ideò à ratione virtutis proculdubio excluditur. Item tenetur eligere bonum & rectum, & eligit minus probabile, quod plerumque se habet ad malum & obliquum. Item ne fit imprudens, tenetur cavere periculum; & nihilominus eligendo quod minus probabile est, ac minus tutum, exponit se manifesto discrimini; prout hæc omnia, & alia plura his similia patent per viginti sex fundamenta superius allata in prima quæstione pro parte negativa à n. 59. usque ad n. 112. & probatur in 2. 3. & 7. fundamento pro hac sententia.* Imò *ex eodemmet principio* (paulò infrà) *cui præcipuè innituntur defensores probabilitatum, videlicet:* qui operatur id, quod probabiliter apparet rectum, secundum eos non peccat. *Ergo à contrario peccat qui operatur id, quod apparet non rectum,* cap. Hospitiolum, *in fin.* 32. dist. *& ibi Gloss. unica* in princ. *Sed qui sequitur opinionem minus probabilem in concursu probabilioris, operatur id, quod sibi apparet non rectum, ut constat ex dictis in pluribus fundamentis pro hac sententia, & præcipuè in primo, & 23. n. 257. & n. 281. Ergo, qui sequitur opinionem minus probabilem, concurrente probabiliori, peccat.*

Addit P. Vincentius Baronius *disp.* 2. *sect.* 4. *art.* 2. §. 1. ad rem nostram aliud utile compendium, his verbis: *Unô argumentô complectar duodecim fundamenta D. Fagnani. Tantâ necessitate astringuntur Medici, Judices, Sacramentorum Ministri, Confessarii, Principes, & omnes universim homines & Chri-*

Christiani, quatenus ratione, aut fide, vivunt ad inquirendam & deligendam opinionem tutiorem, quæ vel suadet media, fini consequendo efficaciora, vel peccata amovet, quæ fini comparando sunt impedimenta, ut si hanc curam & electionem negligant, evertantur omnia vitæ humanæ & Christianæ officia: ergo timenda est, & cavenda regula illa probabilitatis, ex qua tot mala nascuntur.

208 Inferes tertiò: etiam datô, quod opinio minus probabilis esset certa moraliter; nondum licere sequi sententiam minus probabilem, relictâ probabiliori, consequenter certiori opposita: quia alioqui contradictoria essent simul vera & certa moraliter, ut consideranti patebit. Deindè datô, quod opinio probabilis sit tuta, non licet sequi minus probabilem, relictâ probabiliori, consequenter tutiori opposita: quia tuta caret omni periculo peccandi; atqui minus probabilis in concursu probabilioris non caret omni periculo peccandi: ergo &c. Unde puto inter sententias tutas non dari unam tutiorem alterâ: benè inter certas & probabiles, unam certiorem & probabiliorem alterâ; quia hæc à motivis, illa à carentia omnis periculi peccandi, talis dicitur; nulla autem tutior illa, quæ caret omni periculo peccandi: certum tamen dari tutiorem probabili aut dubiâ, imò etiam probabiliori, ut patet ex allato exemplo *n*. 46.

RESOLUTIO VIII.

209 Dico octavò: ut licitè operer in materia periculosa, quæ mores concernit, nequidem sufficit hoc judicium, *licet mihi operari ex opinione probabiliori præcisè*, non additô aliô judiciô, moraliter saltem certo, de quo *Resol*. 7. Ità etiam D. Fagnani in cap. ne innitaris n. 228. *In varietate igitur opinionum indistinctè potest quilibet amplecti probabiliorem; dummodò tamen non habeat conscientiam opinionis oppositæ, sed credit, eam solam, quam sequitur, esse veram. Si enim contingeret, ut is, qui sequitur opinionem probabiliorem, specificantem actum pro licito, ex reflexu ad contrariam opinionem probabilem, inciperet fluctuare, ac formidare de veritate probabilioris, manente tali fluctuatione, ac formidine, non posset opinionem illam utcumque probabiliorem amplecti; sed teneretur sequi partem tutiorem, ut à peccati periculo se eximeret: alioquin haberet conscientiam ex credulitate probabili, seu ex credulitate levi, quâ manente, operari non licet.* C. inquisitioni, de sent. excom. *&* c. Per tuas, *il*. 2. de Simon. *Ubi hoc tenet Jo. Andr*. col. 3. *sub* n. 7. *vers*. Dicendum est igitur, *& ibi etiam Butr*. n. 9. *Abbas* in c. litteras, n. 4. de restit. spoliat. *Ubi [nota (inquit) quod etiam ad Ecclesiæ præceptum non debet quis venire contra conscientiam probabilem, & quod veniens contra conscientiam ædificat ad gehennam, id est, peccat mortaliter,] & fusiùs dictum est supra* n. 95. & 96. *Et in hoc præciso casu loquitur S. Thom*. in præallegat. quodlib. 8. art. 13. *si sedulo illius verba expendantur. Agit enim de illo, qui ex conscientia habet certitudinem de opinione, quod liceat habere plures præbendas; & tamen si ex contraria opinione Magistrorum adducatur in quandam dubitationem, id est, formidinem, & eâ manente, plures præbendas habeat, exponit se discrimini, & proculdubio peccato, ut latius dictum est supra in* 25. *fundamento* n. 97. *Ex quibus itidem constat de veritate secundæ conclusionis, id est, in dubiis, ubi vertitur salutis periculum, pars tutior necessariò est eligenda*. Est contra (uti vide-

videbimus infra *n.*233.) Merendam, Mercorum, Careram, Vincentium Baronium & Joannem Baptistam Gonettium, Apologistas adversus Caramuelem & alios Probilistas, in quorum scyllam incidunt, cupientes vitare charibdim.

210 Probatur: quia opinio probabilior præcisè, sive præcisò tali judiciò, nondum est tuta aut certa moraliter: atqui hucusque probatum est in periculo salutis, sive moralibus periculosis, oportere amplecti sententiam tutam & securam moraliter: ergo &c. Probatur major: quia opinio probabilior præcisè magis quidem excludit formidinem falsi, inhonesti aut illiciti, quàm opinio probabilis; sed quà probabilior præcisè nondum excludit omnem formidinem falsi, inhonesti aut illiciti, utpotè nihil plus dicens, quàm *magis* supra *probabile*, quod *magis* non tollit probabile, nisi quatenus *minus*; probabile autem juxta adversarios essentialiter includit formidinem de opposito. Unde meritò D. Fagnanus locô citatô n. 111. *Discrimen igitur est inter judicium certum moraliter & opinionem* (subde, sive probabiliorem, sive probabilem; tum ob statim dicta; tum quia equidem manet opinio) *quia judicium certum moraliter nullam formidinem habet de falso. Unde si errat, hoc est omninò per accedens, & præter intentionem. At opinans ratione formidinis, quàm habet, quod res possit aliter se habere, quàm appareat, aliquò modò prævidet errorem; qui etiamsi rarò accidat, non potest dici per accidens, & præter intentionem evenire. Ità Julius Mercorus post scripta nostra visus in* tractatu *de probabilitate opinionum* par. 1. art. 14. *vers.* Verum.

211 Confirmatur ex D. Fagnano locô citatô n. 95. *Quisquis habet suspicionem, formidinem, scrupulum, seu levem credulitatem, quod aliqua actio sit illicita, non potest, manente tali formidine, absque peccato operari, & actionem illam ad praxim deducere. Sed qui habet opinionem probabilem, affirmantem actum esse licitum, necessariò habet suspicionem, formidinem, & scrupulum, seu levem credulitatem de opposito, id est, quod ille actus sit illicitus, ut evidenter ostensum est supra, & admittitur ab adversariis. Ergo qui habet talem opinionem probabilem, non potest secundum eam licitè operari, & actum illum ad praxim deducere absque peccato.*

212 *Major propositio probatur per textum rotundum, qui cavillari non potest*, in c. *Per tuas, il.* 2. de simon. *ubi deciditur esse peccatum mortale operari contra conscientiam scrupulosam, seu ex credulitate levi, nisi prius formido, seu error deponatur, ut plenius explicabitur infrà in* 2.q. *in* 6. *principali fundamento pro opinione negativa* n. 249. *& tradunt Innoc. Jo. Andr. & alii ibi allegati. Ecce igitur ibi textus expressus, quod agens contra conscientiam scrupulosam, & cum formidine mortaliter peccat; hoc enim important illa verba,* ædificat ad gehennam, *ut notat Abbas in* c. litteras, de restit. spoliat.

213 Item n.228. *In varietate igitur opinionum, indistinctè potest quilibet amplecti probabiliorem, dummodò tamen non habeat conscientiam opinionis oppositæ, sed credit, eam solam, quam sequitur, esse veram: Si enim contingeret, ut is, qui sequitur opinionem probabiliorem specificantem actum pro licito, ex reflexu ad contrariam opinionem probabilem, inciperet fluctuare, ac formidare de veritate probabilioris, manente tali fluctuatione, ac formidine non posset opinionem illam utcumque probabiliorem amplecti, sed teneretur sequi partem tutiorem, ut à peccati periculo se eximeret:*

ret: alioquin haberet conscientiam ex credulitate probabili, seu ex credulitate levi, quâ manente, operari non licet. c. inquisitioni, de sent.excom. & c. Per tuas. il. 2. de simon. ubi hoc tenet Jo.Andr. col.3. sub n.7. vers. Dicendum est igitur, & ibi etiam Butr. n. 9. Abbas in c. litteras, n.4. de restit. spoliat. ubi [nota (inquit) quod etiam ad Ecclesiæ præceptum non debet quis venire contra conscientiam probabilem, & quod veniens contra conscientiam ædificat ad gehennam, id est, peccat mortaliter.]

214 Objicies primò. In moralibus, præterquam fidei & evidentibus, non dantur certiora probabilioribus; alioqui errasset Job aiens cap. 4. *Verebar omnia opera mea, sciens quia tu non parcis delinquenti.* Et tamen Job 1. dicitur: *Erat ille vir simplex & rectus ac timens Deum & recedens à malo:* ergo potest quis sequens opinionem probabiliorem præcisè habere formidinem de rectitudine suæ operationis, & simul benè, sive ex conscientia recta, operari.

215 Respondeo: admissâ Scripturâ; negando consequentiam: quia Job potest hôc modô intelligi *Verebar omnia opera mea*, ne essent ex inadvertentia culpabili alicujus circumstantiæ præceptæ aut finis à Deo prohibiti, defectu sufficientis ad eam superandum diligentiæ: Unde doctissimè D. Fagnani locô supra citatô n. 398. *Respondetur, Beatum Job ibi non loqui de formidine, an ejus opera essent recta, sed de metu, an facta essent debita cum diligentia, & intentione sine ulla culpa veniali. Nam ut D. Gregorius inquit: [sæpè sordet in conspectu superni judicis, quod in conspectu fulget operantis.] Et ità exponunt D. Hieronymus, & S. Thomas super illud Apostoli ad Philippenses 2. 18.* Cum metu, & tremore vestram operamini salutem. *Et 3.par. super q.6. art.4.* Vide infra *n.*327.

216 Objicies secundò: in ista sententia sistendo, Christi jugum esset durissimum, & quodammodò impossibile, contra Evangelium Matth. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Cui jura consonant, *leg.* benignus *ff.* de legibus *& cap.* final. *de transactis*, ubi dicitur, quod *opinio benignior & suavior præferri debet.* Ergo &c.

217 Respondeo: negando antecedens, ob suavitatem & facilitatem satis ostensam *supposito* 7. & sæpè posteà, utorque verbis sapientissimi D. Fagnani ibidem n. 401. *Ad illud verò, quod generaliter tanti faciunt, & extollunt sequaces probabilitatum, ut dictum est sup.* n.41. & seqq. *nempè, quod hæc doctrina tollat scrupulos, & afferat serenitatem conscientiæ, quod medeatur morbis animarum, easq; ad cœlum perducat per viam suavem & planam, secundum illud Matth.* 11. 30. Jugum meum suave est, & onus meum leve. *Respondemus mirandum esse, quod viri docti & pii, ore, scriptoq; talia effuderint paradoxa. Nam si sermo sit de præceptis juris naturalis*, Christus Dominus non venit solvere legem, sed adimplere; *ideoq; mandavit, ut ab ea non præteriretur unum jota, aut unus apex, ut* Matth.5. 17.& 18. *Si verò sit sermo de præceptis Juris divini positivi, lex Evangelica, ab ipso promulgata, non ideò suavis appellatur, quod ejus observatio secundum se careat difficultatibus, alioquin præceptum de captivando intellectum in obsequium fidei, præceptum de fide confitenda etiam cum periculo vitæ, præceptum charitatis de diligendo inimico, nec non præceptum de confessione peccatorum, in quibus experimur ingentem sensus repugnantiam, ad jugum Christi nequaquàm pertinerent.*

tinerent. Sin autem sermo sit de præceptis Ecclesiæ, audi verba Agathonis Papæ, relata in c. in memoriam, 19. *dist.* [Servanda cum mansuetudine humilitas, ut licèt vix ferendum ab illa S.Sede imponatur jugum; tamen feramus, & piâ devotione toleremus.] *Ad idem c.* in memoriam 100. dist. *& c.* Quid ergo 11. qu.3. *facit text. in l.* prospexit, *ff.* Qui, & à quib. ibi: *quod perquam durum est, sed ità lex scripta est. Jugum ergo Christi non propterea dicitur suave, quod indulgeat sensui, & faveat concupiscentiis; sed quia divinæ gratiæ dono, & virtute charitatis mandata, alioquin aspera & laboriosa, redduntur nobis suavia, & plana secundum illud* 1. *ad Corinth.* 15. Abundantiùs omnibus his laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum. *Et ità expressè docuit S. Thomas* in 3. sent. dist.40.art.4.*vers.*Sed contra, *juncta* quæst. 3. *vers.* Si autem secundô modô, *&* ad secundum, *ubi exponens hunc ipsum locum Matthæi,* Jugum meum suave est, *&c. sic fatur.* [Non ideò Dominus hoc dixit, quod secundum se non sit laboriosum, & asperum; sed quia lex Evangelica ad mandata implenda inducit ex amore, qui omnia levia facit; & quia virtuosus, ea, quæ ad virtutem pertinent, delectabiliter exequitur, ut dicitur *in* 1. *Ethic. c.*11. & ideò virtus perfecta levius quantumcumque difficilia exequitur, quàm carens virtute, facilia, cui hoc ipsum triste est, quod à delectationibus illicitis abstineat.] *Hæc D. Thomas. Similiter S. Augustinus exponens illud Joan. Epist.* 1. *cap.*5. Mandata ejus gravia non sunt, *dicit:* [Non sunt gravia amanti, sed non amanti gravia sunt.] *Et c.* 49. [Omnia (inquit) sunt facilia charitati, cui uni Christi sarcina levis est, aut & una est sarcina ipsa, quæ levis est; secundum hoc dictũ est, & præcepta ejus gravia non sunt, ut cui gravia sunt, cõsideret, nõ potuisse divinitus dici, gravia nõ sunt, nisi quia potest esse cordis affectus, cui gravia non sunt, & petat, qui destituitur, & impleat, quod jubetur.] *Sic Augustinus. Igitur suavitas in jugo Christi, & libertas in lege Evangelica, nullatenus est petenda ex doctrina de libera electione opinionis probabilis, sed ex humili imploratione divini auxilii: & Scriptores Catholici, qui tantoperè hoc argumentum magnificant, reminisci deberent, & cordi insigere aurea verba Hieronymi in Joan. cap.*27. *videlicet.* [Hæreticos cuncta prosperra polliceri, semper cœlorum regna facili negotiô peccatoribus pandere. Sibi sunt regna cœlorum. Potes imitari Majestatem Dei, ut absque peccato sis? Cœpisti enim perfectæ libertatis legem. Decipiunt blanditiis miseros, & maximè mulierculas oneratas peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ.] *Hactenùs verba Hieronymi.* Pergit

218 *Quod ergo magnificant probabilitatem sectatores, per hanc doctrinam homines ad Empyreum duci per viam suavem, & planam, est merum commentum ad animas decipiendas: nam cum Evangelium dicat, Matth.* 7. 14. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam. *Inquiro ab ipsis num sit alia via eundi ad cœlum ab illa, quam Evangelium docuit. Si dicant esse aliam, scilicet suavem & latam probabilitatum, quam hoc nostro sæculo ipsi suo ingenio adinvenerunt: insisto. Cur ergo Evangelium nos eam non docuit, sed tantum meminit viæ arctæ, & portæ angustæ? & saltem cur Apostoli, & eorum Discipuli, ac sancti Patres per quindecim sæcula hanc viam facilem, & planam nobis non indicarunt? Sanè non immeritò genus humanum conqueri posset*

posset de divina Clementia, si existentibus duabus viis eundi ad cœlum, cum eadem securitate, ostendisset nobis illam tantum, quæ angusta est, & occultasset eam, quæ lata est, & plana. Et saltem negari non posset, quin Evangelium fuisset diminutivè loquutum, manifestando nobis portam angustam & viam arctam, & abscondendo aliam latam & facilem, quod impium est affirmare. Nec se tueri possunt adversarii, si dicant Evangelium docuisse nos hanc quoque viam, per illa verba: Jugum meum suave est, *&c.* & mandata ejus gravia non sunt. *Quoniam hujusmodi authoritates alium habent sensum, ut ex Augustino, Hieronymo, & D. Thoma supra proximè ostensum est. Sin autem dicant tantum esse viam, quæ ducit ad vitam, scilicet angustam & arctam, quam docuit Evangelium: ergo via larga & plena probabilitatum, quæ Evangelio opponitur, non est via Evangelica, nec ducit ad vitam, sed magis ad interitum*, cap. Hospitiolum, *in fin.* 32. dist. Unde patet ad locum Evangelii objectum.

219 Regula autem juris objecta, objicienti non favet: quia pœnarum inflictionem potissimum respicit, juxta leg. *semper ff. nov. de reg. juris.* Neque reverà opinio, docent licitum sequi in moralibus opinionem probabilem præcisè, benigna dici potest, aut suavis, cum sit periculosa, utpotè æternæ ruinæ secum trahens periculum, ut multoties probatum est supra: Etenim, ut rectè Felix III. Epist. 7. *Nihil per nostram facilitatem*, id est, benignitatem & suavitatem, *tribunalis excelsi judicio derogatur, cui illa sunt rata, quæ pia, quæ vera, quæ justa sunt.*

220 Objicies tertiò. Ex ista resolutione sequitur: *Oportere in moralibus periculosis semper sequi sententiam tutiorem:* atqui hoc est falsum, ergo &c.

221 Probat minorem primò P. Ludovicus Schilders *de principiis conscientiæ*, tract. 2. n. 17. *quia obligatio sequendi opinionem tutiorem, etiam cum incommodo proprio, aut alieno, non est proportionata infirmitati humanæ: utpotè illativa innumerarum anxietatum & perplexitatum. Quantumvis enim & Doctores ferè omnes, & nos ipsi, judicaremus aliquod opus esse materialiter licitum, non possemus tamen in re, non revelata, neque evidenti, formare conscientiam, nos sine peccato formali id esse peracturos, si authoritas aliqua contraria, vel ratio levis, formidinem in oppositum induceret. Non est autem censendus Deus homines, tam parum penetrantes fundamenta obligationum & deobligationum suarum, velle obligare ad abstinendum ab opere, cum incommodo proprio vel alieno, quandò de honestate actus habent certitudinem tantam, quantam homines considerati, qui in negotiis magni momenti rectè se procedere existimant. Confirmatur ex cap.* in præsentia. de sponsal. *ubi mulieres, quæ ante fuerunt conjugatæ, dicuntur posse transire ad secundas nuptias*, si certum nuncium recipiant de morte virorum, *Ubi tamen testimonium etiam multorum de morte alicujus non aufert omnem formidinem. Deindè* Cap. inquisitioni, de sent. excom. *mulier, nupta viro secundo, quæ formidabat, ne prior maritus viveret, dicitur* ad sui Pastoris consilium (conscientiâ levis & temerariæ credulitatis explosâ) posse non solum reddere, sed etiam petere debitum conjugale. *Et talis tamen non nisi opinionem probabilem de morte prioris mariti habere potest.*

222 Probat minorem secundò. *Juxta à se dicta de errore invincibili: quia aliàs & Doctores, & Confessarii & Consiliarii abstinere deberent à doctrina & consilio dando de honestate*

actus, quando tantum habent opinionem probabilem. Similiter homines omnes abstinere deberent ab usu opinionum talium; quod tamen est contra praxim communem. Judex non posset reum per duos testes de homicidio convictum & confessum plectere morte, cum non sit evidens, testes non fuisse deceptos, aut decepisse; neque ipsum reum metu tormentorum finxisse crimen, quod non fecit. Similiter carnifex plectere morte non posset eum, qui à Judicibus condemnatus est, cum ipse nonnisi probabiliter opinetur sententiam esse justam; præsertim cum eam, ut fieri solet, non examinavit. Nō poterit Judex fures furti simplicis reos condemnare, cum non sit evidens Deum id permisisse, asserente Scoto in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. *Deum homicidium malefici vetuisse, nisi in casibus, in Scriptura permissis. Thesis etiam habet locum, quandò materia opinionis nostræ à nullo tractata est, adeoq́; opinio nostra est singularis. Sic judex Apostolicus delegatus quotidie in quæstione facti, solus sententiam fert, & executioni mandat.*

223 Probat minorem tertiò. *Quia praxis Catholicarum Universitatum passim est, ut in iis defendantur opiniones probabiles tutioribus relictis. Quæ praxis usitatissima est in Schola Theologica Lovaniensi, in qua passim ab iis, qui ad gradus Academicos promoventur, sub præsidio Doctorum Theologiæ, defendi solent in disputationibus opiniones probabiles circa jus naturæ, licèt oppositæ & probabiles & tutiores sint. Quod ne gratis affirmare videar, exempla quædam annorum posteriorum adduco excerpta ex thesibus impressis, ibidemq́; propugnatis.*

224 *Propositio hæc:* statim, admissô peccatô, nullus sub novo mortali cōfiteri obligatur. *Defensa isthic fuit anno* 1640. 11. *Februarii. Anno* 1652. 24. *Octobr. Anno* 1653. 25. *Febr. Anno* 1654. 12. *Junii & 4. Augusti. Anno* 1655. 15. *Junii. Anno* 1661. 26. *Febru. Anno* 1662. 11. *Febru. & 9. Maii. Anno* 1663. 10. *Maii. Et tamen oppositum tutius est, tenetur q́; à Guilielmo Parisiensi de Sacramento Pœnitentiæ c. 19. Archidiacono ad Can. ille rex, de pœnitentia dist. 3. Thoma de Argentina in 4. dist. 17. art. 4. ad 4. aliisq́; nonnullis.*

225 *Similiter hæc:* Dubius an voverit, non tenetur voto. *Defensa ibidem fuit anno* 1653. 15. *Martii. Anno* 1655. 20. *Febru. Anno* 1659. 9. *Decemb. Anno* 1662. 12. *Junii,* 1663. 6. *Julii. Et tamen nonnisi probabilis est. Oppositum tutius: teneturq́; ab Azorio, Vasquez, Sayro, Perez, Pontio, Hurtado, Montesino, Turriano, Comitolo, aliisq́; ut refert Bossius* Tom. 1. Moral. n. 1174. & n. 1589. Et sic de aliis, quibus ibi relatis subdit, *Multæ aliæ similes propositiones merè probabiles, minusq́; tutæ, quàm oppositæ adferri possunt ibidem sæpius propositæ & defensæ. Illud mirum, quod etiam præsidentibus Doctoribus nonnullis assertionis nostræ adversariis, qui tenent illicitum esse in materia juris naturæ sequi opinionem probabilem, tutiore relictâ.*

226 Respondeo primò: Distinguendo majorem. Ex ista resolutione sequitur, oportere in moralibus periculosis semper sequi sententiam tutiorem tuta, nego majorem; quia oppositum *resol. seq.* docemus: tutiorem probabili, aut etiam probabiliori præcisè, & sine adjecta certitudine morali, quod sequendo invincibiliter erretur, si erretur, concedo majorem, ob rationes supra datas: quamdiu enim hæc certitudo abest, nondum cessat omne erroris vincibilis & peccati periculum, sed majus dumtaxat, perseverante minori, quod spontè amplecti, sive amare, peccatum est, dicente Scriptura de majori & minori periculo indifferenter, *qui amat periculum peribit in illo,* Eccli. 3. unde ad sensum hujus 2. membri distinctio-

stinctionis majoris, nego minorem. Et

227 Respondeo secundo. *Ad 1. Probat. minoris.* Non satis apparere, quomodo ad operandum in moralibus periculosis necessitas agendi, saltem ex ignorantia invincibili erroris, sic ut invincibiliter erretur, si erretur, inferat innumeras anxietates & perplexitates, quas quisque in sententia P. Schilders & aliorum probabilis opinionis Patronorum subire non debeat in moralibus periculosis, ut ignorantiam vincibilem, & hinc peccatum, superet: & ut argumentum in suum Authorem retorqueam. *Quantumvis* per hanc *Doctores ferè omnes, & nos ipsi, judicaremus aliquod opus esse materialiter licitum, non possemus tamen* sub illa *in re non revelata, neque evidenti, formare conscientiam, nos sine peccato formali id esse peracturos, si authoritas aliqua contraria, vel ratio levis, formidinem in oppositum induceret*: estque *censendus Deus homines*, licèt *parum penetrantes fundamenta*, prout ex parte sua sunt vera, *obligationum & deobligationum suarum, velle obligare ad abstinendum ab opere cum incommodo proprio vel alieno, quando de obligatione actus non habent*, nisi ignorantiam vincibilem & incertitudinem, quam *qui*, sequendo, *in negotiis magni momenti rectè se procedere existimant*, valdè inconsiderati sunt. Ut vidimus *n.* 201. & *num.* 207. Unde sicut in ignorantia vincibili nulla securitas, ita nec in opposita sententia; & sicut in sola certitudine morali non peccati securitas, ita & in sola nostra sententia; quam contra P. Schilders satis firmat Clementina *Exivi de verb. signif.* ubi dicitur, *In his, quæ salutem animæ respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda.*

228 *Ad confirmationem verò.* Respondeo. Pontificem id ibi decernere motum, ignorantiâ invincibili interveniente, de vita virorum, ut patet ex his verbis *si certum nuntium*, id est invincibiliter judicatum verum, *recipiant de morte virorum.* Dixit autem ipsemet P. Schilders num. 12. *formidinem non inferre infallibiliter existentiam objecti, in eoque differre ab errore invincibili, qui licet sit opinio, non habet tamen formidinem adjunctam.* Unde in sua confirmatione malè addit. *Ubi tamen testimonium etiam multorum de morte alicujus non aufert omnem formidinem.* Quia si loquatur de testimonio invincibiliter erroneo, uti Pontifex, sibi contradicit. Si de vincibiliter erroneo & incerto, nihil ad rem dicit, cum Pontifex de certo, sensu datô, loquatur. *Cap.* autem Inquisitionis *de sententia excom.* Pontifex non magis sequitur opinionem probabilem præcisè de morte prioris mariti, quàm de hac ignorantiam vincibilem, alioqui hanc in materia periculosa juris naturæ sequendo, peccaret, ut omnes fatentur: sed sequitur simul adjectum judicium moraliter certum *de meliori conditione* secundi matrimonii *possidentis*, non obstante *conscientia levis & temerariæ credulitatis* de vita prioris mariti, quæ hic explodi debeat, tanquam nulla, utpote *levis & temeraria.*

229 Respondeo tertiò. *Ad 2. Prob. Minoris.* Ex hucusque præmissis efficaciter, ni fallor, evinci Doctores, confessarios &c. in materia morali periculosa abstinere debere à doctrina & consilio dando de honestate actus, quando tantum habent opinionem probabilem, sive probabilem præcisè, haud secus quàm quandò habent ignorantiam vincibilem de inhonestate actus, seu peccato; hominesque omnes, in

materia ista, haud minus abstinere debere ab usu opinionum talium, quàm ab usu ignorantiæ vincibilis; neque id magis, quàm hoc esse contra consideratam & timoratam praxim: inconsiderata autem & libertina est eliminanda: num ut sapienter lactantius lib. 3. cap. 13. *Ne trahamur authoritate cujusquam; sed veritati potius faveamus, & accedamus, nullus hic temeritati locus est; in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit.* Quod verò addit de Judice & Carnifice, eàdem ratione conceditur: sed falsum supponit, videlicet, ipsos ibi sequi opinionem probabilem præcisè, defectu evidentiæ physicæ, cum media sit evidentia moralis, innixa judicio invincibiliter certo de nocentia rei, sic ut judicando, suppliciando &c. invincibiliter errent, si errent, quam sequuntur, aut alioqui ignorantiam vincibilem sequerentur, quos illam sequi, nullus sine temeritate dixerit.

230 Respondeo quartò: *ad 3. Probat. & seq.* juxta distinctionem supra datam. Praxis Universitatum Catholicarum passim est, ut in iis defendantur in morali materia periculosa opiniones probabiles præcisè, his tutioribus relictis: nego assumptum; quia non scio Universitatem Catholicam, in qua non solùm passim, sed nequidem semel & interdum defendatur licere in tali materia sequi ignorantias vincibiles; illæ autem sine his defendi non possunt, ut contendimus, & hucusque probavimus: ut in iis defendantur in materia speculativa, quæ mores non concernit, opiniones probabiles præcisè; aut in morali periculosa, opiniones probabiles, innixæ judicio invincibiliter certo de honestate seu veritate rei, sic ut operando invincibiliter erretur, si erretur, his tutioribus relictis, concedo assumptum: quia hæ sunt sufficienter tutæ, uti *resol. 9. & 10.* videbimus. Quod verò addit de Schola Theologica Lovaniensi: Eximii Doctores illius ætatem habent, ut respondeant; non puto tamen illos fassuros se in istis moralibus periculosis docuisse opiniones sibi probabiles præcisè, sed solas probabiles innixas judicio sibi invincibiliter certo de veritate, sic ut docendo invincibiliter errent, si errent: aut velle aliquos suas opiniones sequi, nisi quatenus tali judicio reflexo sequentes innituntur; ne alioqui velint illos in morali materia periculosa sequi ignorantiam vincibilem, quod omnes unò ore condemnant. Unde mirum non est, quod, etiam præsidentibus Doctoribus nonnullis, *Assertiones* hujus, *In moralibus licet sequi sententiam probabilem*, puta *præcisè*, id est per dictum judicium non certificatam, *ab adversariis sint propositæ & defensæ, qui tenent illicitum esse in materia juris naturæ sequi opinionem probabilem*, hàc *tutiori relictâ.*

231 Addit quidem P. Schilders *ibidem* num. 19. *Dixi in thesi*, quandò opinionem tutiorem non possumus sequi sine incommodo proprio vel alieno. *Si enim sine ullo incommodo sequi possimus tutiorem, hæc videtur sequenda, eò quòd tunc magna ex parte cesset ratio, ob quam lex naturæ & divina permittit usum opinionis probabilis. Illa tamen obligatio videtur tantum esse levis, sive sub veniali. Obligatio enim major, sive sub mortali, induceret consequentiam plurimarum anxietatum, nominatim pro examine causæ sufficientis ad sequendam opinionem probabilem contra tutiorem. Ità Salas* 1. 2. tr. 8. nu. 42.

Homem

Homem de conſcientia cap. 2. num. 26.

232 Sed contra: limitatio vim non habet; niſi ſub *incommodo proprio vel alieno*, accedat judicium invincibile de obligatione legis magis obligantis ad illud incommodum vitandum, quàm alia lex, alioqui urgens, obliget, ſic ut illud ſequendo, juxta hanc regulam, *in neceſſariis, quod minimum eſt ſequimur, inter duo mala* disjunctivè *neceſſaria, eligendum minus*, invincibiliter erretur, ſi erretur. Aliàs non obſtante quocumque incommodô propriô vel alienô, aut ceſſandum ab opere, aut operandum, quod lex magis obligans præcipit, cum *non ſint facienda mala, ut eveniant bona*, nec quidquam *proſit homini, ſi totum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur*, inter duo mala ſequendo majus. Neque hæc obligatio, ſub mortali in materia gravi, ſtrictiorem inducit conſequentiam plurimarum anxietatum, nominatim pro examine cauſæ ſufficientis ad ſequendam opinionem probabilem contra tutiorem, quàm ad ſequendam in morali materia periculoſa ignorantiam invincibilem contra vincibilem, aut opinionem per judicium invincibile &c. certificatam contra probabilem præcisè, quam conſequentiam omnes conſiderati & prudentes admittere debent, uti ſatis probatum eſt ſupra, & per ſe manifeſtum videtur. Vide tamen præmiſſa ex D. Fagnano. *num.* 217.

Sed quid de librorum Cenſoribus, qui, licèt ex privato ſenſu mordicus tueantur in periculoſis &c. non licere ſequi opinionem probabilem præcisè, tamen approbant libros, continentes ſententias probabiles præcisè, imò nominatim hanc licere ſequi opinionem probabilem; eoſque laudant tamquam animarum directioni utiles & pro praxi Chriſtiana ſecuros?

Reſpondeo: Cenſores non ita ad privatum ſenſum attendere, imò nec poſſe, uti ad communem de fide & bonis moribus juxta timoratorum praxim & Eccleſiæ tolerantiam; alioqui omnes authores ſolo ſui Cenſoris ſenſu ſapere & abundare deberent, quod ipſi in ſuorum approbatione nollent, nec hi moraliter poſſunt: unde juxta hunc communem ſenſum ſine ulla abſurditate ſententias ſuis oppoſitas approbant, & eas merito laudant, tamquam animarum directioni utiles, & in praxi Chriſtiana tutas, attentô ſenſu, quô communiter ab Authoribus ſuis ſub ignorantia invincibili veriorum defenduntur, & ab aliis ſub eadem dumtaxat invincibili ignorantia veriorum practicandæ proponuntur, prout ſub hac ſola à timoratis practicantur, & in praxi ab Eccleſia tolerantur.

RESOLUTIO IX.

233 DIco nonò. Ut quis licitè operetur in materia periculoſa, quę mores concernit requiritur, ut conſcientiam formet practicè certam moraliter, ſive ut certitudinem habeat, ſaltem moralem, de qua *ſup.* 7. & *Corol.* ejuſdem, quod hìc & nunc operando non peccet, aut violet legem aliquam hìc & nunc magis obligantem. (Quod disjunctivè addo: quia ut quis licitè in materia, quæ mores concernit, operetur, ſive ad formandam conſcientiam practicè certam, requiritur certitudo, ſaltem moralis, de qua *ſuppoſ.* 7. quod non peccet, ſive quod alteram ſequendo partem, fortè non violet legem hìc &

nunc

nunc magis obligantem; siquidem in omnium sententia semper majori obligationi, quæ in possessione sit, satisfaciendum est; ne alioqui nõ sit melior Superioris præcipientis conditio; neq; *inter duo mala sit eligendum minus*; quod est contra certam omnium sententiam.) Ità Suarez hic *disp.* 2. *sect.*12. Lessius *de just. & jure cap.* 1. Salas 1. 2. tract. 8. sect. 4. Medina *ibidem q.* 19. *art.* 5. & novissimè D. Fagnanus *in Cap. ne innitaris* num. 23. 24. & 43. ubi sic, *Ego verò quamvis agnoscam, quàm durum sit impetum fluminis sistere, & doctrinam hanc pruritentem auribus Principum, & privatorum, ac ferè omnium mentibus infixam convellere: tamen fretus clementiâ Dei, qui veritatem diu latere non sinit, in medium afferam, quæ magis conducere videbuntur ad illius manifestationem.* Et num.108. in fine, *Atque hanc sententiam ex recentioribus amplectitur Antonius Merenda in suo opere de consilio, ubi innumeris ferè Sacræ Scripturæ locis, juxta Sanctorum Patrum interpretationem, accuratô studiô impugnat, & prorsus damnat usum probabilitatum, eô modô, quô admittitur à modernis, & concordant Carena* de offic. Sanct. Inquis. *par.*2. tit. 5. §.4. *& Julius Mercorus in* tractatu *post scripta nostra impresso* de Probabilitate opinionum. par. 1. *ubi facili, & clarâ methodo eruditè, ac strenuè pro eadem sententia pugnat.* Addi possent, & vincentius Baronius in *Examine Epistolarum Caramuelis*, & Joannes Baptista Gonet in *Dissert. Theol. de opinionum probabilitate.* Sed dum sistunt in opinione *probabiliori præcisè*, totô sui operis mole in Adversariorum suorum foveam cadunt, quam sic malè vitare prætendunt, uti vidimus contra vincentium Baronium à *num.*21. *ad nu.* 48. ante *dub.* 6. Et contra Joannem Baptistam Gonet infra *num.* 288. Nec procul absunt *Merenda, Carena* & *Mercorus*, ut præcitata eorum opera consideranti patebit. Dicunt enim *probabiliorem* præcisè (quia de judicio moraliter certificante per nos adjungendo, nusquam mentionem faciunt) esse *tutiorem:* unde per ipsos *probabilior* ad *probabilem* se habere debet, uti *tutior* ad *tutam*, ac per cõsequens licere sequi *probabilem* uti *tutam*, prout *probabiliorem* uti *tutiorem:* nec rationem adferunt (licet velint per *tutiorem* intelligi *tutam*, sive *non tuta tutiorem*) cur proportionaliter per *probabiliorem* intelligi non debeat *probabilis*, sive *non probabili probabilior*; quandoquidem non differat *probabilior* à *probabili*, quàm *tutior* à *tuta*, sic ut veluti *probabilior* est minus tuta *tutiori tuta*, ita *probabilis* sit minus probabilis *probabiliori probabili*, cum utrobique sit sola differentia penes *magis* & *minùs*. Vide supra *Resol.* 8.

234 Probatur primò: quia talem certitudinem esse necessariam, videtur clarè colligi ex S. Scriptura Eccli. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Numquid spontaneè amat periculum peccandi, qui dum operationem moraliter suspendere potest, sequendo opinionem probabilem præcisè, sine ulla certitudine morali, quod operando non peccet, operatur? Vide D. Fagnani sapientissimam doctrinam *n.*202. Psal. 118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*, id est *valdè.* Numquid, si ex tali opinione probabili præcisè liceret contra Dei mandata operari, parum & non nimis mandasset sua mandata custodiri? Eccli. 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te; & ante omnem actum consilium stabile.* Numquid sufficeret præcedere verbum æquè fallax ac verax, & potius consilium instabile,

bile, quam stabile? Deuter. 26. *Hodiè Dominus præcepit tibi, ut facias mandata hæc, atque judicia, ut custodias & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*, id est *cognitione*. Numquid opinio probabilis præcisè, utpotè fallibilis, non est ex tota anima, sive cognitione? Et Apost. ad Tessal. 5. *Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos*. Numquid speciem malam assumit, qui sequendo sententiam probabilem præcisè, judicatum fortè malum assumit? Nullâ ratione, vel solum apparenti, videtur negari posse: ergo &c.

235 Probatur secundò. Extra casum, quô occurrit operandi necessitas, sub judicio practico de æquali malo sub utravis parte electionis (de quo *Resol.* 5. *num.* 143. ad *D. Sinnichium*, qui casus vix umquam contingit, ut *ibidem* notavimus; & si daretur, tam certus esset operans se, utramvis partem & sententiam eligendo, non peccare, quàm operandi necessitatem à peccato excusare:) nisi adsit dicta certitudo, semper adsunt duo judicia, quorum unum dicit, hoc esse licitum quatenus subest isti rationi vel authoritati, alterum verò hoc esse illicitum quatenus subest alteri rationi vel authoritati, aut judicium unum virtualiter utrumque continens: atqui, hôc casu, operatio suspendi debet: ergo &c.

236 Probatur minor primò: quia alioqui operans, licitè operaretur id, quod hîc & nunc judicat esse illicitum, quod haud minus possibile videtur, quàm simul judicare rationes, ob quas judicat licitum, esse rectas, sic ut simul idem sit & non sit licitum, idem simul sit & non sit prohibitum, eadem prohibitio simul ad idem obliget & non obliget, & consequenter eadem prohibitio simul sit obligatoria & non sit obligatoria: atqui hæc contradictoriè repugnant; ergo &c. Probatur sequela majoris; quia ob rationes rectas operabitur id, quod rationes aliæ rectæ dictant esse illicitum: ergo &c.

237 Dices: ista non magis contradictoriè repugnant, quam assensus & dissensus de eodem objecto ex diversis mediis illato, ut *Roma stat, quia id Petrus dicit, quem novi esse veracem*, & *Roma non stat, quia id Paulus dicit, quem novi esse mendacem*: atqui Logicæ *tract.* 9. *disp.* 3. *dub.* 3. *num.* 193. defendimus ista contradictoriè non pugnare, quidquid sit de eodem objecto non illato & absolutè sumpto, *Roma stat*, & *Roma non stat*: ergo &c.

238 Confirmabis: *tom.* 4. *Theol. tract.* 2. *disp.* 3. *dub.* 4. *Resol.* 2. diximus, quod unus idemque actus produci possit à duabus causis adæquatis, virtute & vitio, ob duos fines adæquatos, & ità productus esse simul meritorius & venialiter peccaminosus: atqui minus repugnat idem simul esse licitum & illicitum ob diversas rationes judicatas simul rectas: ergo &c.

239 Respondeo: negando antecedens; quia lata est disparitas. 1. Quia neque ex dictis in Logica, neque ex dictis *tomo* 4. citata, sequitur operantem licitè operari id, quod hic & nunc judicat esse illicitum, prout alioqui ex minori sequitur: sed solum ex dictis in Logica sequitur, idem esse affirmatum quatenus ex uno motivo, negatum quatenus ex altero, præscindendo, an utrumque rectè & sine peccato, an utrumque malè & cum peccato, an unum benè & sine peccato & alterum malè & cum peccato, quæ ut sic

præcisè sunt mere speculativa.

240 Dicit quidem D. Fagnanus *locô sæpè citatô* num. 132, *Impossibile est, ut judicemus, sive cum formidine, sive sine formidine aliquid esse, quod certò scimus non sic esse, ut patet in* 4. Metaph. cap. 6. *sed certò scimus utramque contradictoriam non esse veram, ut in* eodem cap. 6. *Ergo sive cum formidine, sive non, utramque veram judicare non possumus; & consequenter, si cum formidine judicamus unam determinatè veram, necesse est, ut cum formidine judicemus alteram determinatè falsam. Quod adeò verum est, ut nec per diversa media possimus utrique simul assentiri. Ratio est: quia utraque per diversa media vera esse non potest: nam, ut ratiocinatur Gregor. Ariminen. q. 2. prolog. in princ.* [Propositiones contradictoriæ non possunt unquam verificari, etiam respectu duarum causarum; quia alioquin tu, & ego possemus facere, ut duo contradictoria essent vera, quod nec Deus facere potest cum toto mundo.] *Unde, sicut utraque etiam per diversa media vera esse non potest, ità neque per diversa media utraque credi potest; quia id, quod non potest esse, neque potest verum judicari, ut in* 4. *Metaph. d. c. 6.* Pergit D. Fagnanus *ibidem.*

241 *Ideoq; durandus* in prolog. quæst. 1. num. 21. *ait*: Æstimare contradictoria simul esse vera, non potest esse in mente hominis, etiamsi voce proferatur. *Et Angelus* in cons. 87. *incipien.* Hic punctus, *circa fin.* [Nec Legislator (*inquit*) nec Deus ipse potest actum repugnantem in esse producere.] *Cujus dictum sequitur Decius* in l. ubi repugnantia, *ff.* de regul. jur. *Atque ità non posse intellectum physicè, & naturaliter loquendo utramque partem contradictionis opinari, neque ex principiis intrinsecis rationum, neque ex principiis extrinsecis authoritatum, tradiderunt idem Gregor. de Armino in* prolog. art. 1. q. 2. *& Durandus* loco citato, *qui ad hoc citat etiam Aristotelem, & S. Thom.*

242 Sed primò: manifestum est, D. Fagnanum solum velle: nos non posse affirmare, idem præcisè esse verum, & idem præcisè esse falsum per diversa media, sive intrinseca rationum, sive extrinseca authoritatum, eò quòd sciamus idem præcisè non magis posse, etiam per diversa media, esse simul verum & falsum, quàm simul esse, & non esse simpliciter, quod ultro concedimus: & solum volumus idem quatenus deductum ex dicto Petri veracis posse affirmari esse verum, utpotè verum probabiliter, & quatenus deductum ex dicto Pauli mendacis posse negari esse verum, utpotè falsum probabiliter: verum autem probabiliter quatenus deductum ex dicto Petri, & falsum probabiliter quatenus deductum ex dicto Pauli, non sunt magis contradictoria, quàm dictum Petri & dictum Pauli, aut quàm probabile hoc esse verum & probabile hoc esse falsum, quæ non sunt contradictoria, ut ipsemet *ibidem* fatetur, aiens, *Probabile est, hoc esse verum vel licitum, &, probabile est, hoc esse falsum vel illicitum, non sunt contradictoria; quia utrumque simul potest esse probabile*; ac per consequens probabiliter verum & probabiliter falsum, *cum probabilitas, ut prædixi, æquè conveniat vero & falso.* Etenim affirmare esse verum quatenus deductum ex dicto Petri cum formidine de opposito, virtualiter est affirmare probabiliter verum quatenùs deductum ex dicto Petri, & negare esse verum quatenùs deductum ex dicto Pauli

cum

cum formidine de opposito, est virtualiter negare probabiliter falsum quatenùs deductum ex dicto Pauli. Ex dictis verò *Tomo 4. Theol.* solum sequitur, idem quatenùs productum à virtute adæquata, & ob finem virtutis adæquatum esse meritorium, & simul quatenùs productum à vitio adæquato ob finem vitii adæquatum esse peccatum veniale; in quibus nihil simile.

Secundò: ut foret paritas, deberet idem opus esse affirmatum, *esse licitum ob rationes* Petri, sive quia id Petrus dicit, quem novi esse veracem, *& esse illicitum, ob rationes Pauli*, sive quia Paulus dicit, quem novi esse mendacem, præscindendo à moralitate operis sub utroque motivo, à qua non præscindimus, nec intendunt præscindere adversarii; nec possunt, cum objectum hoc, secus illud, de quo nos in Logica, supponatur: aut reipsâ esse in materia morali hîc & nunc conforme vel difforme rectæ rationi, si unica recta adsit; quô casu tam repugnat illud esse simul licitum & illicitum, quàm unicam rationem simul esse rectam & non rectam: aut simul conforme & difforme rectæ rationi, si duæ rectæ simul adsint; sed hoc tam repugnat, quàm duas regulas aut lineas oppositas esse simul rectas, regulam morum & legem naturæ opposita tanquam recta præscribere, & sic bonum malum, & malum bonum, quæ sunt evidenter Dei & naturæ legi repugnantia.

Tertiò: Demus duas rationes rectas concurrere, quarum una dictat esse licitum, alia dictat esse illicitum, una dictat hîc & nunc esse prohibitum, alia hîc & nunc non esse prohibitum, una dictat eandem prohibitionem hîc & nunc obligare, alia hîc & nunc non obligare: si fiat ob rationem rectam dictantem esse licitum, nondum cessat ratio peccati & illiciti; non quidem ratione voluntarii directi, & directæ intentionis, quâ ob istam rationem fit; sed ratione voluntarii indirecti & intentionis interpretativæ, quâ ob aliam rationem fit: si quidem est potentia ad non faciendum, advertentia ad prohibitionem, sive quod sit illicitum, & obligatio non faciendi, & intereà fit, quæ, & nihil plus, ad voluntarium indirectum & interpretativum requiruntur, ut omnes fatentur. Igitur

Ad Confirmationem.

243 Respondeo: negando consequentiam: quia inde solum sequitur, quod idem, concurrentibus duabus causis & motivis adæquatis virtutis & vitii, possit esse virtuosum & vitiosum venialiter: non verò, quod objectum unum, præscindendo ab istis causis & motivis adæquatis, à quibus etiam adversarii in hac difficultate præscindunt, & præcisè attendendo illud, quatenùs est id, quod est prohibitum, possit sic unâ rectâ ratione practicâ dici hîc & nunc prohibitum, ut aliâ oppositâ rectâ ratione practicâ dicatur hîc & nunc licitum, quod volumus sequi ex sententia adversariorum, & statim probavimus repugnare, nec tamen purgare rationem peccati, licèt non repugnaret. Unde in materia fidei & morum probabili præcisè (quam nos periculosam putamus) omninò sequenda est primorum parentum praxis in innocentiæ statu, juxta illud Estii in 2. dist. 23. §. 7. in fine, *In primo statu, de unaquaque re semper aut*

verum mentis judicium futurum fuisset, ut de rebus cognitis, aut nullum, ut de rebus prorsus incognitis, aut suspensum, ut de rebus animo quidem oblatis, sed incertis aut ambiguis. Quod fundamentum habet in Augustino lib. 1. de Trinitate cap. 2. Parenesis. *Imbecillem mentem observata pietas sanet, ne in opinionem noxiæ falsitatis temeritas inordinata præcipitet.*

244 Probatur minor secundò. Hæ duæ propositiones, *hoc jam est licitum, hoc jam non est licitum*, non possunt esse simul veræ; ergo nec simul rectæ, sive rectæ rationi conformes: probatur antecedens; quia sunt propositiones contradictoriæ, quæ non possunt simul esse veræ, etiam ut illatæ ex diversis præmissis certis, probabilibus, erroneis &c. (Licèt ut sic possunt esse conclusio scientifica, probabilis & erronea, quô sensu non sunt magis contradictoriæ, quàm scientia, opinio & error, ut vidimus in Logica *tract. 9. disp. 3. dub. 3.*) eò quòd illæ formales contradictoriæ, sumant veritatem à contradictoriis propositionibus objectivis (nam *ab eo, quod objectum sit, vel non sit, ratio est vera vel falsa*) quæ non possunt magis simul esse veræ & falsæ, quam earum objectum simul esse & non esse, ob rationem statim datam, & authoritatem Aristotelis in cap. de *oppositis* & 4. *Metaph. cap. 6.* ubi docet contradictoria, non solum in re, sed nec in intellectu posse simul esse vera. Et D. Thomæ quodlib. 8. art. 13. *quandò sunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, alteram falsam.*

245 Probatur minor tertiò. Casu, quô conscientia est dubia de objecto, *an sit licitum vel illicitum*, & non est necesse operari, operatio suspendi debet, ut infrà probabitur, & fatentur adversarii: atqui, ubi dicta duo judicia concurrunt, conscientia est dubia de objecto, *an sit* &c. ergo &c. Probat minorem nervosissimè D. Fagnanus *in Cap. ne innitaris.* Argumentis sequentibus.

246 Primò num. 142. *ex Aristotele 1. Topic. c. 9.* in princ. *ubi sic differit:* [Sunt autem problemata, & de quibus contrarii sunt syllogismi; dubitationem enim habent utrum sic se habeant, an non; eò quòd de utrisque sunt rationes suasibiles.] *Hæc ibi. Ecce igitur textus clarus, à defensoribus probabilitatum; quod sciam, adhuc non ponderatus, in quo propositio dicitur dubitationem habere,* cum pro *utraque parte sunt rationes probabiles, seu quod idem est, suasibiles.*

247 Secundò num. 148. Ex c. Nervi, 13. dist. *ubi pluribus exemplis ostenditur, eum qui agitatur contrariis opinionibus, & per rationes suasibiles impellitur in utramque partem, propriè habere conscientiam dubiam atque perplexam.*

248 Tertiò num. 149. *Ex cap.* Fraternitatis, de frigid. & malefic. *ubi lata fuerat sententia separationis thori ex errore probabili, ut patet ibi:* Sententiam divortii per errorem licet probabilem, novimus esse probatam. *Et tamen Innoc. III. dicit rem tunc temporis fuisse dubiam, ut constat ex illis verbis:* quamdiu articulus iste dubitabilis erat.

249 Quartò ibidem *ex cap.* Illud, de præsumpt. *ubi in articulo, An inter liberam & servum fuisset contractum matrimonium, nec ne, ponderantur rationes pro utraque parte probabiles; & tamen res dubia æstimatur, ut patet ibi,* in hujusmodi dubitatione.

250 Quin-

250 Quintò ibidem *efficaciter* inquit, *ex c. Inquisitioni, de sent. excom. inducendo illud, ut patebit infrà in secundo fundamento principali pro hac sententia.*

251 Sextò ibidem *ex cap.* Illud, de cler, excom. ministr. *& in c.* per Venerabilem, §. *Rationibus*, qui fil. sint legit. *nec non in cap.* veniens, de Presbyt. non baptizat. *quos Canones itidem expendimus infrà in* 3. 4. *&* 5. *fundamento.*

252 Septimò ibidem *ex cap.* litteras, de restitut spoliat. *ubi Papa quamvis habeat omnia jura in scrinio pectoris.* c, 1. *hoc titulo*, lib. 6. & l. Omnium C. de testam. *tamen, ubi videt opiniones Doctorum probabiles, reputat illam materiam dubiam, nec libenter illis detrahit.*

253 Octavò num. 150. *Quia, ut ex Aristotele deducit Bald.* in l. de statu num. 1. *ff.* de testam. *Dubitatio est æqualitas contrariarum ratiocinationum; nam ut ait Sylvester in* ver. *Opinio* num. 1. *dubitatio non habet rationem probabilem ad alteram partem tantum, sed ad utramque æqualiter, vel quasi, & secundum D. Thom. in* 3. sent. dist. 17. quæst. 1. art. 4. *signat motum rationis super utraque parte contradictionis cum formidine determinandi alterum. Sed qui judicat, æquè probabiles esse opiniones inter se oppositas, æqualiter ratiocinatur contraria, cum pro utraque parte formet argumenta, & syllogismos, secundum Philosophum supracitatum* 1. Topic. c. 9. in princ. *vel certe utrinque habet rationes æquales cum formidine se determinandi ad alterum, secundum S. Thomam: ergo dubitationem habet.*

254 Nonò num. 151. *Quia dubium est, cum intellectus inter duas partes constitutus, quarum altera affirmat, altera negat, remanet suspensus, & neutri assentitur: quia non habet sufficientia motiva pro una parte magis, quàm pro altera, quæ inclinent, & moveant ad assensum, c.* in Canonicis *vers.* Si autem, 19. dist. *l.* in ambiguo *ff.* de reb. dub. *& notat glos.* in Rubrica *ff.* de jur. & fact. ignoran. *& Bart.* in l. Admonendi num. 19. *&* 20. *ff.* de jurejurando. *Sed inter duas opiniones oppositas æquè probabiles intellectus non habet sufficientia motiva, cur magis flectatur ad unam, quàm ad alteram propter æquilibrium rationum. Ergo dubitat, & simile quiddam ligatis patitur.*

255 Adde & aliam rationem: quia vel habet certitudinem moralem, quod unum sit verum & rectum, sub dubio de altero: vel quod utrumque sit verum: vel dubium de utroque: non enim datur medium practicum, sive in practicis. Si primum: manifestum est, quod, certitudinem illam non sequendo, sequatur conscientiam dubiam, sub qua operatio suspendi debet, ac per consequens quod illicitè operetur, & peccet. Si secundum: nihil contra resolutionem sequitur; sed solum, quod duo judicia objectivè contradictoria sint simul vera, & quidem certò, quod est impossibile, ut statim vidimus. Si tertium: patet ex dictis contra primum. Ergo &c.

256 Respondebit fortè: hic & in probatione 1. Minoris supponi falsum, videlicet, duo judicia ista concurrere, cum solum hoc judicium, *id est licitum, quia ratio probabilis id dictat*, aut *quia authoritas probabilis docet id esse licitum*, quod non est virtualiter duplex judicium, de quo in ista probatione.

257 Sed contra: semper intervenit judicium unum reformans, quodammodò alterum, quod repræsentat *esse illicitum,*

 prohi-

prohibitum &c. vel non? Si primum: evidens est semper concurrere duo judicia, reformans & reformatum. Si addas: reformatum non influere. Dissimulari quidem potest de influxu voluntario directo, sed negari non potest de influxu voluntario indirecto & interpretativo, cum ad hoc sufficiat potentia, advertentia ad prohibitionem & positio operis, quod advertitur prohibitum; quæ omnia adsunt, cum in tali judicio reformato sit hæc advertentia. Si secundum: vel vincibiliter, vel invincibiliter non intervenit alterum judicium, quod reformetur? Si vincibiliter non intervenit, negatio hujus interventus, non magis excusat à peccato, quàm ignorantia vincibilis ipsius prohibitionis. Si invincibiliter non interveniat, jam solum erit licitum sequi sententiam probabilem sub ignorantia invincibili prohibitionis: quod ipsi quidem dicunt, uti nos dicimus; sed hoc non est sententiam præcisè probabilem excusare à peccato, quod dicunt, & ideò plus volunt. Deindè explicari non potest, quomodò non interveniat; quondoquidem quæstio de qua disputamus, hôc modô formari debeat: *an liceat*, *ob rationem vel authoritatem probabilem*, quod liceat, *operari id*, *quod est prohibitum & illicitum secundum se*, *vel sub alia ratione*. Alioqui quæstio esset: *an liceat*, *ob rationem vel authoritatem probabilem*, quod liceat, *operari indifferens*, *aut secundum se*, *vel sub alia ratione bonum*: de qua nullus umquam movit dubium, & ad quam omnes indubitanter affirmativè respondent. Ac proindè, cum inter ista non detur medium, quæstio, istô solô sensu primô, formanda est, & explicari debet, quomodò, istô sensu formatâ quæstione, istud alterum judicium vel advertentia, de qua ante, sufficiens ad voluntarium interpretativum, non interveniat, quod negamus posse sufficienter explicari.

258 Nec obstat D. Fagnanus, *locô sæpè citatô num.* 135. dicens *non posse intellectum physicè & naturaliter loquendo*, *utramque partem contradictionis opinari*, *neque ex principiis intrinsecis rationum*, *neque ex principiis extrinsecis authoritatum*. Item num. 139. *Si motiva intellectum moventia persuadent*, *aliquid esse verum*, *non potest intellectus existimare*, *seu opinari*, *illud esse falsum*, *ut inquit S. Thomas* quodlib. 8. art. 3. *naturaliter impossibile est*, *ut intellectus simul opinetur utramque* &c. Non obstat inquam: quia non loquitur, uti nos, de duobus judiciis, sive opinionibus, quarum una sit reformans, altera reformata: sed quibus æqualiter simul & semel in praxi adhæreatur, quas de eodem præcisè esse incompossibiles. *nu.* 242. concessimus: talem autem esse D. Fagnani mentem patet ex iis, quæ interjicit *ibidem* num. 138. *Fateor quidem intellectum posse successivis temporibus nunc adhærere uni opinioni*, *& paulò post*, *relictâ illâ*, *adhærere oppositæ* &c. Verum *ut simul & semel idem intellectus opinetur*, *& in praxi sequatur duas contrarias opiniones æquè probabiles*, *non tantum moraliter*, *sed etiam naturaliter & physicè est impossibile*, *ut ex dictis constat*.

259 Probatur Minor quartò. In dubiis de peccato suspendi debet operatio, quamdiu judicium practicum de operando non est rectum, saltem ubi non est necesse operari: sed duo illa judicia opposita non possunt simul esse recta: ergo operatio sub illis suspendi debet. Major est apud omnes certa: quia alioqui operans spontè exponeret se peccandi periculo, sive sequen-

di judicium non rectum & malum in dubiis de peccato, quod ubi non est necesse operari ob urgentius præceptum, semper est malum & peccatum. Probatur Minor: quia certitudinem suam accipiunt à conformitate cũ lege Deo naturali vel positiva, ut *Theol. to. 4. disp. 2. dub. 5. Reso. 2.* vidimus: atqui hęc non continet duo de eodem, *quod sit licitum, quod non sit licitum*, judicia opposita; ergo &c. Dicere autem: quod quidem illa absolutè considerata non contineat, sed benè relativè considerata ad rationem vel authoritatem unam, quâ à nobis judicatur esse licitum, & ad alteram, quâ judicatur à nobis esse illicitum: est illam nostræ rationi & authoritati subjicere, & de absoluta facere illam à cæcitatibus nostris dependentem; quod perabsurdum est, & locô citato satis impugnatum: Deindè Deus, qui est prima veritas in sua lege & ideis continere non potest duo opposita judicia de objectis contradictoriè oppositis, quorum judiciorum alterutrum necessariò sit falsum: ergo &c.

260 Probatur Minor quintò. In materia peccaminosa, sive dubia & suspecta de peccato (prout, omnium sententiâ, ob dicta *num.* 257. *in solutione* Replicæ *contra* 3. *probat. minoris*, est materia præsentis quæstionis) ubi judicium practicum vel judicia practica sunt apparenter vera tantum, suspendi debet operatio, si non sit necesse operari: atqui ista judicia sunt tantum apparenter vera, imò alterutrum est demonstrativè falsum, ob dicta *in 2. probat. minoris*, nec est necesse operari, ut supponimus: ergo &c. Probatur major: quia alioqui esset voluntariè exposita peccandi periculo, & hôc sensu illicita ac peccatum, ut satis patet ex *probat.* 1. Dicere autem, quod cæci nati simus, & quod proindè multorum non possimus habere judicia plusquam apparenter vera: distingui debet; & de judiciis apparenter physicè veris admitti, de apparenter moraliter veris negari: quia *supposito* 7. & *corollario adjecto*, satis clarè ostensum est, nos, non obstante cæcitate, in qua nati sumus, posse habere, & debere quærere judicia moraliter certa, antequam in tali materia operemur; alioqui apta non sunt nostræ cæcitatis dubia & scrupulos rescindere, prout adversarii suâ sententiâ de licita probabilis opinionis sequela rescindere præsumunt, sed inextricabiliter intricare dumtaxat, ut toto hôc dubiô præmissa efficaciter probant.

261 Probatur Resolutio tertiò. Quia alioqui non apparet, cur in casibus *supposito* 4. allatis non liceat sententiam probabilem sequi, nisi quia ille prudenter non agit, qui ex conscientia probabili sive non certa, saltem moraliter, agit, ut patet ex *supposito* 5. & ex D. Fagnano efficacissimè à *num.* 197. ad *num.* 208. Nam si dicatur id contingere; quia alioqui se, vel alium, damni periculo exponeret: quæro, cur hoc non liceat, uti prudenter agere, cum per adversarios sententiam probabilem sequi, sit prudenter agere: ergo &c.

262 Confirmatur primò ex S. Augustino relato *cap. si quis de pœnit. dist.* 7. *Tene certum, dimitte incertum.* Super quo solidissimè ac sapientissimè jam sæpè citatus D. Prosper Fagnanus in *Cap. ne innitaris num.* 98. Ubi sic

263 *Pro majori dilucidatione veritatis, ante omnia supponendum est, illud principium tanquàm certum, & infallibile: videlicet in*

actibus

actibus humanis, ad hoc, ut quis rectè, & cum virtute operetur, requiritur, ut habeat certitudinem saltem moralem de rectitudine, & honestate operationis, secundum illud Augustini: Tene certum, dimitte incertum, *ut in c.* Si quis autem; *in fin.* de pœnit. dist. 7. *Idque apud omnes est in confesso. Sed defensores Probabilitatum enixè contendunt in moralibus sufficere certitudinem ex probabilibus, idque potissimum deducunt ex Aristotele supracit.* in 1. Ethic. c. 3. *Et ex hoc fundamento apud eos solido, & inconcusso deducunt omnes suas conclusiones, videlicet, qui in actibus humanis eligit, quod est probabile, non agit temerè, sed prudenter: eligit perfectum, ac tutum: non committit se discrimini: sequitur dictamen rationis, & alia plura id genus. Quarè vis totæ præsentis disputationis versatur in intelligentia asserti principii, quod in moralibus sufficiat certitudo ex probabilibus; nam eversô hôc fundamentô totam hanc machinam probabilitatum corruere necesse est. Et quidem nos credimus in eo magnam latere fallaciam, seu æquivocationem.*

264 *Quod, ut pro nostri ingenii tenuitate, quantum Deus dederit, dilucidè ostendamus, accuratè observandum proponimus: aliud esse in moralibus, sufficere certitudinem ex probabilibus: & aliud in moralibus, sufficere certitudinem probabilem. Hæc enim duo differunt ut causa & effectus. Nam primum denotat causam, per quam certitudo moralis in nobis generatur, & in esse producitur: secundum verò denotat effectum, id est ipsam moralem certitudinem in nobis jam generatam, & in esse productam. Itaq; cum dicimus, in moralibus sufficit certitudo, quæ oritur, & generatur in intellectu ex argumentis & rationibus probabilibus, propositio vera est; quia plures rationes probabiles sunt aptæ natæ producere, ac generare in potentia rationabili, moralem certitudinem de honestate operationis absque ulla formidine partis oppositæ; si rationes illæ sint tanti ponderis, ut efficaciter moveant intellectum ad judicandum, rem ità se habere, ut probatur in c.* Ego solis, *vers.* Alios autem, 9. dist. *Et hæc est illa certitudo surgens ex probabilibus, quæ in morali materia sufficit, ad rectè operandum. Cum verò dicimus, in moralibus sufficit certitudo ex probabilibus; si intelligamus, id est, in moralibus sufficit certitudo probabilis; propositio est falsa: quia ista certitudo probabilis non datur; imò implicat contradictionem, ut sit certitudo, & sit probabilis; quia certitudo est præcisa determinatio intellectus ad unum, ut in superioribus dictum est. Probabilitas autem indeterminatè, & indifferenter se habet ad rectum, & obliquum. Unde judicium probabile non est judicium prudentiæ, cum non habeat pro objecto verum, & sub ratione veri: sed est judicium obnoxium formidini, timidum, & incertum, atque indeterminatum, fluctuans, & instabile, quod non intuetur veritatem interius, nec cognoscit rem secundum quod est, sed secundum veri apparentiam; & ideò fallit, & fallitur, & à ratione virtutis excluditur, non habens bonitatem moralem, ut ex authoritatibus tantorum Patrum & Magistrorum primæ classis diffusè ostensum est supra.*

265 *Quapropter tantum abest, ut in moralibus sufficiat certitudo probabilis, ut potius opponantur, ac mutuò se destruant certitudo, & probabilitas. Nec aliud sensit Aristoteles ex adverso citatus* in 1. Ethic. c. 3. *Si sedulò expendantur illius verba; ait enim.* [In morali materia satis esse, ut verum ostendatur pingui quadam Minerva, & adumbrata figuratione, atque de iis, quæ plerumque eveniunt ratiocinari, & ex iis similia

etiam

etiam concludere.] *Quibus verbis tantum intendit, ut in materia morum non requirantur probationes per rei evidentiam, seu demonstrationem, sed satis sit verum ostendere per conjecturas probabiles, arguendo etiam à communiter accidentibus, & à similibus. Quod & nos fatemur. Verumtamen oportet secundum Aristotelem ut his conjecturis, & argumentis probabilibus ostendatur verum, & sic non sufficit, ut ostendatur probabile, quod longè distat, & contradistinguitur à vero, ut pluribus monstratum est supra in* 1. *fundamento,* num. 60. *Quarè si tu probabilibus tuis ratiocinationibus ostendis opinionem probabilem, non satisfacis menti Aristotelis requirentis, ut ostendas verum; quia locò veri, quod est objectum virtutum intellectualium, & est immutabile, æternum & infallibile, atque excludens omnem formidinem, ut ex dictis constat; tu ostendis opinionem probabilem, quæ à ratione virtutis excluditur, & est fallibilis, & cum formidine.*

266 *Unde perperam ex eo loco deducunt defensores probabilitatum, in moralibus ad rectè & prudenter operandum, sufficere opinionem probabilem, hoc enim nunquam somniavit Aristoteles, quin potius opinionem exclusit, & contradistinxit à prudentia & aliis virtutibus intellectualibus, ea ratione, quia in opinione fieri potest ut mentiamur. Quocirca ex mente ipsius in morali materia uti possumus rationibus, & argumentis probabilibus, tanquam mediis & instrumentis ad ostendendum verum, & tanquam causis generantibus in nobis moralem certitudinem. Sed tamen illud verum ostensum, & certitudo ex probabilibus consurgens, debet esse sine omni, formidine partis alterius, cum veritas & certitudo formidinem non admittant; ideoq; non sufficit in sententia Aristotelis judicium probabile, quod se habet ad verum, & falsum, & de cujus ratione intrinseca est, ut formidinem & fluctuationem includat. Similiter cum S. Antoninus, & alii ex adverso citati* num. 51. *dicunt moralem certitudinem consurgere ex conjecturis probabilibus, grossis, & figurantibus: Hæc verba non important, ut in moralibus sufficiat certitudo probabilis; sed tantum, ut in moralibus sufficiat illa certitudo, quæ consurgit, id est nascitur, seu generatur ex hujusmodi probabilibus conjecturis & argumentis. Et eòdem modò, dum leges & Canones decidunt quæstiones, & causas ex argumentis probabilibus, non intendunt, ut sufficiat judicium probabile ad judicandum, & decidendum; sed tantum ut ex probabilibus rationibus, simul junctis, possit Judex ità illuminatus formare judicium certum & infallibile de rei veritate; quia nimirum, etsi argumenta hujusmodi, seorsim considerata, non concludant omninò, nec sint evidentia, sed tantum probabilia: tamen si simul jungantur, & sint multi ponderis, sunt apta nata generare talem certitudinem, ut virtus apprehensiva cognoscat, & apprehendat absque ulla trepidatione rem ità se habere: atque ità causæ sunt probabiles, sed effectus ex illis resultans est omninò certus, & infallibilis. Et hoc innuit textus in c.* judicantem, 30. q. 5. *In illis verbis.* [Ut ibi actio ambarum partium illuminata sit plenior.] *Itaq; si rationes probabiles sint plures, & tanti ponderis, atque momenti, ut illis intellectus sine ulla formidine acquiescat, & judicet rem ità se habere: hæc est moralis certitudo, quæ sufficit ad rectè operandum. Si verò rationes illæ sint quidem plures, & probabiles; sed tamen non adeò firmæ, & efficaces, ut adæquent omninò intellectum; sed tantum persuadeant, adeò ut intellectus eis non assentiatur simpliciter, & absolutè, sed tantum cum formidine & fluctuatione, ne pars*

opposita sit vera; hæc est opinio probabilis, quæ non sufficit ad bonitatem moralem, ut solidis fundamentis, & authoritatibus majorum nostrorum in superioribus monstratum est.

267 Ex quibus manifeste colligitur D. Fagnanum, uti nos, ad certitudinem moralem, non plus requirere, quam ut principiis probabilibus, ac per consequens opinioni, accedat judicium ex parte sua invincibile de veritate, honestate excludens omnem formidinem &c. sic ut ex parte sua invincibiliter erret, si erret: & meritò; quia in non revelatis & inevidentibus judicium ex parte objecti de veritate & honestate &c. sic ut ex parte objecti invincibiliter veritatem, honestatem &c. apprehendat, hoc naturæ peccato corruptæ & excæcatæ moraliter impossibile est, ut ipse satisagnoscit num. 429. *Nulla ignorantia invincibilis est peccatum, ut inquit S. Thomas* 1. 2. *q.* 76. *art.* 2. *in corpore.* Et nu. 109. *Cum* quis *examinatis accuratè motivis utriusque partis, agnoscit rationes suasibiles, & authoritates moventes stare pro illa tantum opinione, que affirmat actum esse licitum; contrariam verò esse rationibus & authoritatibus destitutam. Admittimus licere opinionem illam sequi, quamvis opposita sit tutior. Ratio est: tum quia opinio illa propriè non debet dici probabilis, sed magis opinio vera, de qua loquitur Philosophus* in 2. *de anima*, text. 152. *Non enim potest esse cum formidine ne pars opposita vera sit, cum intellectus cognoscat oppositam esse destitutam rationibus, & authoritatibus; & ideò illi non convenit diffinitio opinionis, quæ est acceptio unius partis cum formidine alterius, ut per D. Bonaventuram* in 3. sent. dist. 24. q. 24. *vers.* item opinio, ante num. 33. *Tum quia cum in moralibus non requiratur certitudo evidens, seu Mathematica, imò vitiosum sit illam quærere, teste Philosopho in* 1. Ethic. c. 3. *& plenius dictum est* sup. num. 50. & 51. *Is, qui determinat se ad unum sine ulla formidine contrarii, utique moralem habet certitudinem requisitam ad rectè operandū, ut per D. Thom. in* 3. sent. dist. 23. q. 2. art. 2. q. 3. *Tum quia alioqui nihil agere possemus, & Deus requireret à nobis impossibilia: etenim omninò impossibile est omnium esse demonstrationem, ut legitur in* 4. Metaph. c. 2. post princ. *Tum quia cum ex duabus opinionibus de eodem oporteat unam esse veram, alteram falsam, ut per D. Thomam* quodlib. 8. art. 13. *Is, qui judicat unam partem esse falsam, eò quod non habeat pro se ullas rationes suasibiles, vel authoritates alicujus momenti; in necessariam consequentiam judicat esse veram illius contradictoriam. Tum denique, quia si licitum est sequi opinionem probabiliorem, cujus opposita est probabilis, ut patebit infrà in* 3. quæst. principali, *multò fortius licitum est sequi probabile, cujus opposita est improbabilis: nam respectu improbabilis opinio probabilis dici potest probabilior. Clem. un.* §. fin. *vers.* Opinionem secundam, de Sum. Trinit. & fide Cathol. *c.* Cappellanus, *vers.* Sed posterior sententia de feriis, *cum concordantibus, de quibus infra* nu. 270. *vers.* Decimumnonum fundamentum. *Et hoc primo casu, qui sequitur opinionem specificantem actum pro licito, non est imprudens, nec exponit se discrimini, neque ex contrarietate opinionum in aliquam dubitationem adducitur; sed est certus moraliter, & sine omni formidine. Unde non intrant doctrinæ S. Thomæ, Scoti & aliorum, quos superius citavimus pro opinione negativa; nec vendicant sibi locum rationes in ea ponderatæ. Et quamvis opinio opposita sit tutior, tamen non tenetur aliquis eam sequi, quandò est falsa, seu improbabilis, imò si eam sequeretur, esset ridiculus tanquam*

vir modici judicii, & trepidans, ubi non est timor. Unde idem S. Antoninus in 1. part. tit. 3. c. 10. *curans scrupulosos, ait non obligare ità Dei, & Ecclesiæ præcepta, ut eorum abservantia quis fiat ridiculosus, saltem apud discretos, & bonos. Et S. Ambrosius in* Ps. 118. [Non sit ergo (*inquit*) irrationabilis timor, nec est sapientia sine timore Dei, ità timor sine sapientia esse non debet.] *Huc etiam spectat illud Ecclesiast.* 7. Noli esse justus multum. *Et in terminis hujus primi casus non reperi quemquam contradictorem ex antiquis, aut modernis scriptoribus.* Item num. 111. *Judicium certum moraliter nullam habet formidinem de falso, unde si errat hoc est omninò per accidens & præter intentionem.*

268 Nec refert, quod D. Fagnanus ibi expressam mentionem non faciat judicii invincibilis, quod nos, supra opinionem probabilem præcisè, requirimus; quia omninò illud supponit, aiens, *Non enim potest esse cum formidine, ne pars opposita vera sit, cum intellectus cognoscat,* id est, judicet, *oppositam esse destitutam rationibus & authoritatibus, & ideò illi non convenit diffinitio opinionis, quæ est acceptio unius partis cum formidine alterius* &c.

269 Pergit D. Fagnanus ibidem. *Quare non est bona consequentia. Certitudo moralis consurgit, id est nascitur, & generatur in nobis, ex probabilibus: ergo probabilia sunt moraliter certa. Quia in primo casu consideratur illud totum, & aggregatum perfectum quod resultat, & emergit ex pluribus singularibus imperfectis. In secundo autem casu considerantur ipsa singularia per se imperfecta, & insufficientia. Quò fit, ut si aliqua propositio haberet pro se unam tantum rationem, seu præsumptionem non convincentem, sed solum probabilem, propositio illa non esset moraliter certa; quia esset cum formidine partis oppositæ: secus verò si ratio, seu præsumptio illa esset convincens; quia etsi non haberet evidentiam demonstrationis, tamen sufficeret ad generandam moralem certitudinem, ut est textus in c.* Afferte, de præsumpt. *ubi proponitur judicium Salomonis, qui ex præsumptione violenta pronunciavit pro matre, dicens:* Date huic infantem vivum, & non occidatur, hæc est enim mater ejus. *Unde judicium Salomonis non fuit probabile, sed omninò certum; non quidem certitudine mathematica, sed morali. Ideoq; Jo. Andr. & cæteri Canonistæ post eum sic summant illum textum, videlicet ex violenta præsumptione fertur definitiva, concordat textus in c.* litteris, eod. tit. *ibi:* ex hujusmodi violenta, & certa suspicione fornicationis potest sententia divortii promulgari. *Surgit igitur certitudo moralis ex unica præsumptione violenta, vel ex pluribus rationibus, & argumentis probabilibus simul junctis, quæ tamen seorsim considerata non sunt certa, sed solum probabilia, & cum formidine partis oppositæ. Et hæc est ipsa veritas: nam & in judiciis plures probationes imperfectæ simul junguntur ad faciendam plenam, & perfectam probationem secundum illud vulgatum,* Et quæ non prosunt singula, multa juvant. *l.* 2. §. *Ætas,* & ibi *glos. in ver.* legitimis, *ff.* de excus. tutor. *l.* instrumenta, *ubi etiam glos. in ver.* Aliis quoque, *C.* de probat. *glos. in C.* Cum causam, *in ver.* Adminicula, *eod. tit.* de testib. *Et duæ probationes semiplenæ etiam diversi generis similiter junguntur ad faciendam unam plenam probationem, ut notat Bart. in l.* Admonendi, *num.* 48. vers. *Veritas est, quod duæ semiplenæ faciunt unam plenam,* ff. de jurejur. *Unde unus testis, qui facit semiplenam, & confessio facta absente parte, quæ facit aliam semiplenam, simul juncta*

cta plenè probant. Casus est in C. Cum dilectus, de success. ab intest. & notat Bart. ubi supra. Item unius testis, & fama publica eô casu, quæ faceret semiplenam, ut in c. 1. de Appellat. & notatur in l. 3. §. iisdem quoque principiis ff. de testib. & per Bart. loc. cit. Et idem patet in fama, & scriptura privata recognita per comparationem, quæ tanquam singula non faciunt nisi semiplenam, & tamen conjuncta faciunt unam plenam, ut per Alex. cons. 103. Insuper eo, num. 5. vers. tertiò præsuppono, lib. 7. & in aliis pluribus exemplis, quæ cumulat Antonius Gabriel commun. conclus. 1. per tot. plena enim probatio conficitur ex diversis probationibus imperfectis, cum tendunt ad eundem finem: nam junguntur scripturæ plures, testis, fama, confessio, & alia adminicula ad unum perfectum, ut notat Bald. cons. 397. Punctus talis, num. 2. vers. Prædictæ consultationi, lib. 3. Sed & ex pluribus præsumptionibus tendentibus ad idem consurgit plena probatio, l. Excipiuntur, ff. Ad Sillan. cum concordantibus, ut per Ludovic. Roman. cons. 7. Visis necessariis, n. 3. & Cravet. cons. 158. n. 11. Quinimò plena probatio resultat etiam ex pluribus adminiculis, quandò unũ alteri adminiculatur, Socin. cons. 98. col. 6. lib. 1. Et quod ex pluribus vehementibus adminiculis Judex reddatur certus, ità ut possit causam decidere. Est textus de d. c. Cum dilectus, de success. ab intest. Nam ut formaliter ait Bald. in d. c. Cum causam, n. 1. & 2. de probat. Judex inquisitor veritatis debet cuncta rimari, nec adstringere animum suum ad unam speciem probationis; quia una speciès coadjuvat alteram, & confirmat, ut l. 3. §. 1. ff. de testib. Sicut in corpore humano ex membris multis sibi invicem cohærentibus fit perfectum corpus, ut l. Rerum mixtura, ff. de usucap. & in melodiis ex multis consonantiis constat harmonia. Unde in probationibus surgit certitudo ex diversis cõjecturis; quia cedunt ad eandem conclusionem finalem, & habent causas, & similitudines, & consonantias contextas, & invicem colligatas, l. Qui sententiam, C. de pœnit. in illis verbis, conspirantes, concordantesque in unum rei finem tendunt.

270 Quamobrem: sicut in judiciis plures probationes semiplenæ, & imperfectæ præsumptiones, & adminicula disjunctim considerata, & tanquam singula plenam probationem non faciunt, neque ex illis judex informat cum certitudine animum suum, sed dubius remanet; nam ut ait Bald. in l. in bonæ fidei, n. 15. C. de reb. cred. dubius est qui applicat animum suum ad semiplenam probationem: & tamen ex illis simul junctis consurgit plena probatio, & certitudo judicialis, sufficiens ad causam sine ulla trepidatione decidendam juxta textum in d. c. Cũ dilectus. Ità & in moralibus plures conjecturæ, & argumenta probabilia, quamvis per se singula non generent in nobis assensum omninò certum, sed solum cum formidine contrarii: tamen ex omnibus simul junctis consurgit certitudo moralis, quæ licèt non sit demonstrativa, nihilominus excedit limites probabilitatis, & est extra omnem formidinem. Et hoc sensu verissima est propositio, quod in moralibus sufficiat certitudo ex probabilibus, id est, certitudo illa, quæ resultat. generatur, & in esse producitur ex pluribus conjecturis imperfectis, & argumentis probabilibus, quæ per se sola; & tamquàm singula non sunt moraliter certa, nec sufficiunt ad honestè operandum. Atque hanc sententiam ex recentioribus amplectitur Antonius Merenda in suo opere de consilio, ubi innumeris ferè sacræ Scripturæ locis juxta SS. Patrum interpretationem accurato studio impugnat, & prorsùs damnat, usum probabilitatum eô modô, quô admittitur à modernis, & concordant Carena de

offic.

offic.Sanct.inquis.par.2.tit.5.§.4. & *Julius Mercorus in* tractatu *post scripta nostra impresso* de Probabilitate opinionum p.1. *ubi facili, & clara methodo eruditè, ac strenuè pro eadem sententia pugnat.* His itaque præmissis

271 Confirmatur secundò: ex aliis rationibus præcipuis D. Fagnani *in cap. ne innitaris.*

272 Primò n.70. *Ad hoc ut quis rectè, & prudenter operetur, necessariò requiritur, ut habeat certitudinem saltem moralem de rectitudine, & honestate operationis. c.* Si quis positus, & *c.* Si quis autem, *in fin.* de pœnit. dist.7. *c.* juvenis *vers.* in his, de sponsal. *Medina* in 1.2. q.19. art.5. *Suarez* de actib. human. disp.2. sect.2. *Salas* in 1.2. tract.8. sect.4. *Lessius* de just. & jur. c.1. *Et est communis sententia; imò nonnulli existimant esse de fide propter illud ad Rom.*4. Omne, quod non est ex fide, peccatum est. *Ubi Glossa dicit: Fides nostra vult, ut homo agat hoc, quod benè intelligit esse agendum, & peccatum est, quod aliter fit, quàm probatum est. Ad idem cap.* Quoniam omne, de præscript. & §. Ex his, 28 q.1. *S.Thom. in præalleg.* loco Apostoli, & quodlib.8.art.13. *Sed qui utitur opinione probabili, nō habet hanc moralē certitudinē. Ergo nō agit rectè, & prudēter.*

273 *Minor probatur: quia opinio incerta est, cum se habeat ad verum & falsum: nam, ut inquit Aristoteles sæpius allegatus* in 1. Magnor. moral. cap.33. *Existimatio est qua in omnibus ferimur ancipites ea ne ità, an secus.*

274 Secundò ibidem. *Quia dictamen rectæ rationis debet conformari legi æternæ tanquam primæ regulæ. S.Thom.* in 1.2.q.19 art.6. *Sed dictamen cum formidine morali repugnat conformari legi æternæ, quia hæc est immutabilis,* dist.5. in princ. & dist.6. §. His itaque. *Judicium verò opinativum in suo conceptu formali est variabile, & fallibile, habetq; defectibilitatem moralem; quia ità creditur verum, ut etiam moraliter possit esse falsum, ut in superioribus monstratum est. Ergo dictamen opinativum moralem certitudinem non habet, & consequenter non est per se conforme rectæ rationi.*

275 Tertiò n.72. *In actibus humanis judicium, quod est incertum, non potest habere moralem certitudinem: sed judicium probabile propter formidinem, quam intrinsecus habet infixam, est incertum: ergo moralem certitudinem habere non potest. Major patet, quia repugnat in humanis actibus aliquid* (non illatum simul ex diversis motivis certis & incertis, ob præmissa à nobis *n.*239. & *seq.* in solutione objectionis contra primam probat. Minoris) *esse simul certum, & incertum. c.* Si quis autem, in extremis verbis, *de pœnit.* dist.7. & *d.* §. Ex præmissis, 30. q.5. *sicut repugnat, ut quis* (puta per actum non illatum, ut supra explicatum est.) *simul sit securus & timidus, tutus & formidans, stabilis & fluctuans. Hæc enim sunt opposita, quæ se mutuò destruunt l.* ubi repugnantia, *ff.* de regul. jur. & *ibi declarat Cagnol.* n.2. *Decian.* cons.49.n.11.lib.3. & *patet ex Philos.* in 4. Metaphys. c.6. *circa med.*

276 *Minor est Nicolai de Lyra, in oppositum mutilatè relati in secundo argumento contrario* sub n.51. *nam postquam dixit probabilem rationem non facere ut intellectus assentiatur uni parti simpliciter, sed cum formidine alterius, immediatè subjungit.* [Et hoc est, quod dicit: cogitationes enim mortalium sunt timidæ, quia sunt obnoxiæ formidini, & per consequens sunt incertæ providentiæ nostræ, nisi dirigantur donô Sapientiæ divinæ.] *Hæc ille. Pondera illa verba,* & per consequens, *quæ clarè demonstrant judicium probabile ex eo, quod sit obnoxium formidini, in necessariam consequentiam esse timidum & incertum, & sic non habere moralem certitudinem requisitam ad ho-*

neſtè operandum. Hinc rectè Breſſerius de conſcientia *lib. 3. c. 5. n. 64.* [Omnis opinio (*inquit*) etiam probabilis eſt incerta, quatenus incertum eſt abſolutè, quod opinamur.] *Quinimò opinionem probabilem definiunt aliqui ex modernis eſſe illam, quæ ex rationabili motivo procedit citra certitudinem; ut noviſſimè Honoratus Fabri* de opin. prob. *pag.* 11.

277 Quartò n. 73. *Qui facit actum probabiliter illicitum, diſcrimini ſe cōmittit, & mortaliter peccat, ut eſt text. in c.* inquiſitioni, de ſent. excom. *Ubi eſt expreſſum, mortaliter peccare eum, qui facit actum illicitum ex conſcientia credulitatis probabilis. Et probatur à fortiori in c.* Ad audientiam. *In c.* Significaſti il. 2. *& in c.* Petitio, de homicidio. *Sed qui facit actū probabiliter licitum, facit actum probabiliter illicitum, cum probabilitas ſe habeat indifferenter ad utrumq; extremum, ut* in 6. Ethic. c. 3. & 5. *& in* 1. Magnor. moral. c. 33. *& in* 1. Poſter. text. 44. *ubi probabile, ſeu opinabile diffinitur eſſe illud, quod ità creditur eſſe, quod tamen aliter ſe habere poteſt. Ergo qui facit actum probabiliter licitum, committit ſe diſcrimini, & mortaliter peccat. Quo argumento utitur in effectu Card. Cajet. ut patebit infrà in* 21. fundamento *n.* 88. Vide infra *n.* 279.

278 Quintò n. 74. *Si Dominus adminiſtrationem, & diſpenſationem bonorum ſuorum cōmitteret ſervo, qui ex imprudentia, vel infidelitate ſolitus eſſet falli, & fallere: utiq; ab omnibus judicaretur imprudens, ejuſq; fatuitati imputaretur, ſi ſervus ſubſtantiam diſſiparet. Et idem eſſet in ægroto, ſi pro cura ſui corporis uteretur opera medici imperiti, & infidelis: & in navigante, ſi navis regimen committeret nautæ, qui ex imperitia rei nauticæ, vel dolo malo ſolitus eſſet falli, & alios fallere, & quandoq; mentiendo navigantes in interitum perducere: Ergo multò magis judicandus eſt imprudens Chriſtianus, qui pro directione, & regula conſcientiæ ſuæ utitur medio opinionis probabilis, quam mentiri, & fallere ſæpè contingit, & falli, ut legitur in ſæpius allegato cap.* à nobis, il. 2. de ſent. excom. *& in* 6. Ethic. d. c. 3. in princ. *cum anima corpori, ac rebus omnibus ſit præponenda, c.* Sedulo, 38. diſt. *& l.* Sācimus, *c.* de ſacroſ. Eccl.

279 Sextò ex n. 88. *Probatur ex Cardinali Cajet.* in opuſc. tom. 1. tract. ult. reſp. 13. dub. ult. *ubi hæc ſcribit:* [Si applicatio ad opus fluctuat circa rectum, vel obliquum, mors ſcrupulus eſt conſcientiæ, contra quem illicitè agitur, & obliquitas mortalis incurritur.] *& infrà:* [Hinc enim fit, ut vacillatio cōſcientiæ in applicatione deformem reddat actionem, quoniam fit applicatio modô, quô non debet, debet enim potentia rationabilis determinari ad unum, ſi rectè exire debet in actum: alioquin diſcrimini exponitur utriuſq; oppoſiti, ſi fluctuante illa quis utitur. Fluctuans enim quantum ſapit fluctuationis, tantum ſapit indeterminationis, ac per hoc indebiti modi operādi.] *Hæc Cajetanus. Sed potentia rationabilis, quæ in applicatione ad opus utitur opinione probabili, utiq; fluctuat, & vacillat circa rectum, vel obliquum, cum probabilitas ſit cum formidine & indifferenter ſe habeat ad utrumq; extremum. Nam, ut inquit Ariſtoteles* alias citatus *in* 1. *Magnorum moral. c.* 33. Exiſtimatio, ſeu opinio eſt, quâ in omnibus ferimur ancipites ea ne ità, an ſecùs. *Et ubi eſt opinio, ibi eſt vacillatio, ut inquit S. Bonaventura ſupracit.* n. 63. *Ergo formido illa, ſeu ſcrupulus eſt mors cōſcientiæ, & qui cum tali indeterminatione operatur, ſecundū Cajetanū exponit ſe diſcrimini, & indebitò modô operatur, ideoq; deformitatē mortalē incurrit.*

280 Septimò ex n. 90. *Probatur ex eodem Cajetano* in Sum. *in ver.* Opinionis uſus, ad fin. *ubi diſertis verbis aſſerit judicium practicum*

ad operandū debere esse certum, ità ut omnem contrariæ partis formidinem excludat, etiamsi secundū propriam opinionem quis operetur. Idq́ probat efficaciter hoc argumento. Quandò potentia rationabilis solum practicè probabiliter judicat aliquid esse licitum, judicat etiam probabiliter aliquid esse illicitum: at judicans probabiliter aliquid illicitum esse, & id faciens, peccat, utpotè qui peccandi periculo se exponit. Ergo &c. *Et cū Cajet. concordant Jacobus Almaynus* tract. moral. c. 14. *Summa Armillæ* in ver. *Opinio*, n. 2. *Navar. in c.* Si quis autē, n. 58. *& seqq.* de pœn. dist. 7.

281 Octavò ex n. 91. 92. 93. 94. 95. & 96. *Quia opinio probabilis essentialiter, & inseparabiliter habet annexam formidinem, ut admittunt Authores contrariæ sententiæ, & probatur* in 1. Magnor. moral. c. 33. *&* 5. *Ethic.* c. 3. in princ. *In sæpius citato c.* A nobis, il. 2. de sent. excom. *In l.* fin. *Cod.* de just. & subst. *& patet ex illius diffinitione, quam communiter tradunt Philisophi. Opinio enim dicitur assensus intellectus pro una parte contradictionis non omninò firmus, & certus, sed cum formidine alterius, ut per D. Antoninum* in 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10. *Sylvest.* in ver. *Opinio.* in princ. *Sotus* in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. *vers.* Tunc ergo. *Navar. in c.* Si quis autem, n. 11. *& ante eos D. Bonaventura* in 3. sent. dist. 24. q. 24. *vers.* item opinio, *ante n.* 33. Opinio (*inquit*) est acceptio unius partis cum formidine alterius, & ubi est opinio, ibi est vacillatio. *Et secundum Legistas in l.* Admonendi, *ff.* de jurejur. *Opinio est credulitas cum aliqua levi dubitatione, & tenet medium inter suspicionem & perfectam probationem, ut ibi per Bart.* n. 21. & 22. *Alioquin exclusâ formidine non esset opinio probabilis, sed veritas, & certitudo, seu opinio vera, ut patet* in 2. de Anima text. 152. *Nec esset secundus gradus probationis, ut dicunt Legistæ, sed esset perfecta credulitas, seu perfecta probatio secundum Bart.* ubi supra n. 23. *Itaq́ quisquis habet opinionem, necessariò habet formidinem; quia cui convenit diffinitio, convenit & diffinitum, l.* 2. §. Dolum. *ff.* de dolo, *& notant omnes in l.* Omnis diffinitio, *ff.* de regul. jur. *Quod cum ità sit, inquiro quid sit formido illa, quæ intrinsecè inest opinioni? Aristoteles paulò supra citatus* in 1. Magnor. moral. cap. 33. Existimatio (*inquit*) seu opinio est, quâ in omnibus ferimur ancipites ea ne ità, an secùs. *Quarè secundum eum formido, quæ inest opinioni, est passio, quæ nos facit ancipites, id est, ambiguos & titubantes, an res ità se habeat, nec ne, juxta text.* in l. fin. *c.* de condit. indeb. *Unde in effectu talis formido nihil est aliud, quàm dubium positivum, & formale, aut saltem suspicio quædam, seu scrupulus, & levis credulitas, ne pars opposita sit vera ut explicant Theologi, & patebit infrà* n. 261. *Hæc enim sunt synonyma, & idem importantia: & suspicio illa, seu formido tenet medium inter dubitationem, & opinionem; plus enim credulitatis habet, quàm dubitatio, & minus, quàm opinio, cū sit credulitas ex levibus cōjecturis, ut inquit Sylvester in* verb. Opinio, in princ. *& notat Bart. in d. l.* Admonendi n. 21.

282 Num. 95. *His positis probatur hæc sententia inevitabili hoc argumento. Quisquis habet suspicionem, formidinem, scrupulum, seu levem credulitatem, quod aliqua actio sit illicita, non potest manente tali formidine absque peccato operari, & actionem illam ad praxim deducere. Sed qui habet opinionem probabilem affirmantem actum esse licitū, necessariò habet suspicionem, formidinem & scrupulum, seu levē credulitatē de opposito, id est, quòd ille actus sit illicitus, ut evidenter ostensum est supra, & admittitur ab adversariis. Ergo qui habet talem opinionē probabilē, nō potest secundū eā licitè operari, & actū illū ad praxim deducere absq́ peccato.*

283 *Ma-*

283 Major propoſitio probatur per textum rotundũ, qui cavillari non poteſt, in c. Per tuas, i l. 2. de ſimon. ubi deciditur eſſe peccatum mortale operari contra conſcientiam ſcrupuloſam, ſeu ex credulitate levi, niſi prius formido, ſeu error deponatur, ut pleniùs explicabitur infrà in 2. q. in 6. principali fundamento pro opinione negativa n. 249. & tradunt Innoc. Jo. Andr. & alii ibi allegati. Ecce igitur ibi textus expreſſus, quod agens contra conſcientiam ſcrupuloſam, & cum formidine mortaliter peccat: hoc enim important illa verba, ædificat ad gehennam, ut notat Abbas in c. litteras, de reſtit. ſpoliat.

284 Ad idem eſt textus apertus in c. Inquiſitioni, de ſent. excom. ubi proponitur dubium, An conjux, qui habet conſcientiam de impedimento dirimente, poſſit reddere, & exigere debitum conjugale. Et diſtinguitur. An talis habet hujuſmodi conſcientiam ex credulitate probabili, & diſcreta: an verò ex credulitate levi & temeraria. Et in hoc ultimo caſu textus dicit: Ad Paſtoris ſui conſilium (conſcientiâ levis, & temerariæ credulitatis exploſâ) licitè poterit, non ſolum reddere, ſed exigere debitum conjugale. Pondera illud verbum exploſâ, quod clarè innuit, ut qui habet conſcientiam ex credulitate levi, ſeu formidine de nullitate matrimonii, propter impedimentũ dirimens, minimè poſſit abſq; peccato exigere debitum conjugale, niſi priùs formidinem illã, ſeu levem credulitatẽ explodat, id eſt, deponat, ſeu abjiciat, & repellat, ut ibi per gloſ.

285 Et ratio deciſionis eſt: quia ſecundum Cajetanum ſupracitatum n. 88. qui formidat, vacillat, & fluctuat: & qui fluctuat, ad neutram partem ſe determinat: Qui autem ſine hac determinatione operatur, certitudinem non habet de honeſtate ſuæ operationis, cum certitudo nihil ſit aliud, quam determinatio intellectus ad unum, ut per D. Thom. ubi ſup. n. 52. & ſine hac certitudine exponit ſe diſcrimini, & levis illa credulitas, ſeu ſcrupulus eſt mors conſcientiæ. Patet igitur apertiſſimè peccare eum, qui operatur cum ſuſpicione, ſeu formidine, quod actus ſit illicitus, & conſequenter eòdem modò peccare eum, qui operatur ſecundum opinionem probabilem, affirmantem actum eſſe licitum, cum neceſſariò habeat formidinem de oppoſito, id eſt, quod actus ille ſit illicitus, ut ſuprà proximè oſtenſum eſt.

286 Quibus omnibus addi poſſunt ea, quæ ex eodem D. Fagnano, attulimus ſupra à n. 195. ad n. 208. Et à n. 246. ad n. 255. Uti & à nobis præmiſſa de horologiis, & ſententiæ probabilis mutatione à n. 96. ad n. 136. addidimus. Quare ſit

SOLUTIO OBJECTIONUM.

287 OBjicies primò. Ille prudenter & rationabiliter ſe gerit, qui operando id ſequitur, quod eſt verè probabile: alioqui ſi ſolum moraliter certum facere deberet, ſententiam probabiliorem, *quod res eſſet bona*, relictâ minus probabili, ſequi non poſſet, ubi probabile eſſet, quod res foret mala. Atqui hoc eſt contra omnes Theologos. Imò nequidem liceret ſequi ſententiam probabilem, *quod res eſſet licita*, nullâ poſitâ ratione de eo, quod eſſet illicita. Atqui hoc etiam eſt contra omnes Theologos: ergo &c.

288 Reſpondeo diſtinguendo aſſumptum: ille prudenter & rationabiliter ſe gerit, qui operando id ſequitur, quod eſt verè probabile, & ſimul etiam certum, certitudine ſaltem morali, quod peccatum non ſit, concedo aſſumptum: quod eſt verè probabile præciſè, nego aſſumptum; quia (præterquam quod hoc efficaciter retorqueatur

in casus *supposito* 5. & ex D. Fagnano *n.* 201. oppositis) sequi, quod est verè probabile præcisè, est sequi id, quod fortè Deo displicet, fortè est peccatum &c. Unde hôc sensu opinionem probabilem sequi, est ignorantiam pravæ dispositionis sequi, ut rectè probat D. Sinnichius *Saulis Exregis cap.* 97. & quærere ac resolvere, an & quòd opinio probabilis præcisè præstet opinanti securitatem benè operandi, est implicitè quærere ac resolvere, an & quòd probabilis ignorantia pravæ dispositionis præstet ignoranti securitatem benè operandi, quod est evidenter falsum. Unde P. Joannes Baptista Gonet *dissert. suæ Theol. de opinionum probabilitate*, incidit in sententiam, quam aggreditur, Adversariorum suorum, dum *Art.* 4. Ad Conf. object. 7. *Concedit eum, qui eligit, quod est probabile, prudenter agere, si tunc non occurrat aliud probabilius & verosimilius.* Siquidem per hoc concedit ibi in *probabili*, & consequenter alibi continuò in *probabiliori & verisimiliori*, licere sequi ignorantiam vincibilem & pravæ dispositionis, *si tunc non occurrat aliud probabilius & verosimilius:* quasi verò ille *tunc non occursus* moraliter omne erroris periculum removeat, & moraliter certificet, priusquam sit adhibita diligentia ad judicium de invincibili ignorantia erroris, si erretur necessaria, hocque judicium accesserit: quod maximè prætendunt Adversarii, & nostræ contra eos pugnæ intentissimus est scopus. Ac proindè dum ipse ab isto judicio ubique præscindit, non secus quàm P. Vincentius Baronius, dum ab ignorantia invincibili ubique præscindere voluit, totô suæ Dissertationis corpore in suorum Adversariorum foveam incidit. Vide præmissa ad *dub.* 6. *n.* 30. ad *n.* 48. contra Vincentium Baronium.

289 Adde: Regulam prudentiæ ex præmissis dictare in humanis actibus eligendum. *Primò:* invincibiliter apprehensum verum, bonum, &c. quale non est apprehensum probabile præcisè, cum indifferenter se habeat ad verum & falsum, bonum & malum. *Secundò:* apprehensum, perpetuò verum, certum & stabile, quale non est apprehensum probabile præcisè, cum apprehendatur, ut nunc instabile ac incertum, & fortè nunc falsum. *Tertiò:* nixum principio infallibili, quod operando non peccetur, qualis est ignorantia invincibilis de errore, si fortè subsit, secùs opinio probabilis præcisè, ut toties ostensum est. *Quartò:* cavendum peccati periculum, cui *probabile præcisè* exponitur. Unde doctissimè D. Fagnanus locô sæpè citato n. 111. *Igitur hæc propositio*, qui in actibus humanis eligit, quod probabile est, non agit temerè, sed prudenter, *est omninò falsa.* Attende prætereà ad ea, quæ totô hôc dubiô, non minùs profundè, quàm doctissimè opposuit. Ex quibus omnibus evidens videtur imprudenter & temerè confundi *probabile* cum *prudenti*; idque intolerabiliter manifestè & evidenter, in casibus *supposito* 5. & *n.* 178. allatis, ac similibus aliis facilè deducendis.

290 Ad duas autem sequelas illatas patebit, ex dicendis *Resol. seq.* Scio quidem id, *quod est verè probabiliter licitum*, à plerisque Theologis verti id, *quod secundum opinionem probabilem est licitum:* sed hæc sunt eadem, nec quidpiam est secundũ opinionem probabilem licitum, quod secundum opinionem probabilem non sit non licitũ, nisi per opinionem probabilẽ intelligatur opinio practicè moraliter certa. Distingue proportionaliter consequens, & vide oppositas rationes D. Fagnani in Conf. 1. & 2.

291 Instabis. Communis est omnium sententia, licere sequi opinionem minus probabilem, relictâ probabiliori: ergo ut licitè operemur, sive ad formandam conscientiam practicè certam, nulla requiritur certitudo moralis, quod hic & nunc operari non sit peccatum. Probatur consequentia: quia alioqui omnis opinio, quam liceret sequi, esset æquè certa, ac per consequens, frustra esset disputatio, an liceret sequi opinionem minus probabilem, relictâ probabiliore: ergo, &c.

292 Respondeo: negando consequentiam: & ad ejus probationem, distinguo sequelam; quia alioqui omnis opinio, quam liceret sequi, esset æquè certa, certitudine, quod illam sequendo non peccaremus, concedo sequelam: in se, nego sequelam; quia in se nullam habet certitudinem, opinionibusque consideratis in se, sive in suis motivis, quæ magis vel minus accedunt ad certitudinem, una opinio est probabilior alterâ, ut patet. Vide *Resol. sequentem*, &

293 Adverte tamen primò. Opinionem probabiliorem, non sumi à majori Authorum numero, sed à rationibus fortioribus, ut notant uterque Sanchez, Navarrus, Azor, & plures alii. Unde Justinianus *leg.* 1. *cap. de vet. jure enucl.* ait, *Sed neque ex multitudine Authorum, quod melius & æquius est, judicatote; cum possit unius forsan & deterioris sententia, & multos & majores aliquâ parte superare.* Cujus ratio est; quia Authores non per se, sed rationibus suis suæ sententiæ dant authoritatem: hoc tamen solum puto verum pro viris doctis, qui inter rationes & rationes discernunt; non ità pro indoctis, quibus probabilior videtur esse debere opinio illa, quæ longè à pluribus Doctoribus traditur; quia supponere debent horum plurium fundamenta pluribus viris doctis placuisse, & ideò verosimiliter solidiora esse. Pro quo

294 Adverte secundò. Spiritum sanctum, sive Scripturam sacram, Jus Canonicum & SS.Patres pro nostra *Resol.* citatos prævalere communi sententiæ, pro qua nihil istorum alicujus pensi ab Adversariis adfertur, aut adferri potest, sed nuda, eaque solum apparens & falsa ratio: habet quidem pro dogmate, *qui probabiliter incedit, tutò incedit.* Sed (præterquam quod jam multis argumentis efficaciter à nobis probatum sit, id æquivalere huic dogmati, *qui periculosè incedit, tutò incedit.* quod est evidenter falsum:) illud ut summum probabile esse potest, ac sic periculosum, ut contendimus; quod tantum abest, ut hominem de recta operatione certificet, quin potius in pravam trahat; quia scriptum est, *qui amat periculum, peribit in illo.* Deinde sit communis illa sententia: etiam peccatum, quod commune est, peccatum manet & sub nomine Procuratoris illam satis eludit Augustinus *Homil.* 11. dicens: *Ecce dat tibi securitatem Procurator, quid tibi prodest, si paterfamilias non acceptet?* Et Lactantius lib. 3. cap. 13. *Nullus hic temeritati locus est; in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit.* Denique in objectione falsum supponitur: quia nostra sententia est Augustini n. 262. citati. D. Thomæ *quodlib.* 8. *art.* 13. Antonini 3. *p. tit.* 3. *c.* 10. Cajet. & Armillæ verb. *Opinio.* Henrici *quodlib.* 4. *q.* 33. Scoti *in* 4. *distinct.* 1. *q.* 6. Peyrinis *tom.* 3. *c.* 1. *n.* 10. Navarri *Summ. cap.* 37. Mercori, Vincentii Baronii, Prosperi Fagnani in cap. *ne innitaris.* Ubi pro illa plusquam triginta Autho-

Authores refert, & aliorum. Unde oppoſita immeritò dicitur omnium communis, licèt inter Recentiores ipſa communior jam dici poſſit. Sed audi, obſecro, D. Fagnanum, ſapienter, ut ſolet *n.* 119. reſpondentem: *Reſpondetur doctrinam hanc de libera electione opinionis probabilis, eſſe novam in Eccleſia, & noſtrò ſæculò introductam, ut ſupra diximus* n. 23. *Nam veteres Scholaſtici oppoſitum docuerunt, tradentes Theoricas, quæ uſui probabilitatum omninò adverſantur, ut conſtat ex dictis ſup. in* 14. fundamento *cum pluribus ſequentibus. Quocircà non poſſumus doctrinam recentiorum Theologorum approbare, quin redarguamus, & improbemus doctrinam Antiquorum Sapientum, conſuetudine Eccleſiæ per tot ſæcula roboratam, qui contrarias regulas tradiderunt. Conſultius autem eſt à Modernis recedere, & Veteribus numero pluribus adhærere, ſecundum illud Job* 12. 13. In antiquis eſt Sapientia. *Et fusè patebit infrà* n.349. *Atque ità regula, quod à pluribus quæritur ſapientibus, facilius invenitur, & aliæ in argumento contrario adductæ in oppoſitum retorquentur, & ex his expedita ſit hæc prima quæſtio.*

295 Objicies ſecundò. Præterquam q... ...ntum obligemur ſequi opinionem, quæ ut vera proponitur: neque ſententia probabilior ſit ſemper vera aut verior, ſed interdum falſa: quiſque poteſt ſequi opinionem rectæ rationi conformem, & non apparentem à veritate alienam: Atqui opinio, etiam minus probabilis, præſente probabiliore, non eſt rectæ rationi difformis, aut apparens à veritate aliena: ergo, &c. Probatur minor (in qua ſola difficultas) ex definitione opinionis probabilis; quæ definitio, per opinionis probabilioris præſentiam, non tollitur: ergo, &c.

296 Confirmatur: quia, cum difficile ſit de majori vel minori ſententiarum probabilitate judicare, ſententia illa reddit omnes, etiam viros doctos, ſcrupulis & anxietatibus plenos: Ergo, &c.

297 Reſpondeo ad primam partem aſſumpti, ut ante diſtinguendo: obligamur ſequi opinionem propoſitam ut veram & ſimul nobis certam, certitudine ſaltem morali, quod ſequendo non peccetur, de qua *Suppoſito* 4. concedo aſſumptum pro prima parte: obligamur ſequi opinionem propoſitam ut veram præcisè, nego aſſumptum, ob rationem ſuprà datam. Secunda autem pars contra nos non militat; quia ſimiliter opinionem probabiliorem præcisè ſequi non poſſumus, ut præmiſſum eſt. Tertia pars denique ſupponit falſum, videlicet, quod opinio probabilior præcisè ſit rectæ rationi conformis: hoc enim eſt falſum, niſi certitudo moralis adſit; quia equidem abſque hac ſemper manet probabile, quod operando peccetur, quod nunquam eſt rectæ rationi conforme.

AD CONFIRMATIONEM VERÒ

298 Reſpondeo: ſupponi falſum, videlicet, quod putemus neceſſarium eſſe ſequi opinionem probabiliorem præcisè, relictà minus probabili, quod non putamus; ſed ſolum, ſive opinio ſit probabilis ſive probabilior, ad licitè operandum, adjectam eſſe debere certitudinem ſaltem moralem, quod operando non peccetur, de qua *Suppoſito* 4. & 7. ac D. Fagnanus *n.*209. citatus: & hæc (præterquam quod conſcientia ſit proxima regula morum Metaphyſicè certa, & in dubiis Judex ul-

 timatus,

timatus, Metaphyſicè certus, uti in Noctua oſtendimus à *num.*250. ad *num.*255.) ne alioqui Deus nos in peccandi periculis invincibilibus reliquerit: longeque faciliùs eſt invincibilem conſcientiam conſulere, quàm Doctorum fundamenta, & ſententiarum probabilitates, penetrare; imò idipſum magis à ſcrupulis & morſibus liberat, ut patet ex *Clem.* 5. *in Concilio Vien.* Ubi dicit, *Ad vitandos remorſus conſcientiæ pars ſecurior eſt tenenda.* Vide præmiſſa ex D. Fagnano *n.* 217. *&* 218.

299 Objicies tertiò. *Deus & lex non obligant nos ad impoſſibile.* c. *Erit autem lex,* 4. diſt. *l.* Titius, §. fin. *ff.* de excuſ. tutor. *l.* Quæ ſub conditione, §. Quoties, *ff.* de condit. inſtit. *cum* ſuis concordant. *Sed in moralibus non poſſumus eligere certo ſcita, ut oſtenſum eſt ſuprà n.*51. *Ergo ſatis eſt ut eligamus probabiliter opinata.*

300 Reſpondeo: ſatis patere ex præmiſſis *ſuppoſ.*7. *in Corol.* non magis eſſe ſupra humanam facultatem habere moralem certitudinem de omnibus eligibilibus, quàm ignorantiam invincibilem noſtri in eligendo erroris, ſive quàm ſic invincibiliter eligere verum, bonum &c. ut invincibiliter eligendo erremus, ſi erremus, quæ habetur omnem à noſtra electione vincibilem propellendo: talem autem ignorantiam eſſe in humana facultate poſitam, non eſt, qui neget.

301 Quamobrem ad iſtud argumentum efficaciſſimè D. Fagnanus locô ſæpè citatô n. 112. *Reſpondetur negando, eſſe ſupra humanam facultatem, habere moralem certitudinem de omnibus eligibilibus. Primùm enim hoc eſt contra divinam Scripturam, quæ Eccleſ.*32. *requirit, ut ante omnia opera verbum verax præcedat nos, & ante omnes actus conſilium ſtabile, ut fusè explicatum eſt ſuprà in* 1. *fundamento* n. 60. *Quarè ſi Deus non requirit à nobis impoſſibilia, ut dicitur in argumento contrario; & tamen requirit, ut ante omnia opera ad veritatem perveniamus, conſequens eſt, ut ad veritatem pervenire in actibus humanis nequaquam ſit impoſſibile, ſeu ſupra humanam facultatem. Atque ità argumentum Adverſariorum in oppoſitum retorquetur. Deindè hoc eſt contra Cyprianum in ſermone de Baptiſmo, ubi ait:* [Neque lex tua ſcripta à lege naturali in aliquo diſcrepat, ſed reprobatio mali & electio boni ſic animæ rationali infixæ ſunt divinitus, ut de hoc nemo rectè cauſetur; quia nulli ad harum rerum proſequutionem deeſt ſcientia, ſive potentia; quia & quod agendum eſt ſcimus, & quod ſcimus facere poſſumus.] *Hæc Cyprianus. Prætereà hoc eſt contra Scholaſticos primæ Claſſis, quos ſuprà retulimus in* 14. *& in ſequentibus fundamentis, qui unò ore affirmant, veritatem in omnibus quærendam eſſe, ac certum eſſe tenendum ad hoc, ut actus noſtri ſint recti, & habeant bonitatem moralem. Quibus addimus D. Thomam* in opuſc. 73. de Uſuris poſt princ. *ubi ſic ait:* [Quoniam verò in dubiis quorum veritas agnita ſalutaris [illegible] cognita periculum ingerit humanæ ſalutis, admodum utile eſt veritatem inveſtigare: & temporibus noſtris audivimus multas controverſias inter Doctores, non ſolùm in naturalibus, verumetiam in moralibus, in quibus periculum eſt diverſa ſentire, & opinari, & præcipuè in illa parte Juſtitiæ, quæ commutativa dicitur à Philoſophis.] *Hæc ibi. Rurſus hoc eſt contra Philoſophorum traditiones, ut quid enim diffinirent prudentiam eſſe habitum cum ratione vera circa bona humana activum, & illius objectum eſſe verum, ſi eſſet ſupra vires humanas verum attingere?*

gere? Quippe ad veritatem nati homines, & ut plurimum veritatem consequuntur, ut inquit Arist. lib. 1. Rethoricor. c. 1. *Faciat ergo unusquisque, quod in se est, ut verum assequatur, id est, utatur ratione, per quam potest comprehendere verum, & invocet adjutorium Dei prout hæc verba exponit Alex. de Ales* in 2. par. Sum. q. 29. n. 8. §. 1. *Demum imaginariam hanc impossibilitatem assequendi veritatem funditus evertunt aurea verba S. Thomæ* in princ. Opusc. 73. de Usuris, *quæ sic se habent.* [Omnis homo naturâ non degenerans veritatem amat, & eam scire super omnia desiderat, quam si quis concupiscit verò corde, & eam quæsiverit in simplicitate cordis, ipsa seipsam manifestabit: Et Deus, qui hoc promisit, verax est, & eam præbet diligentibus se, sicut scriptum est *Sap. 6.* Præoccupat eos, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Eccles. 1. *Fili concupiscens sapientiam accede ad illam, & Dominus præbebit illam tibi.* Invoco ipsam, ne me errare permittat in periculum animæ meæ, & in laqueum aliorum; sed illuminare dignetur oculos caliginosos ipsô suô lumine, sine quo nemo valet ad lumen veritatis usquequaque attingere. Amen.] *Hactenùs verba S. Thomæ. Confundantur ergo, & erubescant sequaces probabilitatum, qui asserunt esse supra facultatem humanam habere certitudinem de eligibilibus, & ad veritatem pervenire, & ideò Deum ad hoc non obligare, ne requirat à nobis impossibilia. Imò enim ex prædictis convincitur, id non modò esse possibile, sed etiam facile, ut plurimum contingens, & secundum naturam.*

302 Objicies quartò. Sequentia Willelmi Wendrokii in notis ad *Epist. 5. Provincialem* Montaltii. Argumenta, mutatis vocibus *opinionis probabilis* in *ignorantiæ invincibilis*, sive *judicii invincibilis* &c. totam vim suam contra istam resolutionem retinent. Nempè

303 Sect. 2. §. 3. n. 2. *Idem probari potest ex natura peccati, quod Augustinus & post illum D. Thomas, ac tota deinceps Theologorum cohors ità definivit,* factum, dictum, concupitum contra legem æternam: *ergo si qua opinio quamlibet probabilis* (ergo si qua ignorantia quamlibet invincibilis) *ab æterna lege dissideat, ut dissidet semper illa, quæ falsa est; qui eam sequitur, agit utique contra legem æternam, & sic propriè dictam peccati rationem suscipit.*

304 Num. 3. *Idem clarè etiam demonstrat natura virtutis & bonæ voluntatis, quam non aliud esse docet Augustinus, nisi æternæ legis, æternæ veritatis, æternæ justitiæ cognitionem & amorem.* Fit enim, *inquit ille lib. 2. de lib. arb. cap. 19.* homo justus, fortis, prudens, coaptando animum illis incommutabilibus regulis, luminibusque virtutum. *Et in Psal. 61.* Cum sis injustus, esse non potes justus, nisi convertendo te ad quandam justitiam (id est Deum) à qua si recedis, injustus es; ad quam si accedis, justus es. *Et clariùs adhuc serm. 44. de diversis, cap. 6.* Justitia præsto est justè viventi: secundum ejus regulam videt, quemadmodum justè vivat; & sicut justi benè vivendo eam vident, ità injusti malè vivendo eam non vident. Nam & ille justè vivit, cum eam videt ut secundum eam actus suos dirigat; quia nisi secundum justitiæ regulam direxerit actus suos, in errorem iniquitatis impingitur. *Dicant nunc probabilitatis Authores, an qui opinionem probabilem æternæ legi reipsâ contrariam sequitur* (dicant nunc ignorantiæ invincibilis Authores, an qui ignorantiam invincibilem æternæ legi reipsâ contrariam sequitur) *videat æternam justitiam, & ex ea actus suos dirigat: hoc si dicere non audeant, agnoscant*

igitur erroris sui damnationem in illustribus illis Augustini verbis: Nisi secundum justitiæ regulam direxerit actus suos, in errorem iniquitatis impingitur. *Quod idem ex doctrina S. Thomæ probari potest, qui* 1.2.q.19. *art*.4. *docet* bonitatem voluntatis pendere ex lege æterna. *Ex quo sequitur voluntatem cum æterna lege pugnantem, bonam non esse, ac proindè pravam esse.*

305 N.4. *Nec dissimile argumentum peti potest ex illis Scripturæ verbis.* Justus ex fide vivit: &: Omne quod non est ex fide; peccatum est. *Quibus significatur tunc demum justas ac vivas hominis actiones, cum lumine fidei diriguntur; malas esse, si non diriguntur. Alia enim vita rationis, alia fidei. Vitæ rationis prælucet ratio, vitæ fidei fides. Illam invenit Christus in mundo, hanc intulit Christus in mundū. Rationis propria probabilitas*(Rationis propria ignorantia invincibilis) *fidei constans ac certa veritas. Itaq; qui probabilitatem errantem ac falsam sequitur* (itaque qui invincibilem ignorantiam errantem ac falsam sequitur) *ratione fortasse vivit, quæ erat gentilium vita: fide non vivit, quæ Christianorum vita est. Ideò autem fide non vivit; quia* fides falsa, fides non est, *inquit Bernardus. Jam verò ex Apostolo:* Omne quod non est ex fide, peccatum est. *Quod de vera & Christiana fide dictum, & Bernardus locô citatô* [videlicet §.2. in fine, ubi sic habet: *Postremò ut pluribus locis huc congerendis supersedeam, præclarè Bernardus actiones ex falsa opinione, quamlibet probabili*(ex falsa ignorantia quamlibet invincibili) *profectas, vitiosis accenset, dum ad bonam actionem utrumque requiri docet,* charitatem in intentione, in electione veritatem; *quorum alterutrum si defuerit, vitiosam illam aliquatenus esse pronuntiat. Extat eximius hic locus lib. de præcept. & dispens. cap.*14. *qui probabilitates falsas funditus disjicit: sic autem habet:* Ut interior oculus verè sit simplex, duo illi esse arbitror necessaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem. Nam si bonū quidem diligat, sed verum non eligat; habet quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam: & nescio quemadmodum judiciô veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas. Volens denique ad veram discipulos instruerere simplicitatem magistra veritas: Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Præmisit ergo prudentiam, sine qua neminem satis esse posse simplicem sciret. Quomodò denique verè simplex erit oculus cum ignorantia veritatis? Aut verò vera potest dici simplicitas, quam simplex ignorat veritas? Scriptum est enim: ignorans ignorabitur. Patet ergo laudabilem illam & à Domino laudatam simplicitatem absque his duobus non esse bonis, benevolentiâ atque prudentiâ: ut oculus videlicet cordis non solum pius, qui fallere nolit; sed & cautus sit, qui falli non possit. *Et paulò post.* Sine malo quocumque non erit decepta simplicitas. Cur, inquis? Nunquid non ex fide? Prorsus ex fide, sed falsâ, vel potius non ex fide, quia fides falsa, fides non est. Denique de fide vera non falsa puto dixisse Apostolum: Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Non autem ex fide vera bonum creditur, quod malum est: est enim falsum: peccatum igitur est. Utrumque proindè complectitur præsens capitulum: Omne, quod non est ex fide, peccatum est &c. & cæcam videlicet malitiam, & deceptam innocentiam: quia quod à nesciente fit, & bonum prorsus condemnat intentio prava, & malum non penitus excusat recta. Sive itaque malum putes bonum, quod forte

fortè agis, ſive bonum, malum quod operaris, utrumque peccatum eſt; quia neutrum ex fide: licèt ſanè leviùs admodum peccetur, ubi ſanâ intentione ſola reprehenſibilis actio foris apparet, quàm ubi maligna latet etiam in bona actione intentio. Verum quod abſque vel minimo peccato non eſt, purum bonum minimè eſt. *Nihil huic loco addere neceſſe eſt: videtur enim Bernardus omnia iſtorum ſuffugia præcludere ſtuduiſſe.*] *Et ſexcenties Auguſtinus affirmat : aut ſi de conſcientia accipiatur, ut vult S. Thomas, certè de conſcientia intelligendum eſt, quam dirigit fides, ut idem ſignificat.*

306 N. 5. *De ſe dicit in Evangelio Chriſtus:* Ego ſum via, veritas, & vita. *Quibus verbis, ex conſentiente Traditionis ſenſu, ad vitam perveniri non poſſe demonſtrat, niſi per veritatem. Ergo ad vitam non ducit opinio probabilis* (ignorantia invincibilis) *quæ licere aſſerit, quod reverà coram Deo non licet.*

307 N. 6. *Porrò tam crebrò eandem ſententiam variis verbis Scriptura repetivit, ut nullam dubitandi cauſam relinquat. Cum Incarnationis conſilium, ac Evangelicum cultum Judaïco oppoſitum docet in Evangelio Chriſtus:* Venit hora, *inquit*, & nunc eſt, quandò veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. *Idem diſcipulis ſuis Spiritum veritatis pollicetur, ut quidquid ex falſo ortum ducet, ex Spiritu ſuo non oriri cognoſcant. At ne quis extiſtimaret falſitatis viam ad Deum ferre, clamat in Pſalmis Scriptura:* Omnes viæ tuæ veritas. *Unde ſcelerati & improbi à via veritatis erraſſe; contra boni* viam veritatis eligere, in veritate ambulare, veritatem facere *dicuntur.*

308 N. 7. *Bona opera in Scriptura dicuntur opera lucis; mala, opera tenebrarum. Lux autem illa, ipſa eſt veritas, ipſe Chriſtus, qui de ſe dicit :* Ego lux veni in mundum. *Quæro igitur an actio ex probabili opinione* (ex ignorantia invincibili) *æternæ contraria veritati facta, ſit opus lucis? Hoc ſi nemo dicere audeat, quid reſtat, niſi ut ſit opus tenebrarum?*

309 N. 8. *In ſupremo illo judicio hominum actus ex Evangelio judicandos Chriſtus denuntiat:* Sermo, quem locutus ſum vobis, ipſe vos judicabit in noviſſimo die: *ſic oſtendens non ad hominem ſermones aut opinationes* (aut ignoratias invincibiles) *ſed ad ipſam Dei legem, & ad ipſius veritatis ſermonem exigendam hominum vitam. Quî poterit igitur ipſâ judicante veritate hominem defendere probabilitas falſa* (ignorantia invincibilis falſa) *quæ veritatis ſermoni reperietur adverſa?*

310 N. 9. *Idem probari poteſt ex illo apud Theologos in Patrum doctrina non ignaros, certiſſimo principio: Ignorantiam juris naturalis à peccato non excuſare.* Si quis, *inquit Auguſtinus Epiſt.* 154. bonum: putaverit eſſe, quod malum eſt, hoc putando utique peccat. &: Ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, quandò quiſque benè fieri putat, quod malè fit. *Unde Gratianus* 1. q. 5. Ignorantia juris naturalis omnibus adultis damnabilis eſt?

311 N. 10. *Spondent Caſuiſtæ probabilem opinionem etiam falſam* (ignorantiam invincibilem etiam falſam) *ſequentibus, omnimodam ſecuritatem. Magnificum promiſſum; ſed quò majus eſt, eò ſtudioſiùs inquiri debet, quàm certum ac minimè vanum ſit. Nam ut nihil optatius verâ ſecuritate, ità nil falsâ pernicioſiùs. Quæro igitur ex Caſuiſtis hoc ipſum dogma, quò ſecurum aſſerunt, qui probabilem opinionem ſecutus eſt, tametſi divinæ legi contrariam* (qui invincibilem opinionem ſecutus eſt, tametſi divinæ legi contrariam) *an omninò certum ſit, an verò tantum probabiliter* (invincibiliter) *verum? Certum eſſe, ſi reſpondeant, pergam quærere undenam iſtam, ut ità loquar, certitudinem*

dinem

dinem repetant? An ex Scriptura? At multis Scripturæ locis impugnatur hoc dogma, nullô stabilitur. An ex Patribus? Qui possent hoc dicere Casuistæ, cum nullum umquam pro eo Patrum testimonium protulerint: cum manifestè à sancto Thoma hoc commentum explosum fuisse, anteà patuerit.

312 *Undenam igitur petitur ista securitas, si nec ex Scriptura, nec ex Patribus? Ad rationem confugient, infirmam semper in moribus securitatis magistram: sed hîc etiam, ut suprà demonstravimus, Jesuitis magistram*

313 *Multum eis sudandum erit, ut hanc opinionem ratione ad probabilitatem* (invincibilitatem) *usque perducant: verùm ut ultra promoveant, & certam efficiant, vel sperare, stultitia est. At si probabiliter* (invincibiliter) *tantum securi sunt, qui opinionem probabilem* (ignorantiam invincibilem) *sequuntur, potest hoc igitur esse falsum: & si falsum esse potest, prorsus periit & deleta est illa securitas, quâ mirificè lactatur humanum ingenium. Temerarium enim & stultum foret, illi opinioni* (illi ignorantiæ invincibili) *confidere, quæ potest esse falsa: imò verò fieri nequit, ut cum illo judicio firmam quis in animo securitatem concipiat. Prorsus igitur evanuit illa securitas, cum eam non solùm error manifestus, sed etiam erroris metus penitus tollat.*

314 Sect. 3. verò §. 1. *Si probabilis opinio falsa* (si ignorantia invincibilis falsa) *ad benè agendum sufficeret, quid est, cur Sancti tam ardentibus votis veritatis cognitionem à Deo petunt? Quantò meliùs probabilitates* (ignorantias invincibiles) *peterent, quæ nec veritate minùs securæ essent, & ferè semper ad exequendum faciliores? Prorsus igitur, si Casuistas audiamus, immutandæ sunt Christianæ preces; nec jam cum Davide sic orandum est:* Veritatem tuam doce me: &, Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: *sed istis potius ad probabilitatis* (ignorantiæ invincibilis) *doctrinam compositis precibus utendum:* probabilitatem (*ignorantiam invincibilem*) tuam doce me: Deduc me Domine in via tua & ingrediar in probabilitate (ignorantiâ invincibili) tua. *Prorsus autem insaniebat Augustinus, cum sic Deum orabat:* Interfice in me quidquid est contrarium veritati. *Quàm multas enim falsas probabilitates* (ignorantias invincibiles) *& bonas actiones ex illis profectas interfici poscebat, imprudens & incogitans, si nova Casuistarum prudentia, prudentia est?*

315 *Minus dixi, cum non optandum dixi ex Probabilistarum* (invincibiliter ignorantionistarum) *doctrinâ veritatem: etiam fugienda ac deprædicanda est. Cognitæ enim veritatis ex istis nullus alius est usus, nisi ut oppositum non liceat, cum eâ latente & falsis probabilitatibus* (falsis ignorantiis invincibilibus) *obscuratâ, utrumque ex æquo licitum sit. Quis autem velit sine fructu sibi salutis iter angustius fieri? Ex quo intelligi licet, quantum in ea doctrina veneni sit, quæ veritatis cognitionem, non jam utilem, sed perniciosam facit: ac proindè in cordibus hominum veritatis amorem prorsus extinguit, ut eos fallacibus hominum opinationibus* (ignorantiis invincibilibus) *agglutinet.*

316 Sect. 4. §. 2. *Interim illud admoneo, tametsi bonis viris semper aut certa, aut probabilior ac tutior opinio sequenda sit: tametsi in sola veritate vera sit securitas, adeóq; nec probabilis, nec probabilior* (nec ignorantia invincibilis, nec invincibilior, si erretur) *secura dici possit, nisi sit vera: tamen ut sollicita sit illorum vita, anxiam nihilominus & scrupulis inquietam non esse: quod unum opponunt Jesuitæ* (invincibiliter ignorantionistæ) *ut id probent, necesse*

necesse non esse veram opinionem (veram invincibilem ignorantiam) *sequi*; *satis esse si probabilem* (ignorantiam invincibilem)*imò minus probabilem sequamur.*

317 Et post pauca. *In iis, in quibus vir pius ambiget & hærebit, habet tamen quâ ratione componere possit æstus suos. Illud enim didicit ex Jacobo:* Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. *Convertet se igitur ad Patrem luminum lucem illius precibus eliciet, consulet viros doctos & pios: deindè omnibus circumspectis, nec veritate tamen penitus intellectâ, quod probabilius & tutius videbitur, id aget. Hoc si diligenter præstiterit, & omni ope veritatem invenire studuerit, quietus esse poterit, securus tamen non poterit. Maneat enim oportet in hac vita sollicitudo quædam ac tremor, ut illud impleatur Apostoli præceptum:* Cum timore & tremore vestram salutem operamini.

318 *Sic affectus erat sanctus Job, cum verebatur omnia opera sua: sic affectus* Paulus, *cum nihil se sibi conscium diceret, non tamen in hoc justificatum esse: talis erat Augustini animus, cum in multis liquidam veritatem non cernens, sollicitudinem suam Paulino suo his verbis explicat Ep.*250. Quis vendicandi modus, non solum pro qualitate vel quantitate culparum, verumetiam pro quibusdam viribus animorum; quàm profundum & latebrosum est? Ego in his quotidie peccare me fateor, & ignorare quandò, quôve modô custodiam id, quod scriptum est: peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant.... Qui in his omnibus timor, mi Pauline sancte homo Dei; quis tremor, quę tenebræ? Nónne putamus de his esse dictũ: Timor & tremor venerunt super me, & cõtexerunt me tenebræ? *Pium illum tremorem, qui detrahit Sanctis, magnam detrahit humilitatis ac vigilantiæ, imò felicitatis suæ partem: ut enim in luctu, in paupertate beatitudinem locavit Christus: Sic etiam in sancto illo timore sapiens quandam hujus vitæ felicitatem constituit:* Beatus homo, *inquit*, qui semper est pavidus. *Non tamen hic timor hujusmodi est, ut quietem ac pacem secum non admittat. Quod qui rescit, prorsus ignorat* illam Dei pacem, quæ exsuperat omnem sensum, *& in ipsis timoribus* Sanctorum corda intelligentiasque custodit.

Pro clariori istorum argumentorum solutione

319 Suppono primò: nos hic ignorantiam invincibilem accipere formaliter & physicè pro judicio, quô quis ex ignorantia invincibili, in aliquo peccato, habitualiter saltem perseverante, non voluntaria, invincibiliter judicamus nos ignorare invincibiliter veritatem non esse in eo, quod sequimur, aut agimus, ideoque ità certificante opinionem, ut sequendo, invincibiliter erretur, si erretur, sive ità excludere ab opinione ista formidinem actualem de opposito, ut moraliter certò judicetur verum esse, quod sequimur, aut agimus; nec aliter unquam ignorantiam invincibilem accipimus, dum docemus illam excusare à peccato. Illud autem judicium potest dividi in verum & falsum: sic ut illud dicatur verum, quod ex ista ignorantia judicatur invincibiliter esse, quod reipsâ est: falsum verò, quod ex eadem ignorantia judicatur invincibiliter esse, quod reipsâ non est: ignorantia autem invincibilis vera illud judicium, falsa hoc.

320 Suppono secundò Willelmum Wendrockium locô citatô *n.*317. ex *sect.*4. §.2. sub ignorantia invincibili agnoscere

conscientiæ *quietem*, sed negare conscientiæ *securitatem*, ut patet ex his verbis: *Convertet se igitur ad Patrem luminum, lucem illius precibus eliciet, consulet viros doctos & pios: deindè omnibus circumspectis, nec veritate tamen penitus intellectâ, quod probabilius & tutius videbitur, id aget. Hoc si diligenter præstiterit, & omni ope veritatem invenire studuerit, quietus esse poterit, securus tamen non poterit. Maneat enim oportet in hac vita sollicitudo quædam ac tremor, ut illud impleatur Apostoli præceptum:* Cum timore & tremore vestram salutem operamini. *Et* infrà: *Quamobrem, ut paucis omnia complectar, in sincera veritatis inquisitione quies; in sola veritate securitas est. Atque adeò qui partem illam amplectitur; quam minus probabilem & minus tutam, id est, falsitati quàm veritati, peccato quàm virtuti viciniorem judicat is αὐτοκατάκριτος, ut ait Apostolus, ac conscientiâ judice damnatus est: qui autem id, quod verius, quod tutius judicat, id sequitur; is quietus & nihil sibi conscius, sed non in hoc justificatus est. Verâ securitate is unus fruitur, qui certam veritatem, & secutus, & assecutus est; quod quia in omnibus nemo de se debet confidere, hinc semper cuivis suppetit, unde Deo dicat:* Ignorantias meas ne memineris: &, Ab occultis meis munda me Domine. Sed non explicat quid per *conscientiæ quietem*, quid per *conscientiæ securitatem* intelligat. Vel enim vult, quod aliquis jam in gratia sanctificante existens, ex ignorantia invincibili, sive postquam omnia observavit, quę ibi requirit, transgrediens legē naturæ, aut positivam, per se graviter obligantem, amittat suâ transgressione gratiam sanctificantem, vel non? Si prius, turpiter errat, ut vidimus *dub.* 3. *resol.* 1. videturque apertè contradicere iis, quæ dixit, *quietus esse poterit*. Item *qui autem id, quod verius, quod tutius judicat, id sequitur; is quietus, & nihil sibi conscius.* Nisi velit amittentem gratiam sanctificantem, Deique amicitiam per peccatum mortale, *quietum & nihil sibi conscium esse posse.* quod esset error priore turpior. Si posterius, manifestè docet ignorantiam invincibilem tam juris naturæ, quàm positivi excusare à peccato mortali existentem in gratia sanctificante, ac sic nihil evincunt omnia ipsius argumenta contra nos allata. Ne tamen velit illud prius,

321 Respondeo primò: ad id, quod habet *sect.* 2. §. 3. *n.* 2. nihil contra datam ignorantiam invincibilem evinci: quia sub ista definitione peccati S. Augustinus, S. Thomas & omnes Orthodoxi semper intellexere *voluntarium*; nihil autem *voluntarium* quà invincibiliter ignoratum, *quin præcognitum* &c. alioqui definitionis peccati esset hic sensus, *peccatum est factum, dictum vel concupitum etiam invincibiliter ignoratum contra Dei legem æternam etiam invincibiliter ignoratam*, quod Orthodoxum non est; neque ullius, quod sciam, Orthodoxi: unde ignorantia invincibilis, licèt sit reipsâ falsa, semper excusat à peccato, distincto à perseverante, in quo fuit actualiter, & adhuc est habitualiter voluntaria, ut toties supra probavimus; alioqui certè Deus nobis impossibilia, prout scire, quæ invincibiliter inculpabiliter ignoramus, præciperet, quod esse damnatum patet ex dictis *dub.* 3. *n.* 17. & *Trid.* sess. 6. can. 18. *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia. Anathema sit.*

322 Respondeo secundò: ad id, quod habet *ibid. n.* 3. etiam nihil contra dictam ignorantiam invincibilem evincere: quia hæc supponit ab ipso hâc laborante factum totum,

totum, quod facere debet, ad cognoscendum veram regulam, veram justitiam &c. quam si equidem in suo opere non cognoverit, absque culpa tamen invincibiliter ignoravit, & opus suum direxit secundum regulam & justitiam invincibiliter judicatam veram; quod sufficit ut excusetur à peccato, distincto à perseverante, in quo &c. licèt non sufficiat ad hoc, ut opus illud sit meritorium, quibus plus non intendunt SS. Patres, aut docent Orthodoxi, & in isto sensu dixit Apostolus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.*

323 Respondeo tertiò: ad id quod habet *ibid. n.* 4. Ibi per *peccatum* intelligi *non meritorium*, per oppositionem ad *meritoriū*, quô *justus ex fide vivit*: nam istius Scripturæ est hic sensus, *justus ex fide meritoriè vivit*, & *omne, quod non est ex fide non est meritorium.* Hôcq; sensu est intelligendus Bernardus: nam per *veram simplicitatem* intelligit meritoriam & Deo gratam, ut patet ex primis verbis, *ut interior oculus verè sit simplex, duo illi esse arbitror necessaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem*: quæ duo quidem ad meritum ità requiruntur, ut alioqui sit non meritum, & hôc sensu peccatum, etiam materiale, si materialiter contra aliquam legem. Sed nec S. Bernardus, nec SS. Patrum alius, ista duo requirit ad hoc, ut opus non meritorium, & hôc sensu peccatum, etiam materiale, si materialiter contra aliquam legem, sit peccatum formale, quod Dei inimicos & iræ filios constituit, distinctum ab antiquis remissis, imò etiam non remissis, attentâ condemnatione Pontificiâ hujus propositionis, *omnia opera infidelium sunt* (puta allatô sensu) *peccata*, & aliarum (de quibus *dub.* 3. *n.* 10.) contra Michaëlem Bajum. Adde & hunc Apostoli posse esse sensum: *Omne, quod non est ex fide Theologica, sed ex infidelitate, peccatum est, indistinctum ab originali, aut personali, habitualiter perseverante, in quo infidelitas ista fuit actualiter, & adhuc est habitualiter voluntaria.* Nam hôc sensu Augustinus, alii Patres, & Doctores, post Apostolum loquuntur, ut vidimus *dub.* 3. *resol.* 1. Communiùs tamen Theologi in hoc Scripturæ loco, *omne quod non est ex fide, peccatum est*, per *fidem* intelligunt conscientiam moraliter certam, sive judicium invincibile de veritate seu honestate operis, sic ut invincibiliter & materialiter dumtaxat erret, si erret, & omne in materia periculosa, quod non est ex hoc judicio, sed vincibili dumtaxat, sit formale peccatum, quod constanter docemus. Unde etiam ibi nihil contra nos, qui ad fidem sive conscientiam reipsâ veram accedendum, quantum moraliter fieri potest, sustinemus.

324 Respondeo quartò: ad id, quod habet *ibid. num.* 5. 6. 7. 8. & 9. Ex illis solum concludi, nullius opus esse vitæ æternæ meritorium, si per ignorantiam invincibilem falsam, sive judicium invincibile falsum, & non per Christum & veram fidem, sit directum. Augustinum verò exposuimus suprà *dub.* 3. *n.* 18. & *à n.* 29. *ad* 77. quô sensu Gratianus docet, ignorantiam juris naturalis esse damnabilem damnatione peccati habitualiter perseverantis, in quo fuit actualiter & adhuc est habitualiter voluntaria; alioqui incideret in errorem, de quo *dub.* 3. *resol.* 1. *n.* 17.

325 Respondeo quintò: ad id, quod habet *ibid. n.* 10. Nos spondere quidem ignorantiam etiam falsam pro judicio invincibiliter falso, de quo *Suppos. primo*, sequentibus omnimodam securitatem quoad ex-

cusationem à peccato, distincto à perseverante, in quo fuit actualiter, & adhuc est habitualiter voluntaria; idque tanquam certissimum ex Scriptura, Pontificum decretis, SS. Patribus & evidentissimis rationibus, uti dub. 2. vidimus. Sed non quoad opera meritoria, & salutem æternam positivè consequendam, ut patet ex dictis in *Resp. ad* 4. *n.*323.

326 Respondeo sextò: ad ea, quæ habet *sect.*3. §.1. Nos nunquam dicere, ignorantiam invincibilem ad benè, sive meritoriè, agendum sufficere; sed solum ad agendum absque peccato, distincto &c. ut statim vidimus. Sancti autem, ardentibus votis, cognitionem ad meritoriè agendum à Deo petunt; non verò tantum ut ab isto peccato excusentur, cum hæc excusatio per se nihil meritoriè conferat ad salutem: unde non melius, sed imprudenter valdè, *per illas ignorantias invincibiles* à Deo peterent; ac propter illas non sunt immutandæ preces Christianæ, sed semper cum Davide orandum, *Veritatem tuam doce me.* Et cum Augustino sapientissimè addendum, *Interfice in me quidquid est contrarium veritati*, respectivè ad opera meritoria & salutem æternam.

327 Respondeo septimò: ad ea, quæ habet *sect.*4. §.2. In sola veritate vera esse securitatem quoad opera meritoria & salutem æternam; non verò quoad excusationem à peccato, distincto &c. uti jam aliquoties responsum est; quia ad hanc sufficit ignorantia infallibilis falsa pro judicio invincibili falso, sensu *Suppos.* 1. datô. Unde, hâc excusatione non obstante, tenet præceptum Apostoli, *Cum timore & tremore vestram salutem operamini.* Et S. Job meritò *verebatur omnia sua opera*, ne non essent meritoria & ad salutem æternam consequendum sufficientia; ac propter illam excusationem clamabat Apostolus, *nihil mihi conscius sum*, addens propter bonorum operum necessitatem, *sed non in hoc justificatus sum.* Vide dicta *n.*215.

RESOLUTIO X.

328 Dico decimò. Nullus in materia morali periculosa tenetur in operando sententiam Metaphysicè tutiorem, hôc sensu, quod hæc minus negari deberet esse tuta, quam altera, si tutarum altera per impossibile negari deberet esse tuta, sequi; sed sufficit moraliter certam sequi, juxta explicationem *Resol.*2.*n.*84. datam; nisi fortè actio prohibita, si juxta sententiam probabilem, & moraliter certam, exerceatur, Reipublicæ notabile damnum inferat; quia si aliquandò tutiorem, sensu datô, sequi oporteat, maximè tunc.

329 Probatur. Quia nullus tenetur ad melius seu perfectius, non solum in exercitio virtutum, sed etiam in remotione peccati, ad quod teneri ex opposito sequeretur: sed solum ad prudenter operandum, sive tutò & perfectè removendum peccatum, & bonum amplectendum: atqui non solum tutiùs & perfectiùs removetur peccatum, sed etiam tutò & perfectè; nec solum melius & tutius est bonum, ut patet. Ità ferè D. Fagnanus locô sæpè citatô num. 393. *Quamvis enim opera bona, quæ non sunt in præcepto, facere sit tutius; tamen qui non facit, non peccat, ut in ingressu Religionis, in quo exemplificat Sylvest. in* ver. *Scrupulus*. n. 3. *& in his terminis loquuntur* c. *Aliud* 11. q. 1. *& alia jura in contrarium allegata*: *ideoq; Apostolus* 1. ad Cor. 7. 38. *dicit*: Qui matrimonio

jungit

jungit virginem suam, benè facit, & qui non jungit, melius facit. *Et tamen inquit :* de virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. *Et mox subdit :* Si autem acceperis uxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccavit. *Ergo propterea quis non arctatur ad electionem melioris boni, id est, virginitatis; quia in electione minoris boni, id est, matrimonii, non committitur peccatum. At secus est, ubi in electione unius partis vertitur peccati periculum; quia tunc tutiorem partem eligere non in consilio, sed in præcepto est, ut latè in superioribus probatum est, & declarat idem, & Sylvester in* ver. *Dubium,* q. 2. n. 4. *Prætereà, quamvis non teneamur semper sequi perfectius, ac tutius; semper tamen sequi tenemur perfectum, ac tutum, c.* Si quis positus, *& c.* Si quis autem, de pœnit. dist. 7. *At cum sequimur opinionem minus probabilem, affirmantem actum esse licitum, nec perfectum sequimur, nec tutum, ut suprà proximè dictum est.* Ergo, &c.

330 Confirmatur. Quia oppositum, non solum nusquam in præcepto est, & moraliter impossibile; sed insuper facit pejorem possidentis conditionem, quàm non possidentis, contra lumen naturæ: ergo &c. Probatur sequela assumpti : quia si probabiliter dubitem, quod matrimonium meum prius bonâ fide contractum v.g. non valeat, non potero debitum petere aut reddere; si opiner esse vigiliam, non potero carnes comedere; licet in his omnibus de opposito habeam opinionem æquè probabilem : imò sequitur, nos in omnibus debere sequi rigorosissimas Doctorum, asserentium nos teneri, sententias, in jejuniis v.g. horis, confessionibus, contractibus, &c. quia opiniones illæ, utpotè à peccandi periculo, sensu datô, remotiores, sunt tutiores: atqui hæc sunt contra communem omnium prudentum apprehensionem; ergo &c.

331 Objicies tamen : est regula Juris, *in dubiis tutiorem partem esse eligendam*, quæ exemplis: cap. *ad audientiam:* cap. *Significasti:* cap. *Petitio tua, de homicidio.* Et cap. *Juvenis, de sponsalibus*, confirmatur: Ergo &c.

332 Confirmatur : quia id sequi videtur ex præmissis *Resol.* 2. Ergo, &c.

333 Respondeo : in usu istiusmodi regulæ Juris, attendi debere, an in Jure Canonico casus aliqui non assignentur, quos infra *n.* 281. assignabimus, in quibus Pontifex expressè vult, *quod tutius est* (sensu *Resol.* 11. & 12. dando) *sequi*, prout in Juribus citatis : alioqui regula ista intelligi debet. 1. de dubiis circa actionem, quæ, si exerceatur, infert Reipublicæ notabile damnum, præter communem agendi modum prudentum. 2. sic ut ly *tutius, pars tutior*, &c. semper sumatur, prout opponitur probabili præcisè, ad sensum *Resol.* 6. datum, ut scilicet sit sensus, *in morum dubiis probabilibus, sequi oportet, certum moraliter*, relictô probabili præcisè; alioqui, ut *Resol.* 7. *num.* 208. vidimus, non datur tutius tuto : Unde hæc non debent, sumi comparativè, quasi verò non liceat tutam sequi, sed adversativè, prout ly *melius* Danielis 13. Ubi Susanna impudicos senes sic affatur : *melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* & 1. ad Cor. 7. *melius est nubere, quàm uri.* Non quod *peccare* vel *uri* sit bonum, sed quod hoc sit malum, illud bonum.

Ad confirmationem verò

334 Respondeo: negando assumptum; quia ex premissis *Resol.* 2. imò & 3. solum

solum sequitur; quod debeamus sequi certum moraliter, quod operando non peccemus, cujus tamen oppositum, plerumque est melius & perfectius, ut patet ex exemplis statim *num.* 329. præmissis, ac proindè tutius ad sensum Resolutionis dumtaxat.

COMPENDIUM

Resol. 6. 7. 8. 9. & 10. *ex Sapientissimo Domino D. Fagnano* in Cap. ne innitaris. *num.* 420.

335 A*D extremum, ut omnia in superioribus quæstionibus enucleata in compendium redigantur: si quæris, an in omni materia tibi sequi liceat quamcumque opinionem probabilem: distingue. Aut quæstio est de his, quæ ad fidem, aut mores non pertinent: & in his liberum est tibi amplecti, quam malueris opinionem, etiam minus probabilem, secundum ea, quæ dicta sunt supra* num. 15. *Aut est quæstio de his, quæ spectant ad fidem, aut mores: & tunc subdistingue. Nam, aut agitur de articulis ab Ecclesia diffinitis; & consule regulam fidei, & sequere decreta* Patrum*: alioquin si adhæreas opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, aut contra id, quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ authoritatem, non poteris ab erroris vitio excusari, ut constat ex dictis* nu. 19. cum duobus sequentibus. *Aut articuli non sunt diffiniti ab Ecclesia, & tunc, ut scias omni cum securitate conscientiæ ad praxim deducere: attende diligenter, cum tibi occurrit aliqua controversia, aut à te consilium petitur in materia ad mores pertinente: si vis periculum evadere, hæc observa.* Primum: *invoca divinum auxilium, nè te errare permittat secundum id, quod docuit S. Thom. supracit.* n. 115. *& mox super quæstione illa, in qua consulere aut judicare debes, aggredere opinionem, quæ negat actum esse licitum, & periculo vacat, & examina diligenter illius motiva; & si agnoveris eam non habere rationes suasibiles, vel authoritates moventes, tunc convertas te ad opinionem oppositam, quæ affirmat actum esse licitum, & ideò est periculo exposita, accuratoq; studiô expende, & discute seorsim & sigillatim unamquamque rationem illi faventem: & ubi cognoveris, eas esse suasibiles, seu probabiles, tunc illas omnes simul conjunge, ac trutinâ intellectus sedulò in universum perpende: & si illis simul junctis, & in unum conflatis, usque adeò acquiescat intellectus tuus, ut concipiat, &* (invincibiliter) *apprehendat rem ità esse, & judicet sine ulla trepidatione ac formidine opinionem illam esse veram; intripidè eam sequaris: quia, quamvis non sis certus de illius veritate per res evidentiam, seu demonstrationem, quam in moralibus quærere vitiosum est; tamen certus es moraliter*(purà ob ignorantiam invincibilem erroris, si fortè erres) *cum ex illis probabilibus consurgat, & generetur in te certitudo talis, quæ sufficiens est ad rectè operandum: ac proindè bona cum conscientia potes opinionem illam amplecti, & secundum eam præbere consilium petenti, prout hæc patent à* n. 98. *usque ad* n. 111. *& præsertim* n. 109. *&* 110. *Sed si agnoveris hanc partem habere pro se unam tantum rationem probabilem; aut plures quidem, sed non tanti ponderis, ut eis etiam simul junctis, intellectus tuus omninò acquiescat, & ad eas simpliciter se determinet; sed tantum assentiatur fluctuans, & cum trepidatione ac formidine de illius veritate: & hoc casu adhibe diligentiam, an possis formidinem illam explodere, & abjicere* (juxta dicta supposito 7.)

&

& quidem si hoc assequi potueris, tunc, eâ explosâ, poteris tutò sequi eandem opinionem, & juxta eam consulere; quia judicium tuum, quod manente formidine erat probabile, eâ depositâ, desinit esse tale, & incipit esse certum (sive ut nos sæpe supra, moraliter certificatum) eâ planè certitudine, quam exigit moralis materia. Et hic propriè est casus cap. Inquisitioni, vers. in secundo, de sent. excom. At si, omni diligentiâ adhibitâ, non potes formidinem illam à te repellere, ac deponere, tunc intellectus tuus vacillat, & fluctuat, nec simpliciter se determinat; ideoq; judicium tuum non est moraliter certum, sed tantum probabile, timidum, ac incertum, utpotè obnoxium formidini: ac proindè teneris ab illa opinione prorsus abstinere, nec secundum eam tibi fas est consulere (nisi sit necessario consulendum ad sensum Resol. 5. præmissorum;) alioquin exponis te discrimini, & lethaliter peccas, cum in judicio practico formido, & scrupulus, nisi deponatur sit mors conscientiæ, ut constat ex dictis n. 88. & 95. & numeris sequentibus, & n. 246. Verum si à principio occurrat tibi opinio affirmans actum esse licitum, & illius rationes tibi videantur probabiles, & ideò tu velis in illa statim quiescere, absque eo, quod reflectas ad opinionem contrariam, aut consideres illius motiva, tunc cave ne decipiaris; quia non licet tibi opinionem illam utcumque probabilem sequi, nec secundum eam consulere, aut judicare sic enim assumeres judicium probabile pro regula tuarum operationum, quod in moralibus sine peccato fieri non potest, ut viginti sex fundamentis probatum est supra in prima quæstione à n. 59 usque ad n. 98. Sin autem perpensis motivis utriusque partis, agnoveris utramque opinionem esse æqualiter probabilem, vel quasi æqualiter (hic attendere debes ad explicationem hujus doctrinæ D. Fagnani, quam dedimus in fine suppositi 7. & Resol. 5. hancque doctrinam juxta istam explicationem intelligere) eò casu, non est tibi liberum sequi utramque vel alteram, quam malueris; quia non es moraliter certus, sed dubius, ut probatum est in 2. quæst. à nu. 125. usque ad n. 171. Et ideò teneris ex præcepto sequi partem tutiorem (non quidem tutiorem tutâ, juxta dicta Resol. 10. sed probabili aut probabiliori, uti Resol. 8. sæpè) ut similiter est probatum à n. 171. usque ad n. 229. Neque enim extra materiam justitiæ, & in foro conscientiæ habet locum regula. In pari causa melior est conditio possidentis, ut constat ex dictis à n. 191. usque ad nu. 212. (utique ad sensum præmissorum suppos. 8.) Unde teneris sequi partem tutiorem (sensu statim datô) sive dubium sit juris, ut à n. 212. usque ad nu. 242. Quod si omni studiô, ac diligentiâ adhibitâ in perquirenda veritate cognoveris omnia utrinque esse prorsus paria, quod rarò accidit: tunc secundum ea, quæ dicta sunt n. 235. & seqq. (sensu datô Resol. 5.) aut partes adige ad transigendum, aut divide rem divisibilem, aut consule Ecclesiam Romanam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram, ut c. Per venerabilem §. Rationibus. qui fil. sint legit. Cæterum, si consideratis motivis utriusque partis, agnoveris probabilem esse opinionem, affirmantem actum esse licitum; contrariam verò esse probabiliorem, tunc non licet tibi sequi minus probabilem, ac minus tutam; sed teneris ex præcepto sequi probabiliorem, tutiorem (sensu supra datô) ut quadraginta duobus fundamentis probatum est in 3. quæst. à n. 253. usque ad n. 402 Idque sive sis Consiliarius, ut n. 354. sive Judex. ut n. 298. & 355. usque ad n. 373. sive Medicus, ut n. 373. & n. seqq. sive Rex in bello gerendo, ut n. 375. præcipuè verò in administratione Sacramentorum extra

casum

casum extremæ necessitatis, ut n. 303. *&* 304. *&* n. 376. *usque ad* n. 381. *& sive sis Advocatus, ut* n. 381. *&* n. seqq. *usque ad* nu. 392. *Hæc sequere, & in perpetuum non errabis.*

PROTESTATIO AUTHORIS.

275 CÆterum nos non intendimus quorumcumque Doctorum sententiam conditionibus sex *Resolutione* 2. ex nostro Lezana & D. Fagnano allatis, aut similibus qualificatam, rejici debere (attendendo ad occultam ipsorum mentem verosimiliter non satis expressam) ut speculativè & ab intrinseco improbabilem, aut velle decem Resolutiones præmissas esse speculativè, & ab intrinseco rigorosè demonstrativas: quia temerarium putarem, vel solum cogitare, contra torrentem celeberrimorum Doctorum, qui probabilitatum sententiæ ut sic conditionatæ patrocinantur, aliquem posse rationes adferre, quæ evidenter ac in rigore demonstrativo illos, attentâ ipsorum mente, erroris aut improbabilitatis convincant. Sed quod præmissis decem Resolutionibus, moraliter demonstrativè evincantur, ipsos, non satis mentem suam expressisse, prout vidimus in propositionibus adversariorum *dub.* 4. *num.* 25. quas taxant, & *dub. ult.* in Caramuele acerrimo probabilitatum Patrono; ac proindè solum intendimus probabilium præcisè sententiam non esse practicè probabilem, nisi supra ejus probabilitatem practicam, accedat judicium moraliter certum, quod sententiam illam sequendo non peccetur, aut peccandi periculo, quispiam non exponatur, quale non est judicium, quod liceat sequi sententiam practicè probabilem præcisè; quia judicium illud, ibi præcisè sistendo est periculosum & peccaminosum, uti suprà fusè probavimus. An evidenter & demonstrativè? Moraliter, ad sensum *num.* 5. ante *dub.* 3. An *quoad nos* ità invincibiliter, ut pro morali veritate practica nostræ sententiæ, & morali falsitate practica oppositæ, omninò convictus censear? Indubitatum est: & ità quidem, ut sentiam nostram esse in praxi moraliter certam & in bonis moribus ex Sacra Scriptura, Patribus & Jurisprudentia evidenter fundatam, omnesque in tantum convictos, quidquid sit de aliis, peccare mortaliter, si in praxi oppositam sententiam in materia gravi sequantur: oppositam verò esse in praxi moraliter periculosam, & bonis moribus absonam, utpotè, quæ in Scriptura, Patribus & Jurisprudentia alicujus pensi fundamentum non habeat, uti patebit infra in præmissis ex Caramuele ante *dub.* 9. *&* 10. à nobis *ibidem* solutis. Unde meritò Vincentius Baronius disp. 1. sect. 2. de usu prob. art. 1. *Quis sibi persuadeat Sanctos Patres eam prætermisisse veritatem, quam totius Theologiæ moralis volunt puppim esse & proram? quam unicè urgent, quâ nullam frequentius in ore habent, aut suis libris repetunt, quâ nullam censent esse majoris momenti & utilitatis ad animarum tranquillitatem & salutem? Quis credat adeò tutum & necessarium probabilitatis usum altissimò silentiò compressum, ut nè verbum quidem hac de re extet ex Scripturis Canonicis, aut Summorum Pontificum decretis, nullum sanctis Patribus exciderit, quod ejus Patroni possint ad suam defensionem arripere, cum hodiè & à triginta annis totus mundus eâ controversiâ perstrepet?*

R E-

RESOLUTIO UNDECIMA.

276 DIco undecimò. *In dubiis* Juris circa necessaria necessitate juris sive præcepti, saltem prout condistinguuntur contra necessaria necessitate medii, *in pari causa* sive cæteris paribus, tam in materia justitiæ, quàm obedientiæ & aliarum virtutum, *non est melior conditio possidentis libertatis* contra jus illud sive preceptum, nisi post sufficientem adhibitam diligentiam accedat invincibilis ignorantia juris sive præcepti, & hinc moralis certitudo, quod hâc stante non obliget. Brevius. In concursu duarum opinionum probabilium super possessione libertatis, & juris nondum sufficienti adhibitâ diligentiâ invincibiliter ignorati, *tutior est eligenda.* Ità D. Fagnanus *in caput ne innitaris.* Locis infrà citandis, post ipsum P. Vincentius Baronius *disp. 2. Exam. Epist. Caram.* & quotquot nobiscum tenent, prout omnes Orthodoxi debent, in materia morali & periculosa non licere sequi opinionem probabilem præcisè; attamen ignorantiam invincibilem necessariorum necessitate juris sive præcepti excusare à peccato formali novo, distincto ab habitualiter perseverante, in quo fuerit actualiter, & adhuc sit habitualiter voluntaria.

277 Dixi primò. *Saltem prout condistinguuntur contra necessaria necessitate medii:* quia uti ignorantia invincibilis baptismi & aliorum necessariorum necessitate medii, hæc non supplet, ità nec ab his reipsâ ponendis, licèt ipsa omissio à peccato formali, novo &c. excusetur actu impium ullô modô excusat, ut patet: alia tamen est ratio de quomodocumque actu justo, cum ob talem omissionem ex ignorantia invincibili non amittat justitiam, ut vidimus *dub. 2. num. 28. ad 35.*

278 Dixi secundò. Tam in materia justitiæ, quam obedientiæ & aliarum virtutum. Tum ob præmissa *supposito* 8. Tum quia, in dubiis circa necessaria necessitate justitiæ in pari causa sit melior conditio possidentis, licèt post sufficientem adhibitam diligentiam non accedat invincibilis ignorantia juris alterius, tam periculosa est conditio possidentis contra jus sive præceptum de alieno non retinendo, restituendo &c. cum possessio sub ignorantia vincibili juris alterius, quæ non excusat à peccato retentionis alieni invito Domino, sistat, quam contra jus sive præceptum de obediendo Superiori, & Deo in Superiore, legitimè præcipienti, ob eandem rationem. Unde regula illa sive in materia justitiæ sive alia, sive in foro fori, sive in foro conscientiæ, sive possidenti, sive Judici pro possessorio judicanti, vim non habet, nisi quatenus prudenter præsumitur possidens laborare ignorantia invincibili juris alterius, & hinc esse possessor bonæ fidei, juxta hanc regulam *omnis homo præsumitur bonus, justus* &c. *quamdiu non probatur malus, injustus* &c. Alioqui certè si oppositum præsumatur nihilo plus valet, quam ignorantia vincibilis & hinc malæ fidei possessor, qui indubiè non est, uti ille, à prætore tuendus, ne à litigatore dejiciatur; sed ab ipso Judice, nisi bonæ fidei possessionem contra istam prudentem præsumptionem evincat, à possessione dejiciendus. His præmissis

279 Probatur resolutio primò. Quia

quamdiu non accedit ignorantia invincibilis juris sive præcepti, subsistit ignorantia vincibilis illius, & mala fides operantis, quæ tam in materia justitiæ, quam charitatis & aliarum virtutum non excusat à peccato, uti omnes Orthodoxi fatentur: ergo &c.

280 Probatur secundò: quia non licet sequi conscientiam probabilem, nisi accedat, &c. ut patet ex præmissis, *dub.* 4. ergo multò minus licet dubiam sequi. Probatur consequentia; quia, uti conscientia dubia minus probabilitatis habet, ità & minus prudentiæ, quod autem à prudentia magis recedit, minus habet de virtute, plus de vitio: ergo &c.

281 Confirmatur primò ex D. Fagnano in cap. ne innitaris num. 171. *Qui dubius est* (prout iste) *in morali materia, in qua vertitur salutis periculum, tenetur ex præcepto sequi partem tutiorem, apud Sacros Canones est veluti quoddam axioma, & habetur disertis verbis in c. Ad audientiam, de homic. ibi:* [Quia verò utrum ex occasione vulneris decessisset dubium habetur, cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere Presbytero memorato, ut in Sacris ordinibus non ministret.] *in c. Significasti, il. 2. eod. tit. in illis verbis:* [Quod si discerni non possit ex cujus ictu percussus interiit, in hoc dubio tanquam homicida haberi debet sacerdos, & si fortè homicida non sit, à sacerdotali officio abstinere debet cum in hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare.] *Et in c. Petitio, eod. tit. ibi:* [Si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet, à ministerio Altaris abstineas reverenter, cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quàm temerè celebrare.] *Ad idem text. in c. Si quis positus, de pœnit. dist. 7. ubi Augustinus ait:* Vis ergo à dubio deliberari? Vis quod incertum est evadere? Age pœnitentiam dum sanus es.] *Et in c. Si quis autem, ead. dist.* [Duæ res sunt: Aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur: quid horum tibi futurum sit, nescio. Ergo tene certum, dimitte incertum.] *Et concordat cap. Juvenis, de sponsal. ibi:* [In his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus. [In his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus.]

282 *Sed insignem hanc regulam Canonum plures Theologi ex recentioribus multifariam conantur evertere. Objiciunt enim. Primo:* Quod in re dubia tutiorem partem eligere non sit præcepti, sed consilii tantum. *Sic Suarez* de consc. par. 5. disp. 40. sect. 6. n. 9. & seqq. *Sanchez* in Decal. tom. 1. lib. 1. c. 10. num. 11. & 64. *Malder.* in 1. 2. disp. 84. quæst. 19. art. 5. *Moventur præcipuè hoc fundamento*, quia cum quilibet sit in possessione suæ libertatis, & famæ, in dubio non debet spoliare se hac possessione, judicando se culpabilem, aut nexu alicujus obligationis innodatum, cum secundum regulam Juris in pari causa melior sit conditio possidentis, *l.* Res alienas, *C.* De rei vindicat. *l.* Sive autem, §. Si duobus, *& ibi Bald.* ff. De public. in rem act. *C.* Si à Sede, de præben. cum concordan. *de quibus per Dec.* in l. in pari, ff. de regul. jur. *Quam regulam, habere locum non solum in materia Justitiæ, sed etiam in materia aliarum virtutum, & in foro animæ, putat idem* Sanchez, *ubi supra num.* 10. Suarez *de Relig. par. 2. lib. 4. de voto, c. 5. n. 7.* Henriq. *in Sum. lib. 8. c. 3. in glos. littera P*, & alii multi.

283 *Mi-*

283 *Mirum autem est quod tam levi fundamento, quàm graves, & periculosas quæstiones decidant, inter quas non parvi sunt ponderis infrascriptæ.* Qui dubius est: an inciderit in excommunicationem, sive dubium sit juris, sive facti, non debet se habere pro excommunicato, nec tenetur petere absolutionem; quia cum sit in possessione communicandi cum fidelibus, non debet in dubio eâ possessione privari. *Sanchez* locô citatô num. 56. *Layman.* lib. 1. tract. 5. c. 5. §. 4. num. 38. *Et eadem ratione*, dubitans: an lex imponens pœnam excommunicationis sit usu recepta, potest judicare non esse usu receptam, & contra legem operari, nec propterea incidit in excommunicationem. *Azor.* tom. 1. instit. moral. lib. 2. c. 19. quæst. 12. *quem citat. Salas* par. 2. quæst. 21. tract. 8. disp. unic. sect. 18. num. 169. *Item*, dubitans: an casus sit reservatus, potest ab illo absolvere. *Suarez* de censur. tom. 5. lib. 4. c. 15. *Emanuel Sa* in ver. Casus reservati nu. 5. *Item*, qui dubitat: an commiserit peccatum mortale, non tenetur illud confiteri. *Joan.* 1. *Præpos.* in 3. par. D. Thom. quæst. de integrit. Confess. dub. 3. num. 17. *Henriq.* in Sum. lib. 8. de Eucharistia, c. 45. num. 3. in gloss. littera P. *Item*, dubitans de legitima potestate Prælati, non tenetur illi obedire. *Vasquez* in 1. 2. quæst. 19. art. 6. disp. 62. cap. 6. in fin. *Salas* in 1. 2. quæst. 21. tract. 8. disp. unic. sect. 8. num. 78. *Item*, dubitans: an beneficium sit tenue, necnè, non tenetur officium recitare. *Salas* d. tract. 8. disp. unic. sect. 17. num. 154. in fin. *Item*, dubius in die Jovis: an transacta sit media nox, potest tuta conscientia comedere carnes: at verò in die Sabbathi dubitans similiter: an media nox excesserit, carnes comedere non potest. *Sanchez* de matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 41. num. 40. *Layman.* lib. 1. tract. 1. c. 5. §. 4. num. 36. *Villalob.* in Sum. tom. 1. tract. 1. diff. 21. num. 7. *Rationem diversitatis afferunt planè ridiculam; quia in primo casu*, cum in die Iovis unusquisque possideat suam libertatem vescendi carnibus, in dubio manuteneri debet in ea possessione contra diem Veneris, seu contra præceptum abstinentiæ, pro quo nulla est possessio, & propterea comedens non peccat, cum in pari causa melior sit conditio possidentis. *In secundo autem casu* in die Sabbathi possessio stat pro præcepto, unde peccat qui carnes comedit, quia spoliat Sabbathum, seu præceptum sua possessione abstinentiæ à carnibus.

284 *Porrò hæc doctrina multò perniciosior est saluti animarum illâ, quam nunc tractamus de electione opinionis probabilis; quia in contrarietate probabilium opinionum habet quis aliquam rationem apparentem existimandi rem non esse dubiam, sed moraliter certam. At hæc theorica liberè profitetur licitum esse operari cum conscientia absolutè dubia contra manifestum Sacrorum Canonum testimonium, & contra unanimem Theologorum, & Canonistarum sententiam*, C. Nervi, 13. dist. c. illud de Cler. excom. minist. cum multis concordan. *Innoc. Joan. Andr. & DD.* in c. Per tuas, il. 2. de Simon *Butr. & Anchar.* cons. 210. inter consilia ipsius Ancharani per tot. *Navar.* in manual. c. 27. num. 288. vers. Primum, quod Judex. *Ideoq; Card. Paleot.* de Sacr. Consistor. consultat. part. 4. quæst. 4. posteaquam in vers. *Et tandem aliquandò, docuit dubitationem propriè oriri, quandò in utramque partem se offerunt rationes æquè pro-*

probabiles: in verf. Sed patet, *fic ait*: [Confiliarius dubitationem, qua anteà detinebatur, quærat ab animo fuo expellere priufquam fententiam ferat, fimulque ftudeat fibi in mentem inducere, aut certè opinari, fecundum quam fuffragium ferre ftatuit, veram effe: alioqui confcientiæ dubiæ contraveniens, peccato fe involveret, ut Doctores affirmarunt.] *Et infrà verf. Certè.* [Cum res prorfus dubia eft propter rationes utrinque probabiles, & Confiliarius non poteft dubitationem depellere, confulit, ut in Confiftorio refpondeat, fibi non liquere.] *Et eft doctrina D. Thomæ in fæpius citato* quodlib. 8. art. 13. *dicentis*, [ex confcientia aliquem obligari ad peccatum five habeat certam fidem de contrario ejus, quod agit, five etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione.] *Veritas igitur eft, regulam de tutiori parte in dubio eligenda in his, quæ animæ falutem refpiciunt effe abfolutè in præcepto. Quod fatis probant Canones præallegati num.* 171. *& proximè citandi, qui utuntur verbis, non fimplex confilium, fed obligationem importantibus, videlicet*, via eft tutior eligenda: Pars fecurior eft tenenda: Semitam debemus eligere tutiorem: Quod certius exiftimamus tenere debemus, & aliis hujufmodi. *Prætereà* in c. Illud, de Cler. Excom. miniftr. *deciditur* de rigore deponendum effe Epifcopum, qui in dubio illo tutiorem partem non elegit. *Ergo electio hujufmodi eft in præcepto; quia pro tranfgreffione Confilii Epifcopus deponi non potuiffet*, C. Quifquis præceptis, 14. quæft. 1. *Rurfus* in c. Sicut nobis de fent. excom. Epifcopus jubetur excommunicatum vitare, quoties abfolutio eft dubia. *Et concordat textus* in c. Per tuas, eod. tit. *fimiliter* in d. c. Juvenis de Sponfal. Vir, qui contraxit matrimonium cum puella nondum feptenni, de qua propterea dubitatur: an effet viri potens, necnè, jubetur feparari ab ejufdem puellæ confobrina, quam pofteà duxit in uxorem. *Et redditur principalis ratio*; quia in his, quæ dubia funt, quod certius exiftimamus, tenere debemus. *Ergo hæc regula abfque dubio eft in præcepto; quia fi effet in confilio tantum, vir non potuiffet à fecunda uxore, judiciò Ecclefiæ feparari. Idem fuadetur* in d. c. ad audientiam, de homic. *in illis verbis*: Poteris concedere, ut minoribus ordinibus fit contentus. *Quæ fatis apertè indicant neceffitatem difpenfationis, fine qua non licuiffet in minoribus ordinibus miniftrare. Hinc jura præcipiunt, ut facerdotes ordinati ab Epifcopis incognitis, de quibus dubium eft: an fint Epifcopi, necnè, debeant iterum ordinari*, ut Gregorius III. in c. Presbyteris, 68. dift. *Ergo &c.*

285 Confirmatur fecundò. Ex eodem num. 207. *Unde S. Thomas* quodlib. 8. art. 13. in princ. *ait*: [Quicumque committit fe difcrimini in his, quæ funt ad falutem, peccat.] *Et* quoblib. 9. art. 15. in 4. *argumento contrario*: [Quicumque (*inquit*) committit fe difcrimini, & periculo peccati mortalis, peccat mortaliter.] *Et* quodlib. 3. art. 9. ad 3. [Quicumque non cavet pericula, videtur contemnere id, cujus detrimentum pericula inducere poffunt.] *Et Scotus* in fine fecundæ quæftionis prologi fententiarum, *notabiliter ait*: [Multa in actibus humanis funt dubia, utrum fint peccata mortalia, etiam fuppofitis omnibus doctrinis Doctorum, & expofitorum; tamen non eft dubia via falutis; quia à talibus tanquam periculofis debet homo fibi cavere, & fe cuftodire,

re, nè, dum exponit se periculo, incidat in peccatum. Quod si noluerit quærere salutem, sed non curando, exponit se periculo, ubi fortè actus de genere suo non est peccatum mortale, tamen peccabit mortaliter sese periculo exponendo.] *Et* in 4. dist. 17. quæst. unic. *dicit:* [Ubi via est facilior, id est magis in potestate hominis, & certior ad gratiam recuperandam, tenetur quilibet ad illam viam, ità quod omissâ illâ, non attentet aliam difficiliorem, & incertiorem, & quia tunc se exponeret periculo salutis suæ, & videtur esse contemptor propriæ salutis.] *Hactenus verba Scoti. Et hanc rationem periculi considerant Sacri Canones in præcepto de electione partis tutioris, ut patet ex verbis dicti cap. Significasti, il. 2. de homic.* pro eo, quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur. *Et in c. Inquisitioni de sent. excom. ibi:* Ne contra judicium conscientiæ committat offensam. *Et in clem. Exivi* §. Item præter ea, *de verb. signif. ibi:* [In his, quæ animæ salutem respiciunt, ad evitandos graves remorsus conscientiæ pars tutior est tenenda.] *Et hæc est ratio, cur non liceat operari cum conscientia dubia secundum communem opinionem, de qua suprà num.*182. *At contra jus divinum, & ubi agitur de materia peccati, certum est, nullam possessionem, imò nullam præscriptionem aut consuetudinem suffragari posse.* c. fin. ubi DD. de consuetudine. *Et propterea secundum S. Thomam* quodlib. 8. art. 13. qui possidet plures præbendas, & propter contrarietatem opinionum in dubitationem adducitur, non potest, manente tali dubitatione, se in ea possessione conservare; quia periculo se committit, & sic procul dubio peccato, utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem. *Ergo perperam allegatur possessio ad vitandum præceptum Sacrorum Canonum de tutiori parte in dubio eligenda. Neque enim interdictum, uti possidentis, dari potest in materia nutritiva peccati, & contra jus divinum.* Menoch. de retinend. q. 24. num. 156. *Nec quandò jus resistit.* Seraphin. decis. 1463. num. 2.

286 *Vides ergò quàm multæ sequantur ineptiæ, & absurditates ex tua assertione, quod homo in foro conscientiæ sit manutenendus in possessione suæ libertatis contra Deum & legem, adeoq; valdè mirandum sit, quod nunnulli Confessores in foro Sacramentali talem theoricam in praxi servare, & docere non vereantur in perniciem animarum.* Ergo &c.

RESOLUTIO DUODECIMA.

287 Dico duodecimò. In dubiis juris circa necessaria necessitate juris sive præcepti, saltem prout condistinguuntur contra necessaria necessitate medii (vide dicta *num.* 277.) in pari causa, sive cæteris paribus, si post sufficientem adhibitam ad dubium superandum diligentiam accedat invincibilis ignorantia necessitatis sive possessionis juris seu præcepti, tam in materia justitiæ, quàm obedientiæ & aliarum virtutum, *semper melior est conditio libertatis, aut cujusvis juris, sive præcepti possidentis, sub ignorantia invincibili oppositi prævalentis*, & hoc sensu intelligi debet hæc regula juris, *In dubiis in pari causa, semper est melior conditio possidentis*, tam in materia obedientiæ & aliarum virtutum, quàm justitiæ. Hæcque reso-

lutio esse debet omnium Orthodoxorum, qui cum Ecclesia & Sanctis Patribus ex una parte defendunt, in materia morum & periculosa non licere sequi sententiam probabilem præcisè, ut patet ex primis decem resolutionibus; attamen ex altera ignorantiam invincibilem juris seu præcepti excusare à peccato formali novo, distincto ab habitualiter perseveräte, in quo fuerit actualiter, & adhuc esset, si perseveraret, habitualiter voluntaria: inter quos numerari debet D. Fagnanus, cum hoc ultimum doceat, ut vidimus in præmissis *ad dub.* 2. *&* 3. Imò & P. Vincentius Baronius, velit, nolit, dum idem non abnuit, ut constat ex relatis supra *dub.* 3. *num.* 38. & ante *dub.* 6. *num.* 30. Ubi dicit, *quæstionem de sectanda opinione pro lege omninò à quæstione de ignorantia invincibili sejunximus.* Sed non advertit, sejunctione hâc, non solum tueri sententiam D. Caramuelis, uti ante *dubium* 6. in examine rationum, quibus Caramuelem refutat, probavimus, sed turpissimè impingere in *undecimam Resolutionem* statim præmissam, imò & in hanc, suumque penè unicum fundamentum de opinione tutiori sequenda, funditus evertere, cum tutior sequenda, sive cum obligatione sequendi, esse non possit sub ignorantia invincibili juris seu præcepti, si ignorantia invincibilis non excuset à peccato: dum autem vult quæstionem de ignorantia invincibili ab ista regula, & omnibus suis fundamentis, sejunctam, à vera & D. Fagnani sententia recedit, & in foveam, quam sibi cum Caramuele fecit, sine ulla evadendi spe incidit: quidquid *disp.* 2. *sect.* 5. *per totam* D. Fagnani manum, aliundè per ignorantiam invincibilem à peccato &c. excusantem manutenendæ veritati præoccupatam, frustrà imploret, ut præmissa ante *dub.* 6. in fine, *hâc Resol. & præcedenti* maturè consideranti patebit. Igitur resolutio

288 Probatur primò. Pro materia justitiæ, tam ex jure civili leg. *in pari ff. De regulis juris.* leg. *circa ff. de probat.* leg. *Si quis liberum ff. eodem.* leg. *ult.* Cod. *de rei vindicat.* leg. Matrem juncta gloss. verbo *convenit*, quam ex jure Canonico Cap. *in pari de regula juris.* Cap. *Ex litt. de prob.* Cap. *ad aures de præscript.* Cap. *licet causam de prob.* Ex quibus evidens est, quod bonæ fidei possessio habeat jus in re, & ut colligitur ex leg. 1. *in fine ff. uti possid.* plus juris in retinendo, quàm actor in cogendo: ergo &c.

289 Confirmatur: quia licèt in materia justitiæ bonæ fidei possessio non sit modus probandi, relevat tamen ut colligitur ex leg. *circa ff. de probat.* & leg. *jus ejus Cod. de prob.* ab onere probandi, hocque transfert in actorem. Ità Bartolus & Baldus apud Menoch. *lib.* 6. *de propos.* 69. *n.* 1. Imò ante omnia probat dominium, juxta legem *ob marit. Cod. si uxor suo marito.* & leg. *cum res Cod. de probat.* Ità Bartolus & alii apud Menoch. *ibid. num.* 13. quia bonæ fidei possessor præsumitur Dominus, hincque habet causam fundatam adversus illum, qui jus in re prætendit, ex leg. *uti ff. si usufructus petatur.* Et leg. *fin. Cod de rei vindicatione.* Nec proindè tenetur docere de jure suo, vincirque adversarium per non jus agentis, ex leg. *cogi possess. de petend. hæred.* Unde ex leg. *fin Cod. si per vim* possessor non citatus, non confessus, non convictus, etiam authoritate Judicis & Imperialis rescripti spoliari non debet suâ posses-

possessione, & spoliatus est ante omnia restituendus, ut passim docent Juristæ & alii. Imò, cum præciso quocumque alio, sit solo titulo possessionis legitimus contradictor ex leg. *fin. Cod. de debito D. Adriani.* Propriâ authoritate spoliatorem expellere, & suam possessionem recuperare potest: & meritò; quia non debet injuriæ nasci occasio, ubi jura nascuntur, ut rectè cap. *Ecclesia de Constitutionibus.* Ergo &c.

290 Probatur secundò. Pro materia aliarum virtutum, tum ex præmissis *Præsupposito* 8. & statim Resol. 11. §. *Dixi secundò num.* 278. Sicut ob bonæ fidei possessionem sub ignorantia invincibili post sufficientem diligentiam ad dubium juris alterius superandum, adhibitam, absque periculo peccati injustæ detentionis rei alterius, bonâ fide possum conscientiam bonam de honestate retentionis formare; ità & in materia voti, præcepti &c. siquidem utrobique non est nisi jus Superioris, & in Superiore jus Dei, materialiter transgrediendi periculum. Ergo &c.

291 Confirmatur primò. Pro omni materia morali indifferenter. Quia juxta communem & moraliter certam sententiam, ad hoc ut lex, jus seu præceptum sub peccato obliget, requiritur promulgatio, quæ illius ignorantiam invincibilem à transgressore propellat; & aliundè eadem est ratio legis, quæ sensus illius: in dubio vero invincibili hujus, sivè sub hujus, post sufficientem diligentiam ad illud superandum ignorantia invincibili, lex est in favorem libertatis quoad istum sensum interpretanda, juxta has regulas juris, *in obscuris, quod minimum est, sequimur. Odia restringenda, favores ampliandi* &c. ergo &c.

292 Confirmatur secundò. Quia: vel dicendum ignorantiam invincibilem, de qua in resolutione, non excusare à novo peccato formali; de quo *ibidem*, quod est contra Scripturam, Pontificum decreta, Sanctos Patres & lumen naturæ, uti *dub.* 3. probavimus: vel asserendum id, quod resolvimus: ergo &c.

293 Confirmatur tertiò. Quia illud principium unicum, ità explicatum, universaliter sufficit pro formanda conscientia, in omni casu dubii de malitiæ materialis fundamento: & alioqui oportebit principia ista quodammodò innumera, cum summa Confessariorum & pœnitentium confusione multiplicare, quorumquodlibet, non pauciores, imò fortè majores difficultates secum trahet: ergo &c.

294 Dices primò ex P. Schilders tract. 3. de conscientia formanda cap. 2. nu. 10. *Non potest pro dubio quovis statui hoc principium universim dirigens conscientiam: quod in dubio sit melior conditio bona fide possidentis, quandò lex non resistit possidenti, neque præsumptio juris est in oppositum. Est contra Sanchez* lib. 2 de matrim. disp. 41. & lib. 1. in Decal. c. 10. *Castro Pal. Layman. Badell. Bardi* disc. 5. c. 3. & 4. *Ildephonsum Bapt.* l. 2. n. 1203. *Bossium* to. 1. moral. num. 1196. *Merell.* disp. 3. cap. 2. *Caramuelem, Dianam* P. 4. tr. 3. R. 2. *Principium enim hoc non habet locum in dubio de fundamento, à quo potestas humana obligationem ponendi vel omittendi actum tollere non potest. Sic ille, qui tanquam Sacerdos diu celebravit, adeoq; est in possessione celebrandi, si dubitare incipiat, an validè ordinatus sit, non magis celebrare potest, quam is, qui dubius de valida ordinatione nunquam celebravit. Item dubius, an Matrimonium validè cum aliqua iniverit, licèt sit in possessione suæ liber-*

libertatis, tenetur tamen alteri bona fide petenti reddere debitum. Cap. Dominus. De ſecundis nuptiis. *Deindè non habet locum in dubio, uter ex duobus titulum dominii prius acceperit: is enim, qui ſe oſtendit accepiſſe tempore certò, præfertur poſſeſſori, qui tempus certum oſtendere non poteſt. Deindè jus in dubio magis favet ei, qui eſt futurus in damno, quàm poſſeſſori, qui eſt futurus in lucro: in dubio enim, an res ſit donata, poſſeſſor probare donationem debet contra donatorem, ejuſque hæredes. Denique poſſeſſio non habet locum, niſi circa rem corporalem, & quaſi incorporalem, quæ ſit jus ſæpiùs agendi, aut exigendi aliqua, v. g. beneficio, cenſu, ſervitute, in quibus poſſeſſio rei acquiritur per unum actum factum quaſi ex jure, ſive ex animo habentis jus v. g. ingreſſu in Capitulum, ex actione unius Canonis cenſualis, tranſitu per fundum alienum: quem actum, qui bonâ fide fecit, adverſariò ſciente & patiente, appellatur quaſi poſſeſſor; & poſteà, ſi dubium de jure beneficii, cenſus, aut ſervitutis ſuperveniat, præfertur alteri, qui hoc non fecit, poteſtq; pergere in uſu juris, quod beneficiario, Domino ſenſus, & Domino ſervitutis competit, donec conſtiterit ipſum non habere jus. Non habet autem iſta quaſi poſſeſſio locum in jure exigendi rem aut factum tantum unum ab alio, v. g. ut ſemel ſolvat centum aureos: Si enim dubium oriatur an debitor ſolverit, non poteſt creditor dicere ſe eſſe in poſſeſſione exigendi; quandoquidem nunquam aliquid tanquam debitum exegerit, acceperitq; per quod poſſeſſionem crediti acciperet: unde alio principio tunc opus eſt. Scilicet, quod quandô agitur de jure ad rem & obligatione perſonali melior ſit conditio negantis, quàm affirmantis. Sic ut ſi dubium ſit, an ex aliquo titulo aliquis ſit alterius debitor, melior ſit conditio negantis titulum, quàm affirmantis: quandò autem conſtat de titulo & obligatione, & dubium eſt, an ſolutio facta ſit, melior ſit conditio creditoris negantis, quàm debitoris Affirmantis.*

295 *Non ſubſiſtit univerſim aliud principiũ, quod in materia quidem juſtitiæ, quandò eſt dubium, ſit melior conditio poſſidentis bona fide. In aliis autem materiis ſequendum ſit id, quod eſt tutius* juxta C. Ad audientiam & C. Significaſti 18. de homicid. *prout tenent Abbas, Hoſtienſis, Vaſquez.* 1. 2. diſp. 65. c. 3. & diſp. 66. c. 1. *Azor* lib. 2. c. 18. *Turrian. Corduba, Pontius, Sayrus, Ant. Perez, Hurtad. Comitol. Barboſa* ad C. Juvenis de ſponſal. *Nam ſententia hæc quoad primam partem, de favore poſſeſſionis, patitur eaſdem difficultates, quas præcedens. Quoad ſecundam autem non eſt univerſim vera: cum in aliis materiis, quàm juſtitiæ, etiam ſæpè melior ſit conditio negantis, quàm aſſerentis, v. g. in materia obedientiæ, quam ipſi dicunt non eſſe juſtitiæ. Dubius enim, an ſuperior aliquid præceperit, obedire non debet.* Cap. Cum in jure. De offic. judic. deleg. *Similiter non inſiſtit univerſim ſententia Salas* in 1. 2. tr. 8. ſ. 17. & 19. *Breſſeri* lib. 4. de conſc. num. 46. *quod in dubio circa materiam juſtitiæ melior ſit conditio bona fide poſſidentis: in dubiis autem circa alias materias ſequendum ſit id, quod tutius eſt, niſi incommodum magnum excuſet. Nam, ut jam dictum eſt, dubius de præcepto ſuperioris creati non debet ſequi tutius, licèt obedire poſſit ſine magno incommodo. Deinde is, qui duxit uxorem, in dubio, an ſit illius affinis, ſeparari ab hac debet; licèt ſeparatio adferat ſecum magna incommoda* C. Juvenis de ſponſal. Ergo allatum à nobis principium non ſufficit.

296 Reſpondeo quoad primum principium. Primò Exemplum de Sacerdote,

noſtram

noſtram reſolutionem confirmat: quia ipſe nunquam fuit in poſſeſſione bonæ fidei adverſus hanc legem, *non celebrabis non ordinatus Sacerdos*, quæ ſemper fuit in poſſeſſione adverſus libertatem; ac proindè *ſub ignorantia invincibili oppoſitæ ordinationis*, *melior eſt iſtius legis poſſidentis conditio*: non peccavit tamen anteà celebrans erroneè invincibiliter, defectu dubii aut reflectionis, judicans ſe Sacerdotem; quia tale judicium excuſat à peccato, ut vidimus *dub. 3. reſol. 1. pro prima parte*.

297 Secundò. Exemplum de dubio matrimonio etiam noſtram reſolutionem confirmat: quia petens debitum eſt in poſſeſſione bonæ fidei matrimonii, ac per conſequens debitum petendi, ad quod reddendum dubitans obligatur per legem *non damnificabis*, quæ hîc à tempore matrimonii à conjuge bona fide contracti ſemper fuit in poſſeſſione adverſus libertatem negandi debitum: ac proinde ſub ignorantia invincibili oppoſitæ legis prævalentis, melior eſt iſtius legis poſſidentis conditio.

298 Tertiò. Exemplum de titulo dominii, etiam noſtram reſolutionem confirmat: quia poſſeſſore non probante ſe accepiſſe titulum dominii certô tempore, dum alter non poſſeſſor id probat, non ignorat invincibiliter jus oppoſitum alterius, qui ſe fundat in noſtro principio *melior eſt conditio juris poſſidentis acceptum titulum dominii certò tempore*, *ſub ignorantia invincibili oppoſiti juris, non accepti dominii certô tempore*.

299 Quartò. Exemplum de damno & lucro, etiam noſtram reſolutionem confirmat: quia lucrans nunquam eſt in poſſeſſione bonæ fidei adverſus hanc legem *non damnificabis*, quæ ſemper fuit in poſſeſſione adverſus libertatem lucrandi; ac proindè *ſub ignorantia invincibili oppoſiti lucri prævalentis, melior eſt iſtius legis poſſidentis conditio adverſus lucrandi libertatem*.

300 Addit quidem poſſeſſionem non habere locum, niſi circa rem corporalem, &c. ſed id *Suppoſito* 8. ſatis rejectum eſt.

301 Reſpondeo. Quoad ſecundum principium. Primò Exemplum de dubio, an Superior aliquid præceperit, in foro conſcientiæ intelligi debet de dubio invincibili inferente ignorantiam invincibilem, ſub qua etiam noſtram reſolutionem confirmat. Quia *melior eſt conditio poſſidentis libertatis ſub ignorantia invincibili oppoſiti præcepti Superioris*. Alioqui ſi intelligatur de dubio vincibili, id in foro conſcientiæ falſum eſt, & in ſolo foro externo procedit, quaſi in illo vim non habeat, niſi de illo conſtet; nè alioqui, ob dubia, juris proceſſus legitimus violetur, quod noſtram reſolutionem non tangit; & cum ſolum hoc tangat *cap. cum in jure*. Malè P. Schildere in eo fundat hanc ſuam doctrinam, *ut jam dictum eſt*, *dubius de præcepto Superioris creati non debet ſequi tutius*. Præſertim cum *tract. 1. cap. 3. num. 23.* dicat *de hoc dubio, an formaliter licitè ſit operaturus*, *univerſaliter verum eſt* illud, *in dubio tutius eſt eligendum*: quô iſtis contradicere videtur.

302 Secundò. Exemplum de affine: etiam reſolutionem noſtram confirmat: quia *melior eſt conditio poſſidentis legis de non nubendo affini ſub ignorantia invincibili juris prævalentis ſive diſpenſationis, adverſus libertatem*. Cujus poſſeſſio certa nequidem per dubiam diſpenſationem tollitur, ut patet: quia poſſeſſio certa per incertam

dispensationis supervenientis non tollitur.

303 Ratio autem præmissarum Responsionum est; quod P. Schildere, & quivis alius Orthodoxus, necessariò fateri debeat, quod ubicumque est certa possessio libertatis, aut cujusvis alterius juris, sub ignorantia invincibili supervenientis reipsa alterius juris oppositi, excusetur à peccato formali novo, ad sensum *resol.* 1. *parte* 1. *dubii* 3. usus libertatis, aut talis juris certò possidentis; tum ob authoritates & rationes *ibidem* allatas; tum quia, ut ipsemet P. Schildere *ibid. cap.*1. *num*5. docet, *planè ignorans malitiam materialem actus non potest obligari ad abstinendum, ne alias passim homines implicentur anxietatibus infinitis*, &c. *uno verbo dubius negativè de malitia materiali actus procedere potest, sicut is, qui positivè certus est eum esse licitum, donec ipsi occurrat, quod ratio aliqua dubitandi de malitia materiali subesse possit; tunc enim de illa inquirere debet*, supple usque ad ignorantiam illius invincibilem, quæ per ipsum *tract.* 1. *cap.* 2. *num.* 9. excusat à peccato, indubiè haud minus quam dubium negativum de malitia.

304 Dices secundò. Ex eodem ibidem num. 13. *Principia generalia, ex quibus in dubio de fundamento malitiæ materialis est formanda conscientia, sunt præcipuè octo.*

305 *Primum. In dubio de facto sive fundamento, à quo potestas humana obligationem ponendi vel omittendi actum, adeoq; malitiam materialem actus seu omissionis separare non potest, amplectenda est pars tutior, sicut in dubio de ipsa malitia materiali actus. Alia autem principia septem sequentia serviunt pro casibus, in quibus potestas humana à fundamento obligationis tollere potest ipsam obligationem ponendi vel omittendi actum, adeoq; malitiam materialem actus, sive omissionis.*

306 *Secundum. In dubio de facto sequenda est præsumptio juris. Id est, sic formanda est conscientia, ac si existeret factum, quod præsumitur à jure. Sic parochus dubius: an decimæ in parochia sua sitæ pertineant ad suam Ecclesiam, an ad aliam, vindicare eas potest, etiamsi alter sit possessor, qui in dubio illo probare debet eas ad se pertinere. Ratio est quod jus præsumat eas pertinere ad Ecclesiam.* Plura de hoc cap. 4.

307 *Tertium. In dubio, quis prius acceperit titulum, is, qui tempore certò accepit, præfertur ei, qui accipit tempore incerto. Unde si dubium sit, quis prius acceperit beneficium, præfertur is, qui scit diem, quo beneficium accepit ei, qui ignorat diem, quo accepit.*

308 *Quartum. Favendum est ei potius, qui futurus est in damno, quàm ei, qui in lucro. Unde in dubio, an res prius uni sit data dono, an creditori in hypothecam, præferendus est creditor.*

309 *Quintum. Prioribus principiis cessantibus, in dubio de dominio rei corporalis vel incorporalis, melior est conditio illius, qui bonâ fide rem possidere cœpit. Unde hic rectè conscientiam format, quod rem, de qua dubitat, an sit sua, retinere possit.*

310. *Sextum. In dubio de obligatione vel liberatione à debito, melior est conditio negantis, quàm asserentis. Idem est in dubio de fundamento illius obligationis vel liberationis. Nisi scilicet præsumptio, vel aliud principium sit in oppositum.*

311 *Septimum & octavum sunt in eodem ordine inter se, præsupponuntque non esse locum ulli principio præcedenti.*

312 *Septimum est. Quandò certum est unum ex pluribus esse dominum alicujus rei, creditorem ex titulo oneroso, aut unum ex pluribus*

ribus consanguineis esse legitimum hæredem defuncti, res debet inter eos dividi pro ratione dubii. Si autem certum sit unum ex pluribus esse creditorem titulò lucrativô, & dubitetur quis sit, neutri quidquam debetur..

313 *Octavum. Quandò certum est unum ex pluribus esse possessorem rei alienæ, aut debitorem ratione damni alicui tertio injustè illati, aut contractus damnosi cum illo initi, & dubium est, quis sit, omnes de quibus dubium est, tenentur pro ratione dubii. Alias nemo.* Ergo unicum principium à nobis allatum, *n.* 287. non sufficit.

314 Respondeo. Imprimis frustrà, & ad solam Confessariorum & pœnitentium confusionem ista octo principia multiplicari, cum unicum à nobis allatum sufficere, sit sufficienter probatum per nostram resolutionem & primæ objectionis solutionem. Deindè: equidem ista octo principia non subsistunt, nisi ad nostrum unicum reducantur, & in idipsum tandem resolvantur, ut statim videbimus. Denique: nulla hìc apparet necessitas distinguendi inter malitiæ fundamenta, à quibus potestas humana tollere possit, & à quibus non possit, malitiam materialem actus vel omissionis; quia malitiæ fundamentum est in possessione sub ignorantia invincibili oppositi fundamenti: vel non sed oppositum sub ignorantia invincibili illius (vincibilem non tango; quia nunquam excusat à peccato.) Si prius, sive malitia materialis omissionis vel actus potestate humanâ tolli possit, sive non, omissio vel actus contra illud voluntarius, est formaliter malus. Si posterius, sive malitia materialis omissionis vel actus potestate humana tolli possit, sive non, est bonus: si etenim dubites, aut de obligatione currentis præcepti jejunii Ecclesiastici, aut de obligatione præcepti Divini de non accedendo ad non tuam; si præcedat certa possessio infirmitatis, aut matrimonii, sub ignorantia invincibili utriúsvis præcepti ad oppositum hìc & nunc obligantis, utrumque potes; si verò non præcedat, aut nonnisi sub ignorantia vincibili utriúsvis, inquirere debes usque ad oppositæ hìc & nunc obligationis ignorantiam invincibilem, sic ut invincibiliter erres, si erres, alioqui ignorantia vincibilis oppositi per se à peccato non excusat, & sola invincibilis, tam in uno, quàm in altero per se excusat. Ut vidimus *dub.3. resol.1. pro prima parte.*

315 Dixi: *Equidem ista octo principia non subsistunt, nisi ad nostrum unicum reducantur.* Non quidem *primum*, ut statim vidimus. Non *secundum*: quia præsumptio juris istô principiô à nobis illatô dirigitur, & contra illud facta, esset contra Pontificum decreta, Sanctos Patres & naturæ rationalis dictamen, uti locô statim citatô probavimus. De *Tertio, Quarto, & Quinto* constat ex præmissis contra *Objectionem 1. n.* 294. Non etiam *Sextum*: quia in illo casu dubio de obligatione & liberatione à debito, an ejus possessio reverà præcesserit, non est melior conditio debitum negantis, nisi quatenùs sub ignorantia vincibili, an præcesserit, ipse inquirit, donec accedat ignorantia invincibilis, quod præcesserit; quia tunc demùm melior est conditio libertatis possidentis sub ignorantia invincibili oppositi: nam si constet, quod præcesserit, melior est conditio debitum affirmantis sub ignorantia invincibili ei jam datæ satisfactionis, cum debiti possessio apud ipsum sit certa, & acceptam solu-

tionem, si quæ esset, sub illa justificet ignorantia invincibilis acceptæ solutionis; eique incumbit probare solutum, aut non solutum, cui non favet certa possessio, secus illi, cui favet, nisi præsumptio juris, fundata in nostro principio, obstet in contrarium, prout in casu decimarum, de quo ipse P. Schildere *Principio secundo. Septimum* & *Octavum* in idem recidunt; quia non ob aliud debet dividi, sive non ob aliud omnes de dubio tenentur pro ratione dubii, quàm quia possessio certa est apud plures confusè, incerta apud quemlibet indeterminatè, sub ignorantia invincibili unius certi possessoris. Et hinc iterum stat nostrum principium, sic ut tot principia ad solam Confessariorum & pœnitentium confusionem multiplicentur, & in illo solo radicentur, ut hîc & ad *Resolutionem primam* præmissa consideranti patebit.

316 Sed quid ad D. Fagnani *in cap. ne innitaris num.* 194. & sequentibus. *Primo in pari causa melior est conditio possidentis, habet locum dumtaxat in materia justitiæ, quæ est in ordine ad alium; non autem in aliis virtutibus, quæ sunt in ordine ad seipsum: quia nemo in sua possessione à se ipso perturbatur, nec de illa secum contendit, aut litigat. Nec, ut ait* Vasquez *in* 1.2. *disp.* 65. *c.* 3. *vers.* Qui verò priorem, potest quis contra Deum opponere, quod melior sit conditio possidentis. *Et sanè. Quis imaginari unquam poterit Deum litigare, & contendere nobiscum de anterioritate, & potioritate possessionis, quinimò & succumbere in causa, si nostra possessio anterior sit? Ad hæc quæ traduntur à Doctoribus de hoc interdicto* Uti possidentis, *veluti quod in eo probanda sint duo extrema; alterum ut actor possideat ante litem contestatam; alterum ut inquietetur ab adversario,* Angel. Aret. cons. 19. *Videtur omninò, in princ.* Quod uterque sit actor, & uterque reus, *d. l.* 3. §. *penult. Instit. de Interd.* Alex. *cons.* 88. *Quoniam, in princ. lib.* 5. & alia his similia: *Item regulæ*, quod cum sunt partium jura obscura, reo favendum sit potius, quam actori, *C. Cum sunt partium, de reg. jur. lib.* 6. & *l. Favorabiliores, ff. Eod.* Et quod accusatore non probante, absolvendus sit reus, etiamsi nihil præstiterit, *C. un. ut Ecclesiastica beneficia.* Quibus subdit D. Fagnanus: *Hæc, inquam, omnia nullatenùs verificari possunt in foro conscientiæ; sed in materia justitiæ, & in foro fori dumtaxat. Ac propterea in dubio tenetur quis sequi partem tutiorem, & æstimare se culpabilem tantummodò in foro pœnitentiali, vel quasi pœnitentiali, ubi non agitur ad pœnam propriè; non autem in foro contentioso, ubi agitur merè ad pœnam imponendam, ut distinguit* Abb. *in C. Ad audientiam, num.* 2. *de homic.* ubi etiam Marian. Socin. *qu.* 3. *nu.* 18. *& seqq.* & Felin. *num.* 1. Et *in C. Significasti, il.* 2. *eod. tit.* Idem Abb. *num.* 4. Jo. de Anan. *num.* 23. Marian. Socin. *num.* 4. *& in ver. Dubium*, Rosella *in princ.* Angel. *num.* 2. Sylvest. *qu.* 4. *num.* 7. Subdit. *& est ex mente aliorum in d.c.* Ad audientiam, *qui in hac materia constituunt duas regulas; alteram negativam*, id est, *Judex in dubio non debet judicare quemquam irregularem; alteram affirmativam*, id est, *quilibet in dubio tenetur judicare se irregularem, & abstinere à ministerio Altaris, ut* Host. *in fin.* Jo. Andr. *num.* 5. Anton. de Butr. *in fin.* Anchar. *num.* 15. Jo. de Anan. *in fin.* Addit. *Prima enim regula procedit in materia justitiæ, & in foro judiciali, ubi agitur ad pœnam. Secunda verò in foro pœnitentiali, vel quasi, in quo necessariò ad evitandum periculum pars*

tutior est eligenda, ut declarat ibi Card. *num.* 77. Majol. *de irreg. lib.* 4. *c.* 2. *num.* 3. *reg.* 7. & *lib.* 5. *c.* 51. *num.* 10. *vers. Secundò limitatur.* Navarr. *in manual. c.* 27. *num.* 194. Infert. *Unde patet non concludere illationem Suarez* de censur. d. disp. 40. sect. 6. num. 3. & *Sanchez* in Decal. tom. 1. lib. 1. c. 10. num. 42. *Videlicet Judex non cogitur imponere pœnam, quæ per sententiam imponenda est, donec in suo foro certus sit de delicto. Ergo nec reus cogetur in conscientia exequi in se pœnam legis, donec in eodem foro conscientiæ sit certus de delicto. Quandoquidem plurimum interest inter utrumque casum, & rationem differentiæ dilucidè assignat D.Thom.* in 2. 2. qu. 60. art. 4. *dicens*: [Ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debet unusquisque eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est; alioquin injuriatur ei, & contemnit ipsum. Nullus autem debet alium contemnere, aut nocumentum quodcumque inferre absque causa cogente. At verò circa se ipsum homo debet dubia interpretari in pejorem partem secundum illud *Job* 9. Verebar omnia opera mea. Eo quod cum debemus nostris malis adhibere remedium, expedit ad hoc, ut securius remedium apponatur ut supponatur id, quod est deterius.] *Hæc D. Thomas. Ibidem voluit* Glos. in c. unic. in ver. Æstimare, de scrutinio, *quæ conciliando jura in articulo* An quis in dubio præsumatur culpabilis, necne, *hoc*, inquit, *generale est, ut ubi vertitur periculum animæ, præsumatur in deteriorem partem*, de sponsal. c. Juvenis, & 68. dist. c. Presbyteri. *Sed circa judicia præsumitur potius justum, vel bonum, quam econversò*, 86. dist. c. Si quis, 11. qu. 3. c. in cunctis, 22. qu. 4. c. innocens, & ff. de probat. l. ab ea parte. *Quam Glossam dicunt notabilem Abb.* in d. c. Ad audientiam, num. 2. & *Marian. Socin.* nu. 20. de homic. *Et idem notat Petrus de Anchar.* in c. 2. nu. 2. in 3. notab. infrà de observ. jejun. *dicens*: [Licet in aliis facienda sit benigna interpretatio, ne quis sit obligatus in dubio, ut l. Arrianus, de act. & obligat. & c. ex litteris, de probat. tamen in obligationibus, quæ concernunt Deum, tutius est præsumere quem ligatum, quam solutum, ut ibi notat Host.]

317 Secundò num. 205. *Præterea vis agnoscere in quantas absurditates te conjiciat assertio tua, quod in foro conscientiæ homo sit manutenendus in possessione suæ libertatis, & famæ contra Deum, & legem? attende diligenter.*

318 *Judicium constat ex tribus personis*, idest, *judice, actore, & reo*, c. Forus, §. in omni, de ver. signif. l. Ubi, C. ad legem Corneliam, de fals. l. inter litigantes, ff. de judic. *Tu dicis hoc judicium de possessione agi inter Deum, & hominem. Inquiro*, Quis erit judex, qui in hac causa pronunciet, & hominem in sua possessione contra Deum manuteneat? *Bart. in tract. quæstionis ventilatæ coram Jesu Christo inter Virginem Mariam ex una parte, & Diabolum ex altera*, facit Diabolum actorem, & humanum genus reum, ejusque advocatam Beatissimam Virginem, & judicem Jesum Christum: *Tu verò constituis Deum actorem, & hominem reum, sed judicem non designas.*

319 Tertiò ibidem. *Item interdictum retinendæ datur, cum duo contendunt de possessione ne veniant ad arma.* l. æquissimum, ff. de Usufr. *Jas.* in l. Quidam existimaverunt, col. 3. num. 4. ff. Si cert. peta. *Tu verò, qui dicis hoc interdictum habere locum*

inter Deum, & hominem de possessione contendentes in foro animæ, considera an inter tales personas, & in tali foro subsit hujusmodi periculum ad arma veniendi.

320 Quartò ibidem. *Item Judicium retinendæ est summariissimum.* Rota diverſ. deciſ. 641. num. 8. part. 1. & momentaneum. *Cagnol.* in l. in pari, num 6. ff. de reg. jur. *Cæsar de Grassis* deciſ. 22. alias 2. num. 5. de restit. spoliat. *& est præparatorium judicii possessorii principalis, atque plenarii.* Bero. conſ. 11. num. 1. lib. 1. *& datur quousque causa cognoscatur in pleno possessorio, vel petitorio, & ideò alicubi appellatur,* l. interim, *quia expectat aliud judicium post se.* Rota in Tirasonen. Decimarum, coram Cardinali Marquemontio *impressa apud Marchesanum* de Commiſ. p. 1. fol. 1262. n. 2. *Covar.* pract. quæst. cap. 17. in Rubr. & n. 2. *Dic ergo tu, qui asseris hoc judicium agitari inter Deum, & hominem, si in eo Deus succumbat, & potior sit conditio hominis suam libertatem possidentis, quò pactò succurratur Deo, & coram quo jus suum prosequetur in pleno possessorio, vel in petitorio judicio, ad præscriptum legis* Exitus, ff. de acquir. possess.

Item regula juris, quod potior sit conditio possidentis, *procedit tantum in dubio, ut notat* Gloſ. 1. ad fin. in c. in pari, de reg. jur. lib. 6. *& cum jura partium sunt obscura, ut* c. inter dilectos, de fide instrum. *Idque satis clarè admittunt adversarii, dum ad elidendam regulam,* quod in dubio pars tutior sit eligenda, *opponunt ei contrariam regulam,* quod imò in dubio sit melior possidentis conditio. *At quomodò fieri potest, ut res dubia sit, & obscura ex parte Dei, cui omnia sunt plana, & aperta,* C. Deus omnipotens, 2. qu. 1. c. Novit, de off. Delegati. *Neque insistas, dicendo* rem esse obscuram ex parte hominis; *quoniam hoc non sufficit cum prædicta regula non intret, nisi quando jura sunt obscura ab utraque parte: alioqui si jus actoris sit clarum, & liquidum, & jus rei conventi sit dubium, ac turbidum, non pro reo, sed pro petitore, est pronunciandum.* Arg. d. c. inter dilectos, de fide instrum. *& l.* Res alienas, C. de rei vendic. à contrario sensu, *& notat* Bald. conſ. 459. Qualiter probentur, num. 2. verſ. Sed quid est, lib. 3.

321 Quintò ibidem. *Item possessorium non datur contra titulò possidentem, quandò titulus est justus, & cum bona fide,* C. licet causam, de probat. *Alexand.* conſ. 89. Excellentissimi, num. 7. verſ. Accedo ad possessorium, lib. 5. *Unde etiam si solò possessoriò agatur, qui justificat possessionem suam cum titulo, præferri debet.* Bald. conſ. 161. in fin. verſ. illud etiam, lib. 3. *Quinimò possessio titulata quantumcumque junior præfertur non titulatæ; quia magis dicitur justificata per punctum rationis.* d. c. Licet causam. Bart. in l. Si duo, col. 2. ff. uti possidetis, Bald. in l. Qui accusare, in ult. notab. col. fin. C. de edendo. *Possessio autem ex parte Dei præterquam quod est antiquior, ut inferiùs dicemus, semper est cum titulo justo, & cum bona fide; quia* Domini est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo, *ut in* Pſal. 23. *Nullo igitur casu dari potest contra Deum potioritas possessionis ex parte hominis.*

322 Sextò ibidem. *Item interdictum retinendæ non datur contra supremum superiorem.* Menoch. de retinend. quæst. 2. num. 152. *numquid ergo dabitur homini contra Deum, qui ut dicitur Deuter.* 10. 17. Est Deus Deorum, & Dominus Dominantium.

323 Se-

323 Septimò ibidem. *Item hoc interdictum datur possessori quantumcumque injusto; quia etiam prædo in sua possessione est manutenendus.* C. In litteris, cum materia, de restit. spoliat. d. l. Res alienas, Cod. de rei vindic. *Prædo autem, & qui rem alienam injustè detinet, utique est in peccato mortali quamdiu non restituit, ut in regula Sexti.* Peccatum non dimittitur, &c. *At quomodò potest cadere in mentem hominis, ut in quæstione inter Deum, & hominem, & in foro conscientiæ homo sit manutenendus in possessione mortalis peccati? Certum est enim non dari possessionem causativam peccati; quinimò judex etiam ex officio, & nemine petente, debet amovere à tali possessione.* Gemin. cons. 76. in princ. *plenè* Menoch. de retinend. remed. 3. num. 156. Ruin. consil. 28. lib. 4. *Igitur interdictum retinendæ in foro conscientiæ locum non habet.*

324 Octavo ibidem. *Item cum hæc regula potior est conditio possidentis, ut prædixi, locum habeat, tam in pari delicto, quam in pari causa: si tu pertinaciter contendis, eamdem regulam habere locum etiam in foro conscientiæ, & cum vertitur quæstio inter Deum & hominem: Ergo supponis in Deo posse cadere delictum. Quod est, non tam impium, quàm impossibile; cum potentia Dei non se extendat ad peccatum.* Glos. in c. Firmiter, in ver. omnipotens, supr. de Sum. Trinit. & fid. Cathol. S. *Thom.* in 1. part. qu. 25. art. 3. ad 2. *Card. Bellarm.* in c. per principalem, num. 87. vers. *Secundò igitur hoc probo*, 9. qu. 3.

325 Nonò nu. 211. *Nihilominus etiamsi concederemus in dubio judicandum esse pro possessore, non solum in materia justitiæ, & in foro judiciali, sed etiam in materia aliarum virtutum, & in foro conscientiæ. quod est omninò falsum: tamen observandum est in foro interno, & in materia aliarum virtutum possessionem non stare pro libertate humana, sed pro Deo, & lege; quandoquidem in ipso instanti, in quo homo incipit habere usum rationis, & esse doli capax, reperitur ligatus nexu obligationis servandi præcepta Divinæ legis, & contra eam non peccandi, ut legitur, & notatur* in c. 1. de delict. puer. *& consequenter non exponendi se peccati periculo. Lex autem præcedit peccatum; quia, ut dicitur 2. ad Romanos* 8. sine lege peccatum mortuum erat. *Ergo possessio semper est pro Deo, & lege, non autem pro libertate hominis; ac proindè ineptè allegatur ex parte hominis, quod potior sit conditio possidentis; quia possessio stat semper pro obligatione abstinendi ab actu, de quo dubium est, an sit licitus, vel illicitus, ut optimè deducit Candidus Philalethus* in præalleg. tract. de opinionum praxi, quæst. 7. *ver.* Dico quintò, pag. 148. *& vers.* Dices in materia justitiæ pag. 149. *& vers.* Minor probatur, pag. 151. *Exemplificat in eo, qui emisit votum, & dubius est an illud adimpleverit necne: possessio enim stat pro præcepto, & non pro libertate, cum præcesserit obligatio.*

326 Respondeo ad 1. *n.* 316. D. Fagnanum *n.* 194. regulam istam intelligere de possessione propriè & in rigore Legistarum & Canonistarum sumpta, ut patet tum ex statim ex eodem præmissis, tum *supposito* 8. in fine. Nos verò eam impropriè & in lata Theologorum plurimorum acceptione accipimus, juxta dicta eodem *supposito* 8. Et dicimus, hâc impropriâ & latâ acceptione concessa, nihil obstare, nè, accedente dubiò de lege positiva alterius, quispiam in sua possessione alioqui congenitæ libertatis à seipso dubitante de lege alterius positiva perturbetur, & de illa secum

ſecum contendat, & litiget, an illa, cum alioqui certa ſit, prævalere debeat huic poſitivæ legi dubiæ, cujus poſſeſſio eſt incerta: quandoquidem ex una parte poſſeſſio certa prævaleat incertæ; & ex altera in dubiis moralibus, in quibus vertitur ſalutis periculum ſit tutior pars eligenda. Neque eſt difficile imaginari poſſe; non quidem Deum litigare & contendere nobiſcum de anterioritate & prioritate poſſeſſionis, cum ſit ſcientiſſimus & nihil ignoret invincibiliter, uti nos, ſed nos poſſe ignorare invincibiliter, an poſitiva quædam dubia lex Dei, vel hominis à Deo approbata, ſit certò lata, & ſuppoſitô, quod dubiè & incertè tantum lata ſit, ac ideò incertæ tantum poſſeſſionis, an prævalere debeat poſſeſſioni certæ alioqui, noſtræ libertatis, ſic ut contra Deum, vel potius contra talem ipſius legem dubiam & incertam ſub ignorantia, quod certò lata ſit, invincibili (quæ, ipsô etiam fatente D. Fagnanô, excuſat à peccato) allatô ſenſu litigemus & contendamus pro libertate nobis congenita, & à Deo nobis primum conceſſa, tanquam pro certa poſſeſſione adverſus incertam; & hæc, utpotè incerta, iſti, utpotè certæ ſuccumbat, prout proportionaliter poſſeſſio incerta ſuccumbit certæ in materia juſtitiæ & corporalibus. Vide dicta *ſuppoſ.* 8. in fine.

327 Reſpondeo ad 2. *n.* 317. D. Fagnanum *n.* 205. ſupponere, eſſe æquale dubium de poſitiva lege Dei, aut hominis à Deo approbata, & de libertate humana, ut patet ex verbis ipſius *ibid num.* 211. *Quomodò ergo potes perſeverare in poſſeſſione, ſi dubitas te poſſidere? cum & poſſeſſionem amittat, qui ſuſpicatur ſe poſſe repelli* l. 3. §. ſi quis nuntiet. *Et ibi Gloſ.* in ver. amiſiſſe. *& l.* Si id quod, in princ. & §. fin. ff. de acquir. poſſeſſ. *l.* 1. §. ſive autem, ff. de vi, & vi armata. *Quare ſi tu facis actum, de quo dubitas, an ſit contra votum, nec ne, utique exponis te periculo mortalis peccati; & ideò mortaliter peccas, etiamſi actus ex ſuo genere non ſit malus, ſecundum D. Thomam, & Scotum proximè citatos, nec tibi ſuffragari poteſt prætenſa poſſeſſio libertatis, cum incerta ſit, & dubium non tollat.* Nos verò oppoſitum ſupponimus, nempè libertatem humanam ab initio fuiſſe in certa poſſeſſione, eamque in hac præſumi remanere, quamdiu, poſt ſufficientem diligentiam ad evitandum dubium juris adhibitam, in ignorantia invincibilis juris: nam ſicuti ipſo D. Fagnano num. 205. fatente *in fine* ſuppoſ. 8. *Delictum non præſumitur, niſi probetur, eò quod unuſquiſque præſumatur bonus, quamdiu non probatur malus*, ità non præſumitur amiſiſſe libertatem per ſupervenientem poſitivam legem, niſi probetur, eò quod unuſquiſque præſumatur libertatem humanam ab initio ſibi à Deo conceſſam retinere, quamdiu, contra iſtam ignorantiam invincibilem, non probatur, illam per legem amiſiſſe. Deindè D. Fagnanus agit de lege Dei antiquiore libertate humana, ſive præcedente libertatem humanam, ut patet ex verbis ipſius *n.* 121. relatis *Quinto* ibidem. *Poſſeſſio autem ex parte Dei, præterquam quod eſt antiquior, ut infrà dicemus* (puta verbis relatis *Nonò nu.* 325. *Nihilominus*, &c.) *ſemper eſt in titulo juſto & cum bona fide*; quia Domini eſt terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo. *Ubi in Pſal.* 23. *Nullo igitur caſu dari poteſt contra Deum potioritas poſſeſſionis ex parte hominis.* Nos verò

verò de lege positiva Dei, vel hominis à Deo approbata, facta homini, antecedenter in libertate humana & in certa illius possessione per Deum constituto, sic, ut supponamus, illi antecedenter certæ, dubiam & incertam legem positivam Dei, vel hominis à Deo approbatam, supervenire, ut v. g. an Dei dictum Adæ & Hevæ *crescite & multiplicamini* sit consilii, an præcepti? An Christi præceptum Confessionis, Eucharistiæ, &c. præscindendo ab Ecclesiæ declaratione, obliget adultos plusquam ad semel in vita? An Legislator humanus legem tulerit, necne? hanc enim non esse antiquiorem libertate hominis, cui primum data est, ac per consequens in ipso instanti, in quo homo, cui primum data est, incœpit habere usum rationis & esse doli capax, hunc non reperiri ligatum nexu obligationis servandi talia præcepta dubia divinæ legis dubiæ, & contra hanc non peccandi, manifestum est; quia supponuntur ei facta, postquam incœpit habere certam libertatem, sive certum usum rationis, & certò esse doli capax: nec uspiam aliud legitur, aut notatur. Unde D. Fagnani doctrina, utpotè à nostra diversa, nostram non tangit.

328 Respondeo ad tertium *n.* 319. D. Fagnanum agere de possessione utrimque æquali & armis corporalibus: nos verò de utrimque inæquali & spiritualibus judiciorum inter se repugnantium: nam in casu nostræ libertatis certæ antecedenter, & dubiæ legis, imò potius invincibiliter ignoratæ consequenter, in quo sumus, non verò in casu D. Fagnani, ut statim vidimus, esse deberet judicium de possessione incerta legis consequenter dubiæ, imò invincibiliter ignoratæ, præferenda possessioni certæ libertatis antecedenter indubiæ, cum sit judicium naturale nobis innatum de præferenda, tam in materia cujusque virtutis & spirituali, *admissò suppositò 6.* quàm justitiæ & corporali, possessione antecedenter certa possessioni consequenter dubiæ, &c. ut ipse D. Fagnanus fateri debet: inter hæc autem judicia, & istô sensu, inter Deum & hominem oriretur pugna & ad arma spiritualia veniretur; quia vellet possessionem juris ignoratam invincibiliter præferri possessioni certæ, ac sic ignorantiam invincibilem non excusare à peccato, cujus per Ecclesiam suam & Sanctos Patres oppositum declaravit, ut vidimus *dubio* 3. secus in nostro sensu & sententia, ut consideranti patebit. Unde etiam hanc D. Fagnanus nostram doctrinam non tangit.

329 Respondeo ad quartum *n.* 320. D. Fagnanum agere de causa nondum cognita in pleno possessorio vel petitorio. Nos verò supponimus esse casum, in quo libertas antecedenter sit in pleno possessorio, legis autem possessionem invincibiliter ignoratam: & casu quô alius casus supponatur, in quo non sit in pleno possessorio, sed positiva lex in petitorio pleni possessorii adversus illam: respondemus, inter hanc & libertatem, conscientiam esse judicem, cum sit index & typus legum Divinarum, ac lex Dei secundaria. Uti Theolog. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 2. *dub.* 2. probavimus, & ut rectè D. Fagnanus *ibidem* num. 261. *Quia secundum Apostolum*, omne, quod non est ex fide, peccatum est *cap.* quoniam omne de præscriptis. *Cap.* litteras de restit. spoliat. *Et omne, quod contra conscientiam fit*, *ædificat ad gehennam*, *quæ sunt verba textus*; in §. ex his, *post cap.*

omnes 28. q.1. *& declarat S.Thomas* quodlib. 8. art. 13. *& egregiè S.Bonaventura* in 2. sent. dist. 39. num. 19. Ac proindè, quia per ipsum è converso, quod ex fide sive conscientia invincibili fit, peccatum non est; nam ut ipse *ibidem* num. 429. *Nulla ignorantia invincibilis est peccatum, ut inquit D. Thomas* in 1. 2. q. 76. art. 2. in corp.

330 Respondeo ad quintum *n.* 321. D. Fagnanum ibi agere de possidente titulô justô, & cum bona fide possessione reali supremi dominii à Deo inseparabilis, ut patet ex loco *Psalm.* 23. quem citat, contra quam, nec ullius creaturæ libertas resistere potest, nec datur interdictum, aut indicium retinendæ: Nos verò de possessione morali obligationis legis separabiliter ab eo, aut creatura ejus, dubiè & incertò latæ, suppositâ antecedenti possessione libertatis humanæ, in qua hominem antecedenter creavit: quam possessionem ibi non tangit, & contra quam invincibiliter ignoratam ratio naturalis dat interdictum aut indicium retinendæ libertatis humanæ, ut vidimus in Responsionibus *ad primum & secundum.*

331 Respondeo ad sextum. Patere ex responsione ad quintum.

332 Respondeo ad septimum *n.* 323. D. Fagnanum agere de possessione injusta contra legem antecedenter ad non possidendum obligantem, in qua, in foro conscientiæ, certissimè nullus manuteneri potest, magis, quàm in peccato mortali. Nos verò de possessione antecedẽter certò justa, contra legem consequenter solùm dubiè & incertò obligantem ad non contra possidendum deinceps; quæ istam certam possessionem non elidit, ut patet, præsertim si ignoretur invincibiliter, uti supponimus.

333 Respondeo ad octavum *n.* 324. D. Fagnanum regulam istam, *melior est conditio possidentis*, strictè sumere sensu Legistarum & Canonistarum. Nos verò amplè sensu Theologorum in materia obligationis legis dubiæ & incertæ, imò & invincibiliter ignoratæ, contra humanam libertatem antecedenter indubitanter & certò existentem & possidentem, in qua non est necessarium in Deo supponere delictum, ut patet, sed solum legem, quam consequenter fortè tulit, invincibiliter ignorari esse latam, quæ ignorantia potest esse absque omni delicto, tam ex parte hominis, quam Dei, ut ipse fatetur, locô citatô in *Respons. ad quartum, n.* 329.

334 Respondeo ad nonum *n.* 325. Quô sensu id verum sit, aut falsum, ostensum esse *Supposito* 8. *n.* 50. De cætero D. Fagnanus agit de præceptis Divinæ legis, certis & certò antecedentibus instans, in quo homo, cui primum fiunt, incipit habere usum rationis, & esse doli capax. Nos verò de præceptis Divinæ legis incertis & certò illud instans ac certam libertatis humanæ possessionem consequentibus, imò & invincibiliter ignoratis, ut patet ex præmissis, præsertim ad *primum & secundum.* Nec refert: quod respectivè ad nostros antecessores fuerint præcepta certa, & hôc sensu certò antecedentia instans, in quo incipimus habere usum rationis, & esse doli capaces; quia cum nascamur in ea libertate (salvâ infectione originalis peccati) in qua nati sunt, oportet præcepta legis Divinæ, de quibus ad *primum & secundum*, respectu nostræ libertatis considerare, sicuti respectu libertatis ipsorum, quam certò antecedenter possidentem præsupposuerunt: idque maximè;

mè; quia illa, haud secus, quam ipsi, ignorare possumus invincibiliter: quò casu in sana doctrina eorum, qui docent ignorantiam invincibilem excusare à peccato, quam D. Fagnanus meritò amplectitur *num. 429. suprà citato*, manemus in antecedenti possessione nostræ libertatis sine peccato, ut patet: ergo & in casu, quò de illis invincibiliter dubitemus, sic, ut post diligentiam sufficientem adhibitam, an sint, invincibiliter ignoremus; quia possessio antecedenter certa libertatis humanæ non eliditur per dubiā & invincibiliter ignoratam possessionem præceptorum legis Divinæ, de quibus ad *primum & secundum*, ut jam toties ostensum est. Unde D. Fagnanus in omnibus istis, à se sapientissimè propositis, doctrinam nostram tangit, & multò minus rejicit; sed verosimiliter illam eâdem ratione supponit indubitatam, quâ ignorantiam invincibilem excusare à peccato, &c. Verumtamen

335 Dices fortè 1. Nos per istam secundam regulam, *in dubiis paribus melior est conditio possidentis, &c.* cum recentioribus Theologis evertere primam, *in dubiis tutior pars est eligenda*, sive, *qui dubius in morali materia, in qua vertitur salutis periculum, tenetur sequi ex præcepto partem tutiorem.* Contra quos D. Fagnanus locô citatô num. 172. sic insurgit. *Sed insignem hanc regulam Canonum plures Theologi ex recentioribus multifariam conantur evertere. Objiciunt enim primò, quod in re dubia tutiorem partem eligere non sit præcepti, sed consilii tantum. Sic Suarez* de consecr. par. 5. disp. 40. sect. 6. num. 9. & seqq. *Sanchez* in Decal. tom. 1. lib. 1. c. 10. num. 11. & 64. *Malder.* in 1. 2. disp. 84. quæst. 19. art. 5. *Moventur præcipuè hôc fundamentô, quia cum quilibet sit in possessione suæ libertatis, & famæ, in dubio non debet spoliare se hac possessione, judicando se culpabilem, aut nexu alicujus obligationis innodatum, cum secundum regulam juris, in pari causa melior sit conditio possidentis*, l. Res alienas, C. de rei vendicat. *l.* sive autem, §. Si duobus *& ibi Bald.* ff. de public. in rem. act. *c.* Si à Sede, de præben.

336 Respondeo: negando assumptum. *Primò*: quia *n. 226. &* 333. ad sensum *Resol. 6. &* 11. statuimus cum D. Fagnano, in dubiis necessarium esse sequi partem tutiorem probabili & dubia præcisè, quod negant Recentiores, quos benè nobiscum impugnat. *Secundò*: Recentiores dicunt in dubiis paribus de jure libertatis & de jure adjectæ legis, meliorem esse conditionem possidentis libertatis, quasi possessio libertatis efficiat, quod liceat sequi conscientiam dubiam præcisè, quod magis periculosum esse fatemur, quàm licere sequi conscientiam probabilem præcisè: ideoque solum dicimus in dubio invincibili de lege consequente ex una parte, & ex altera judicio moraliter certo de possessione antecedenter certa libertatis humanæ sub ignorantia invincibili legis, esse meliorem conditionem libertatis humanæ, quatenùs ratio naturalis dictat, licere hoc judicium sequi, utpotè tam moraliter certum, quàm quod possessio antecedenter certa libertatis humanæ non tollatur per possessionem dubiam & incertam, imò & invincibiliter ignoratam, consequentis legis dubiæ, incertæ, & ignoratæ invincibiliter; ne jus certum per incertum invincibiliter ignoratum tollatur, judicium certum per dubium invincibiliter ignoratum vitietur, & similia, quæ contra lumen

naturæ de ignorantia invincibili excusante à peccato, &c. & leges de meliori conditione possidentis in materia justitiæ & aliarum virtutum, sensu suprà datô, pugnant. Unde insuper dicimus nos in eo sequi partem tutiorem probabili præcisè & dubia præcisè, & si in tali judicio erremus, nos invincibiliter errare; siquidem patet, illud sequi, esse tam moraliter certum de non peccato formali, quàm operari ex ignorantia invincibili, quod peccatum sit, id quod facimus; præsertim cum obindè omnes fateantur retentionem rei corporalis, positâ antecedenter certâ illius, titulô justô, possessione, non obstante supervenienti dubiô de dominio alterius postmodum acquisito, esse justam, & absque periculo peccati formalis licitam.

337 Ac proindè tantum abest, ut primam istam regulam de *tutiori parte in dubiis eligenda* evertamus, quin potius stabiliamus: imò nostram doctrinam clarè probat D. Fagnanus *ibidem num.* 212. his verbis: *Nam cum jus est absolutè dubium* (nos nequidem hoc concedimus docentes tantum esse dubium & invincibiliter ignoratum ex parte adjectæ legis, & moraliter certum propter hanc ignorantiam invincibilem ex parte judicii de certa possessione libertatis antecedenter certæ præferenda incertæ ac dubiæ invincibiliter ignoratæ possessioni supervenientis legis dubiæ incertæ & invincibiliter ignoratæ:) *aut quis credit esse certum* (prout in nostra explicatione fit:) *aut credit esse dubium* (prout Recentiores alii, quos ipse ibi nobiscum impugnat:) *si credit esse certum, tunc res est extra terminos præsentis controversiæ*; *quia is* (nota nostram doctrinam) *non versatur in dubio, & ideò potest sequi opinionem minus tutam* (tutam tamen sive moraliter certam; sensu datô,) *etiamsi illa sit falsa*; quia excusatur propter ignorantiam (supple *invincibilem*) *juris obscuri & intricati* (adjectæ legis) *secundum Innocentium in cap.* per tuas il. 2. de Simonia. *Aut credit illud esse jus dubium, sicuti est* (puta cessante judiciô moraliter certô, de quo nos, propter ignorantiam invincibilem post sufficientem ad illud dubium superandum adhibitam diligentiam) *& tunc dubium juris absolutum concurrit cum dubio personæ, cum quo operari non licet absque peccato, ut fatentur iidem Suarez & Sanchez. Imò etiamsi jus sit certum, & clarum, & quis operetur secundum illud: tamen si opinetur esse dubium, peccat propter conscientiam erroneam, & scrupulosam, ut est textus secundum verum, & communem intellectum* in d. c. Per tuas. ex quo Butr. *colligit* in 3. not. *peccare agentem contra conscientiam scrupulosam etiam erroneitate juris. Ergo multo magis peccat, si non solùm conscientia, sed etiam jus ipsum sit dubium*; *quia in primo casu agit contra conscientiam, quæ dubia est, sed non contra legem, ut declarat S. Thom.* quodlib. 3. q. 12. art. 27. & quodlib. 8. art. 13. *Quamobrem Petrus de Lorca* in 1.2. disp. 28. membr. 2. *dicit hanc doctrinam de opinione partis tutioris esse universalem, tam in dubiis juris* (sensu à nobis allatô) *quam in dubiis facti, vel personæ propter identitatis rationem periculi vitandi, & esse unanimem omnium sententiam, quam tradit S. Thomas* d. quodlib. 8. art. 13. *Adrian.* quodlib. 2. *Covar.* in Clem. Si furiosus, in princ. n. 3. & omnes Summistæ in ver. Dubium. *Majol.* de irreg. lib. 5. c. 51. n. 2. vers. 2. *limatur Paulus Burgos*, eod. tract. par. 1. q. 3. n. 10. *& tuetur Vasquez* in 1. 2.

q. 19. art. 6. disp. 65. n. 9. & 13. & disp. 66. c. 1. per totum. *Prætereà etiam in dubio juris absoluti tutiorem partem* (itidem sensu à nobis allatô) *esse eligendam, probant quatuor textus ad litteram. Primus est in Clem.* Exivi §. Item prætereà de verb. signif. ubi in quæst. meri juris, *an Fratres Minores teneantur sub præcepto mortalis peccati ad ea observanda, quæ in regula verbo imperativi modi negativè, vel affirmativè apposito inseruntur, Pontifex utitur eàdem regula ibi:* [Nos itaque attendentes, quod in his, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda] (quia nempè votum regulæ est in certa contra libertatem possessione) *Secundus est in C.* Veniens de Præsbyter. non baptiz. *ubi similiter in dubio juris absoluti, an ordinatus ante baptismum receperit characterem; Innoc. III. respondit:* [in hoc dubitabili casu, quod tutius est sequentes, mandamus quatenus ipsum per singulos Ordines usque ad Sacerdotium promovere procures (quia nempè lex Baptismi ante alia Sacramenta suscipiendi, utpotè januæ Sacramentorum, est in certa possessione contra libertatem Sacros Ordines suscipiendi) *Tertius est in C.* Cum desideres, vers. secundæ quæstionis de sent. excom. *ubi consultus Pontifex de dubio juris meri, an communicare liceat cum eo, quem fama vulgarat percussisse clericum, respondit in tutiorem partem ab ejus participatione abstinendum esse* (quia nempè vehemens præsumptio percussi clerici resistit possessioni libertatis communicandi cum eo, juxta præmissa resol. 11.) *Quartus est in C.* fin. 14. dist. *ibi:* [*In iis, quæ dubia fuerint; aut obscura, id noverimus sequendum*, supple, *quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum*, in certa possessione contra libertatem humanam existentibus, *inveniatur adversum.* Et sic proportionaliter de aliis.

338 Instabis: plus vult D. Fagnanus: quia *ibidem num.* 222. dicit, quod jura de tutiori parte eligenda, *Resol.* 11. citata, *fundantur in principio illo universali, quod ubi vertitur salutis periculum, in dubio pars tutior est eligenda. Unde extendenda sunt ad latitudinem ipsius rationis; quia quandocumque ratio legis, vel Canonis est amplior, vel generalior dicto, seu dispositio, tunc ad amplitudinem rationis extenditur ipsa dispositio. Textus est in* l. Regula, §. fin. *& ibi Bart. & Bald. notant*, ff. de juris, & facti ignor. *& in l.* Nomen debitoris, §. fin. ff. de lega. 3. cum concord. *de quibus per Abb.* in c. sicut, nu. 8. de testib. *& Everardum in sua Centuria legali, in loco à ratione legis larga*, &c. *Præsertim, quia cum hoc casu agatur de securitate animæ, lex etiam pœnalis dicitur favorabilis, & extendenda ex rationis identitate, ut* in c. penult. qui filii sint legit. *adnotarunt Host.* in fin. *Jo. And.* num. 5. *Anton.* de Butr. n. 9. *Anchar.* nu. 5. *Abb.* num. 5. & seq. *Præpos.* num. 3. *Bart. & DD.* in Authent. Sacramenta puberum, C. si adversus vendit. *Et ità jura illa intelligunt Expositores, dum ex eis colligunt regulam generalem, quod in dubiis spectantibus ad salutem animæ, & ubi agitur de materia peccati pars tutior est eligenda*, ut in d. c. Ad audientiam, de homic. Host. num. 3. in fin. & num. 4. *Butr.* n. 2. *Abb.* eod. num. vers. Aut agitur in foro pœnitentiali. *Jo. de Anan.* num. 1. vers. Aut agitur, *Marian. Socin.* num. 4. 18. 19. & 20. *& Felin.* num. 1. & in d. c. Significasti, il. 2. eod. tit. *Idem Host.* num. 9. in fin. 10. & 15. *& Marian.*

Socin. num. 4. Et in verb. Dubium. *Angel.* num. 2. *Sylvest.* quæst. 4. num. 7. *Tabien.* qu. 2. num. 3. *& generaliter in omni dubio etiam extra materiam irregularitatis loquuntur S. Thom. & Scotus, quorum verba superius retulimus* num. 207. & 208. & 216. *Nec dissentit Navar. loco præalleg. quia cum ratio illa de tutiori parte eligenda, ad evitandum periculum peccati, sit expressa in Canone, ubicumque viget illa ratio, casus dicitur à jure expressus, ut per Calder.* conf. 147. in princ. aliàs unic. Ut lite pendent. Ergo, &c.

339 Respondeo: negando assumptum; quia solùm vult, quod generaliter, ubi vertitur salutis periculum, in dubio sit pars tutior dubia & probabili præcisè eligenda, quod ultrò fatemur, & solum negamus, partem humanæ libertatis antecedenter certè possidentis, nisi jus aut vehemens præsumptio expressè resistat, non esse tutiorem dubia & probabili præcisè, quod ipse non examinat, & multò minus rejicit, sed probat *num.* 212. ut paulò ante vidimus.

Dices secundò. Post P. Gonetium dissert. Theol. de opinion. probabil. art. 5. Ex ista resolutione *sequuntur plura inconvenientia satis dura, quæ licet Adversarii respectivè admittant, id est non omnes omnia, sed quidam aliqua, quidam verò alia, secundum quod ipsis videtur (quasi eorum judicium posset esse sufficiens regula ejusmodi limitationis) nullus tamen prudens & timoratus debet se illis committere. Sunt autem hæc:*

Dubitans se excommunicationem incurrisse, non debet se habere pro excommunicato, nec tenetur absolutionem petere.

Dubitans an lex imponens pœnam excommunicationis sit usu recepta, potest judicare non esse usu receptam, & contra legem operari, nec propterea incidit in excommunicationem.

Dubitans an casus sit reservatus, potest ab illo absolvere.

Dubitans an commiserit peccatum mortale, non tenetur illud, etiam sub dubio, confiteri.

Dubitans an beneficium sit tenue nec ne, non tenetur recitare officium.

Dubitans de potestate Prælati, non tenetur illi obedire.

Dubitans in die Jovis, an transacta sit media nox, potest tutâ conscientiâ, comedere carnes, non verò si in die Sabbathi dubitet. *Cujus differentiæ rationem reddunt planè ridiculam: dicunt enim quod in primo casu libertas vescendi carnibus stat pro die Jovis, in secundo verò præceptum abstinentiæ pro Sabbatho. Posset enim gulosus in sui favorem facilè respondere, quod sicut* in dubiis melior est conditio possidentis, *ità etiam ex alia regula*, odia sunt restringenda, & favores ampliandi: *est autem odiosum dicere, quod aliquis teneatur ad servandam abstinentiam, absque certitudine suæ obligationis.*

Respondeo: nulla ex istis inconvenientibus contra nostram Resolutionem militare: quia, vel post sufficientem ad dubium superandum diligentiam accedit invincibilis ignorantia. Primò: *Incursæ excommunicationis.* Secundò: *Legis imponentis pœnam excommunicationis, usu receptionis.* Tertiò: *Casus reservationis.* Quartò: *Commissi peccati.* Quintò: *Tenuitatis beneficii.* Sexto: *Potestatis Prælati.* Septimo: *Transactæ mediæ noctis diei Jovis.* Octavo: *Transactæ mediæ noctis diei Sabbathi.* Vel non.

Si prius. Ad primum: non tenetur ab ista excommunicatione absolutionem petere:

tere: quia melior est conditio possidentis libertatis adversus excommunicationem, quæ invincibiliter ignoratur. Ad secundum: si certò constet legem imponentem excommunicationem esse in possessione, & solùm usu receptio invincibiliter ignoretur, qui contra operatur, excommunicationem incurrit; quia melior est conditio possidentis legis adversus usu receptionem invincibiliter ignoratam. Ad tertium: potest ab illo absolvere: quia melior est conditio possidentis libertatis absolvendi à peccato adversus reservationem invincibiliter ignoratam. Ad quartum: non tenetur illud confiteri: quia melior est conditio possidentis innocentiæ à peccato adversus commissionem invincibiliter ignoratam: aliud esset, si dubium perseveraret; quia, uti in nostro Cursu Theologiæ *Tom.* 4. resolvimus, mortalia dubia, ut dubia sunt confitenda: licèt tamen non teneatur confiteri, lege charitatis erga præceptum tenetur de illo conteri; quia ob illius ignorantiam invincibilem, sic excusatur à confitendo, ut obindè gratiam non habeat necessitate medii necessariam, si fortè reipsa peccarit, & illam amiserit. Ad quintum: tenetur recitare officium; quia melior est conditio possidentis beneficii adversus illius sufficientiam invincibiliter ignoratam. Ad sextum: tenetur illi obedire; quia melior est conditio possidentis Prælati adversus potestatis sufficientiam invincibiliter ignoratam, ut patet ex dictis de lege & beneficio; & aliundè in causa pariter dubia præsumendum pro Prælato contra subditum, uti pro causa & bono communi contra causam particularem & bonum particulare. Ad septimum: licet die Jovis, &c. comedere carnes, non die Sabbathi, &c. quia melior est conditio diei Jovis in qua licet, adversus diem Veneris invincibiliter ignoratum; tantumque abest, ut oppositio Gonetii faciat hanc rationem ridiculam, quin potius se ridiculè exsibilandum perhibeat, qui talem oppositionem format, quasi verò audiri debeat gulosus adversus legem abstinentiæ certò possidentem, si dicat, *odia restringenda, favores ampliandi*, uti à carnibus temperans, si dicat *melior est conditio legis abstinentiæ certò possidentis adversus Dominicam & comedendi carnes libertatem invincibiliter ignoratam*: non enim hinc, sed inde sequerentur, argumento à simili, inconvenientia, quæ nostræ sententiæ affingit.

Si posterius: subest vincibilis ignorantia obligationis, quâ stante, peccati periculum non tollitur, & semper pars tutior (non solum probabilior, ut malè docet, ex attentis præmissis contra ipsum *Resol.* 6. & 9.) sequenda secundum *Resol.* 11. huic præmissam, quas nondum penetravit, & modô, si velit, perpendere poterit.

Instabis: quid si pro utraque parte in concursu opinionum æquè probabilium, post sufficientem adhibitam diligentiam non solum stet certæ possessionis ignorantia invincibilis, sed & tutioris partis, ut v. g. in contractibus, judiciis & concurrentia præceptorum incompatibilium, in quibus absque præjudicii propriæ aut tertiæ personæ optio non detur?

Respondeo: locum habere Domini Fagnani in Cap. Ne innitaris num. 231. 235. & 244. doctrinam, hasque Regulas servandum.

In dubio actus valeat potius quàm pereat.

Præferendum est quod in regione in qua actum est frequentatur.

Ad probatam consuetudinem attendatur.

Pronuntiandum potius pro Reo, quam Actore.

Quod benignius, quod verosimilius, quod plerumque fieri solet, præferatur.

Ubi sunt opiniones discordes, Judex sequatur communem.

Ad Superiores, vel etiam ad Sedem Apostolicam recurratur. Quod sumptum videtur ex verbis Deuteronomii cap 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse prospexeris, & Judicum extra portas tuas videris verba variari, venies ad Sacerdotes, & ad Judicem qui fuerit illo tempore, & facies quæcumque dixerint, sequerisq; eorum sententiam.* Quibus bene subdit P. Gonetius *dissert. Theolog. de opinionum probabilitate art.* 5. in fine. *Quia tamen ut refert D. Ambrosius in cap.* Judicet 3. *qu.* 7. Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis, sed juxta leges & jura pronuntiat: *Si etiam respectu ejus res prorsus ambigua sit, & non poßit eam certò dirimere, debet vel abstinere à judicio, vel dividere sententiam, propter conflictum argumentorum, ut fecit Salomon, cum judicavit puerum à duabus mulieribus sibi oblatum, esse dividendum: licet enim id egerit tentandi gratiâ, erat tamen secundum se conforme regulis justitiæ: vel tandem partes ad concordiam reducere, ut latius prosequitur Fagnanus ex ipso corpore juris, vel ex aliis Jurisconsultis, in cap. citatum* Ne innitaris, *n.* 231. 235. & 244.

D. CA-

D. CARAMUEL.

Apologematis *pro doctrina de probabilitate* Epist. 1.

1 NUm. 21. Et hic obiter noto D. Fagnanum paucis verbis Catholicorum Doctorum, Ecclesiæ Patrum & sacrorum Canonum locos citare: aut enim locum merum producit: aut, si formalia verba citare placeat, unâ aut alterâ lineâ contentus est. At ubi ad Jansenistas ventum, hujus Hæreseos Principes, non Velites & gregarios milites nobis proponit: & illos tam prolixè citat, ut à pag. 95. n. 336. ad pag. 103. inclus. per 17. columnas in interrupto discursu legere Jansenistas cogamur. Ex illis sic, & non aliter, poterit D Fagnanus contra Theologos argumentari. *Doctrina Jansenistarum est Regula morum: At doctrina de probabilitate, quam tuentur Theologi, doctrinæ Jansenistarum est contraria. Ergo est contra Regulam morum. Ergo est perniciosa. Ergo est abyssus, quæ abyssum invocat. Ergo homines in infernum propellit*, &c. Sic inquam, & non aliter, poterit D. Fagnanus argumentari: si enim Jansenistarum doctrina non esset opinione suâ Regula morum, non expenderet septemdecim paginas, ut illorum verba referret, quibus nostram doctrinam corrigeret, & suam fundaret.

2 *Num.* 40. Periissent sanè illæ Doctorum Jansenistarum Censuræ, vel ad paucorum devenirent notitiam, nisi voluisset illas D. Fagnanus in suo Opere perennare. Dices. Etsi Jansenistæ illi Censores fuerint, stare debebunt Censuræ; nam illas morales Quæstiones nullibi resolvit Jansenius; quamobrem Doctores illi Lovanienses, ut ut, è Jansenismo fuerint, non fuerunt hîc loquuti ut Janseniani. At ego illos, & Jansenistas esse, & ut Jansenistas pronuntiasse respondeo; nam, quia *Quem semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu.* Fieri non potuit, ut Jansenistæ aliter Censuras has exhiberent, quàm in aliquibus illarum suam hæresim protrudendo: & ideò eligam duas, quarum Censuræ, quas ut morum Regulas nobis proponit D. Fagnanus, sunt Hæreticæ.

3 *Num.* 25. Censuræ subjicitur hæc Propositio. *Ut actio quæpiam sit pecca-*

peccaminosa, oportet, ut procedat ab homine, qui noscit & percipit, quid boni malive in ea sit; & antequam id videat, aut animum reflectat, actio neque bona est neque mala. Est evidens: & fide Orthodoxâ tenenda. Evidens; quia *nihil volitum, quin præcognitum*: & *nihil malum bonúmve nisi volitum.* Est de fide: homo enim non nisi volens peccat. Sed qualis est quæso Jansenistarum judicio. *Est*, inquiunt, *contra communia Theologiæ Christianæ* (Lutheranæ, Calvinianæ, & Jansenianæ debuissent dicere) *principia: & innumera etiam immanissima hominum peccata excusat cum pernicie animarum.*

Relatio ex D. FAGNANO *in cap. nè innitaris*

Sententiarum, quas D. CARAMUEL ut Jansenistas carpit.

4 NUm. 336. *Libet etiam hîc referre assertiones periculosas plurimorum recentiorum in materia Theologiæ moralis, quas Parochi Urbis Parisiensis, & Rothomagensis, ut mihi relatum fuit, universo Clero Gallicano authoritate Superiorum damnandas proposuerunt excerptas ex eorum libello supplici oblato in Novembri 1656. Cum perspicuè D. Thomas sentiat* quodlib. 3. art. 10. & quodlib. 8. art. 13. *opiniones Doctorum minimè impedire, quò minus quis reus fiat, dum agit contra legem Dei. Contra asserunt hi recentiores, opinionem aliquam probabilem esse, cum ab uno solo Doctore gravi sustinetur; & à peccato immunem esse, qui relictâ opinione, quam veram credit, & quæ magis tuta, contrariam sequitur minus probabilem, minusq; securam. Filliuc. moral. quæst. tract. 21. cap. 4. n. 128. Tannerus Theol. schol. tom. 2. disp. 2. q. 6. dub. 3. Sanchez in Sum. lib. 1. c. 9. n. 7. Layman Theol. moral. lib. 1. tract. 1. c. 5. §. 2. n. 6.*

5 *Opiniones probabiles efficere, ut quod olim peccatum erat, modò amplius non sit. Vide Caramuel Epist. ad Antonin. Dianam, posse Casuistas respondere juxta opiniones non suas, tametsi eas falsas credant, ut suis consultoribus faveant, atque adeò eosdem respondere posse juxta sententiam unam, atque oppositam. Layman Theol. moral. lib. 1. tract. 1. c. 5. §. 2. n. 7. Escobar Theol. moral. tract. 1. c. 3. n. 24. Conditiones ad actum peccandi tot, atque tantas*

tantas ab iis requiri, ut innumera crimina excusari possint. Baunii Sum. peccat. c.39. p. 906. edit.6.

6 *Enervare eosdem Ecclesiæ canones in mollissima punitione criminum quantumvis atrocium. Escobar Theol. moral. tract.* 1. *exem.*8. *c.*3.

7 *Posse quempiam occidi, ut ejus impediatur alapa, aut percussio fustis. Azor. instit. moral. art.*3. *lib.*2. *p.*105. *Filliuc. tom.* 2. *tract.*29. *c.*3. *n.*50. *Lessius de just. & jur. lib.*2. *c.*9. *d.*12. *n.*77. *Escobar Theol. moral. tract.* 1. *exemp.*7. *c.*3. *Becanus Summ. par.*3. *tom* 2. *c.*69. *de homicid. quæst.*8.

8 *Etiam Ecclesiastico uti, & Religioso licere scientia, ac virtute partum honorem tueri, hominem perimendo, qui contumeliis, atque calumniis illum appeteret. Amicus tom.*5. *disp.*36. *n.* 118.

9 *Doctrinam hanc Amici, quæ dat facultatem Religioso hominem perimendi, qui calumniam illi comminatur, à Caramuel propugnari, tanquam omnium communem, cujus contraria neque sit probabilis. Theol. fundamental. fundamen.*55. *§.*6. *pag.*544.

10 *Jure ambigi posse, si Religioso mulierem à se turpiter cognitam occidere haud liceat, quandò factum vulgat. Caramuel, ibid. §.*7. *pag.*551.

11 *Sicut haud est nefas tueri honorem contra invadentem, falsum crimen illi impingendo, & fas esse illum occidendo. Caramuel Theol. fundam. fundam.*55. *§.*6. *pag.*550.

12 *Licitum esse juxta quosdam (speculativè) aut juxta alios etiam (practicè) sauciare, ac interimere, qui colaphum impegerit, tametsi aufugiat. Lessius de just. & jur. lib.*2. *c.*9 *dub.*12. *n.*79. *Reginaldus in praxi lib.*21. *n.*62. *Filliuc. tract.*29. *c.*3. *n.*5. *Layman. lib.*3. *tract.*3. *part.*3. *tom.*3. *n.*3. *Escobar Theol. moral. tract.*1. *exemp.*7. *c.*3. *Praxis Caramuel Theol. fundam. fund.*55. *§.*8. *pag.* 551.

13 *Falsum accusatorem, atque adeò testes, & judicem licere occidere, quandò aliter oppressio innocentis impediri nequit. Tannerus tom.*3. *disp.* 4. *q.*8. *d.* 4. *n.*83. *Sanchez oper. mor. in Decal. lib.*2. *c.*39. *n.*7.

14 *Procurare abortum, licere ante animationem fœtus, ut consulatur vitæ, & honori puellæ. Ægidius Trullench. in Decal. tom.*3. *lib.*5. *c.* 1. *dub.*4. *n.*1. *Et quidam Theologus apud Dianam par.*6. *tract.* 8. *resol.*37.

15 *Jure posse occidi, qui dicit, mentiris, aut injurias profert. Escobar Theol. moral. tract.*1. *exemp.*7. *c.*3. *Reginaldus lib.*21. *c.*5. *n.*60.

16 *Posse quoque occidi, qui bona nostra eripit, etiam fugientem, dummo-*

dò pretiosum quid auferat. Lessius de just. & jur. lib. 2. c. 9. d. 11. n. 66. & 72. Escobar Theol. moral. tract. 1. exemp. 7. c. 3.

17 *Quibusdam casibus permitti acceptationem duelli. Escobar Theol. moral. tract. 1. exemp. 7. c. 3. Layman lib. 3. tract. 3. p. 3. c. 3 n. 2. & 3. Hurtado de Mendoza in 2. 2. disp. 170. sect. 9. §. 82. apud Dianam par. 5. tract. 19. Miscell. 2. resol. 99. Simoniam non esse dare, aut recipere bonum temporale pro spirituali, quandò datur, ut motivum, & non quasi pretium. Gregor. de Valent. disp. 6. q. 16. punct. 3. pag. 2039. & seq. Escobar Theol. moral. tract. 6. exemp. 2. c. 6. n. 40. Milhardus in Manuductione Curatorum c. 63. instit. 1. n. 2.*

18 *Item simoniam non esse, beneficium acquirere, promittendo pecuniam, quandò intentio numerandi deest. Escobar Theol. moral. tract. 6. exemp. 2. c. 2. n. 19.*

19 *Divinatorem teneri ad restituendam rem acceptam pro divinatione, si solum consulvit astra: si dæmonem, non item. Sanchez Sum. Casuum l. 2. c. 38. n. 96.*

20 *Neminem teneri, aut jure naturæ, aut legum restituere acceptum pro proferenda sententia injusta, aut assassinatu committendo, vel adulterio, verum licitè illud retinere. Lessius de just. & jur. lib. 2. c. 19. dub. 8. num. 52.*

21 *Lata janua aperta furtis domesticis per Baunii Sum. peccat. p. 213. & 219. edit. 6.*

22 *Restituenda non esse damna, quæ tertius fecit, nobis authoribus. Baunii Sum. peccat. p. 307. edit. 6.*

23 *Sub pœna peccati mortalis obligationem non esse ad restituendam totalem summam per minutiora plurima furta acquisitam. Baunii Sum. peccat. p. 220. edit. 6.*

24 *Usura palliata ab istis Casuistis sub nomine Majoris, cui perperam imponunt. Baunii Sum. peccat. p. 33. & seq. edit. 5.*

25 *Invidiam non esse peccatum mortale ob proximi bonum temporale conceptam. Baunii Sum. peccat. p. 123. edit. 6.*

26 *Quod Sacerdos pecuniâ accepta pro Sacrificio Missæ celebrando, aliam possit recipere pro Sacrificii parte ad ipsum spectante. Escobar Theol. moral. tract. 1. exam. 11. c. 9.*

27 *Missam ritè audiri, dum quatuor ejusdem partes, eôdem tempore audiun-*

*audiuntur. Escobar Theol.moral. tract.*1. *exam.*11.*c.* 9.*p.*146.*edit. Lugdunens.*1644. *Baunii Theol.moral. p.*1. *tract.*6.*de præcepto audiendæ Missæ q.*9.*p.*312.

28 *Obligationes jejunandi relaxat Escobar Theol.moral. tract.*1. *exam.* 13.*c.*3.

29 *Curam Confessarii in judicando statu pœnitentis huc demum reduci, si petenti num doleat de peccatis cum proposito non amplius ea perpetrandi, id verbulô affirmet, eiq; Confessarium credere oportere. Filliuc. mor. quæst. tom.*1. *tract.*7.*n.*359. *Suarez in* 3.*par. tom.*4. *disp.*32.*sect.*2.*n.*2.

30 *Quod pœnitens, tametsi interrogatus à Confessario, non sit obligatus ei confiteri peccatum, de quo se accusat, consuetudinis esse, seu in quod frequentius labatur. Baunii Theol.moral.par.* 1.*tract.*4.*de pœnit.q.*15.*p.*137.

31 *Tametsi occasio proxima peccandi dicenda sit, quæ per se ad peccatum ducit, & in qua homo constitutus nunquam, aut ferè nunquam, immunis est à lapsu, posse nihilominus in ea manere, imò sese ultrò in hanc conjicere ob spirituale, aut temporale suum, aut proximi bonum. Baunii Theol. moral. p.*1. *tract.*4. *de pœnit. q.*1.*pag.*93. & 94.

32 *Concubinarium haud teneri pellere domo concubinam, verum solum polliceri se non deinceps cum ea peccaturum, quandò eâ relictâ, tristius vitam transigeret Sancius in Select.disp.*10.*n.* 20. *apud Dianam* 5.*par.tract.* 19.*resol.*108.

33 *Quod ratio damni temporalis facit, ut absolvi queat constitutus in proxima occasione peccandi, tametsi eam non relinquat. Baunii Theol.moral. par.*1. *tract.* 9. *de pœnit. q.*19.*p.*94.

34 *Absolvendos esse, qui sunt in proxima occasione peccandi, tametsi incestus, absque obligatione, ut sese sejungant, quandò horum lapsus frequentes non sunt, aut ferè quotidiani: sed solum quotô mense semel atque iterum. Imò absolvendum toties quoties filiumfamilias, qui domum paternam deserere nequit, aut pellere ancillam è domo, quâ sæpè abutitur, etiamsi spes nulla effulgeat à peccato eum abstenturum, quamvis promittentem. Baunii Sum. peccat. c.*46.*p.*1084.*edit.*6.

35 *Toties quoties item absolvendos esse juniores, qui sese polluunt, atque reincidunt semper in eadem mortalia peccata, etiamsi non conantes ab his abstinere. Baunii Theol.moral.par.*1. *tract.*4. *de pœnit. q.*15.*p.*96.

36 *Neque denegandam, neque differendam absolutionem esse iis, qui solent*

ex habitu mortaliter peccare contra legem Dei, naturæ, & Ecclesiæ, tametsi nulla spes appareat horum emendationis. Baunii Theol.moral.p.1. tract.4. de pœnit. q.22.p.109.

37 *Quod dolor de peccato admisso conceptus ratione mali temporalis, quod propterea incursum sit ob jacturam factam sanitatis, aut pecuniæ, sufficiat ad recipiendam gratiam absolutionis, modò in animum inducat hoc malum à Deo immissum fuisse. Escobar p.11. tract. 7. exam.9. n. 91. Amicus tom.8. disp.3. n.13.*

38 *Homines non obligari præceptô charitatis unicum amoris Dei actum elicere, aut aliquod præceptum observare motivo ejusdem amoris, quodq; non tam injunctum sit Deum diligere, quàm hunc non odisse. Antonius Sirmond. in defens. vir. tract. 2.*

39 Num.337. *Quadragesimum-primum fundamentum sumitur ex Epistola typis excusa Archiepiscopi Mechliniensis ad Eminentiss. Cardinales Inquisitionis Romanæ Præfectos, cujus tenor talis est:*

Eminentissimi, ac Reverendissimi Patres, ac Domini.

40 SAcræ vestræ Congregationis litteras die 18. Aprilis signatas, sequentis Maii die 21. recepi, quibus indicat se precibus N. inclinatam, censuisse injungendum mihi, ut Presbyteris . . . . . alioquin examinatis, & approbatis, licentias audiendi confessiones personarum sæcularium concedere non prætermittam; nisi forsan aliquid in hoc subsit, quod animam meam contristet, justasque causas intra trimestre coram ipsa Sac. Congregat. allegandas, hujusmodi licentias denegandi habeam; futurum alioquin, ut alteri Episcopo facultas demandetur eosdem examinandi, atque approbandi, si intra præfixum spatium congruas denegationis meæ rationes proferre neglexero. Hoc est, Eminentissimi Patres, quod urgente extrema senecta mea ad dandam supremo Judici totius villicationis meæ rationem, supra quàm dici potest, animum meum contristat, quod non tantum mundum in maligno esse positum, sed quotidiè videam in pejus & pejus refrigescente charitate declinare. Hujus miserandæ declinationis causa, (ut partim experientiâ propriâ observavi, partim ex judicio, & relatu virorum, qui mihi ab integritate morum, zelo animarum, doctrinâ, & rerum usu

uſu probati ſunt, ſæpius cognovi) prima & potiſſima eſt hodierna multorum Confeſſariorum indulgentia, quâ nimis laxant habenas peccatoribus, fidentes quibuſdam noviter inventis opinionibus quorundam Theologorum, quorum ſtudium non tendit ad ſectandam Evangelicam veritatem, & traditam nobis à ſanctis Patribus vitæ normam, ſed ad excuſandas excuſationes in peccatis, & eorum turpitudinem palliô probabilitatis obvelandam. De quibus Propheta Ezechiel. *Veh. qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas.*

41 *Num.* 338. In ejuſmodi pernicioſis exceſſibus eò uſque proceſſum eſt, ut ſi quis omnia inſolentia paradoxa ex quorumdam libris, & praxi excerpere velit: quibus hodiè Eccleſiæ præcepta de obſervandis jejuniis, feſtis, lectione Horarum Canonicarum eluduntur, ſimoniæ, privatæ venditæ, mendacia, perjuria palliantur; obligatio vitandi occaſiones peccatorum extenuatur, Sacramentorum valor, & effectus evidenti periculo nullitatis exponuntur: non epiſtola una, ſed liber integer conſcribendus foret. Cum autem laxæ regulæ, quæ depravatis hominum affectibus allubeſcunt, facilè eorum judiciô probentur, viſi ſibi hôc ſucceſſu earum Authores utilem Eccleſiæ operam præſtitiſſe, & auſi petulanter gloriari, ſe probabilitatum rotis quotidiè cœli viam ampliare, hoc eſt eſſe terminos arctæ viæ, quæ ducit ad vitam, ſemel à prima, & inflexibili veritate fixos, denuò propriis ſuis adinventionibus refigere. Dum adverſus adulterinam hanc Theologiam ſolidioris doctrinæ, Chriſtianæque diſciplinæ cultorum querelas audivi, & non ceſſant hæretici nobis vicini improperare Eccleſiæ noſtræ Catholicæ, talia à quibuſdam ejus Doctoribus circa mores tradi, qualia nec inter gentes audiuntur, laxiores, & pericuoſiores articulos, quorum copia hiſcè jungitur, partim ex libris publicè editis, partim ex obſervatione praxis quorumdam mihi fideliter relata, colligi curavi, deſuperque eruditorum meæ Diœceſeos, tum ſæcularium, tum Regularium judicium, & cenſuram exquiſivi. Quibus viſis, & expenſis conatus ſum mollioribus remediis huic malo occurrere per me, & Examinatores meos, monendo admittendos ad excipiendum Confeſſiones, ut ſibi à laxiori doctrina caverent; ſubindè quoque eruditô aliquô ſcriptô curavi unum, vel plures ex hujuſmodi articulis refutari. Sed cum obſer-

observaverim hanc cautelam nequaquam sufficere, & acrioribus remediis opus esse, proposui non admittere vel sæculares, vel regulares ad munus Confessarii, nisi promitterent, etiam juramentô, quod à dictorum articulorum praxi sibi caverent. Contigit sub hoc tempus, hoc est anno 1652. die 28. Aprilis sese præsentare examini plures Regulares .... judicavi me opportunè tunc posse exequi, quod animô conceperam, & siquidem inchoando à dictis Religiosis: tum quia existimabam, quod dum illi ad dictam promissionem præstandam, & observandam essent voluntarii, aliorum quoque Ordinum Religiosi non essent refractarii: tum quia ipsi laxioribus doctrinis in veniendis, & practicandis præ cæteris esse addictos certis experimentis didici: è quorum multis unum observatum est in examine anno, & die supradictis coram Examinatoribus à me deputatis instituto: In illo enim dicti Religiosi ex proposito circa articulos periculosos examinati, multos ex illis mordicus sustinuerunt, nominatim illum (quem etiam aliundè mihi constat ab iisdem Religiosis fuisse practicatum, quod liceat sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ festivitatis, aut indulgentiæ. Quô semel admissô, passim confessiones non integræ erunt, cum dicti Religiosi ad sua templa trahant magnam populi frequentiam, & insuper graves peccatores, metu explicandi graviora sua crimina, avidè arrepturi sint opportunitatem obtinendi absolutionem, præmissâ tantum explicatione unius, alteriúsve levioris delicti. Hinc septem ex dictis Religiosis, qui cæteroquin specimen sufficientis doctrinæ dederant, distuli admittere ad Confessiones sæcularium audiendas, donec cum juramento promitterent, quod non conformarent se præfatis articulis in dirigendis conscientiis. Quia verò prævidebam fore, quod juramentum non præstarent sine Superiorum suorum assensu, hinc dictam copiam articulorum illis tradidi, ut Superioribus suis exhiberent, promiseruntque se illis exhibituros.

42 *Num.* 339. Sed nullum hactenus responsum vel illi, vel Superiores illorum mihi dederunt, nisi quod ab uno ex .... quem judicabam esse Professorem in eorum .... Lovaniensi, mihi dictum sit, aliquos quidem ex dictis articulis editos esse à .... in Francia: sed Belgas ad ea non attendere. Ad quod replicabam, quod cum non solerent permitti

mitti impressiones librorum .... nisi postquam à tribus Theologis per Provincialem deputatis approbati essent, nemini dubium esse posset, quin omnes de .... haberent pro probabili id, quod tot Theologis cum Authore libri visum fuisset imprimi posse. Quibus omnibus considerata, hucusque non potui comprehendere, cur per exactionem dictæ promissionis dicti Religiosi sibi per me aliquod gravamen inferri existimarent. Quod si prætensa sua gravamina allegassent, ea maturè expendissem; & si justas aliquas querelas proposuissent, nequaquàm inhærere proposito meo voluissem: non enim mihi mens fuit quidquam iniquô animô adversus illos statuere; sed ruinam salutis ovium mihi commissarum ab invalescente hodiè laxitate quorumdam Confessariorum, quam præsertim à .... verebar, avertere. Quia verò suspicari non potui alio ipsos prætextu ad subterfugiendum uti, quàm quia fortè inter censuratos articulos aliqui sunt, quos forsan existimant benigna interpretatione se posse in meliorem partem trahere, vel plausibilibus argumentis ita stabilire, ut non videantur tam acrem censuram mereri, ne multas intricatas disputationes sine spe utilitatis cogerer ingredi; eosdem articulos transmisi Facultati Theologicæ Academiæ Lovaniensis maturius expendendos, ut tantummodò excerptis inde assertionibus, quæ planè evidentis sunt absurditatis, dignâ eos censurâ perstringeret: & si quas alias paris absurditatis vel ex libris, vel ex praxi Confessariorum comperisset, illis excerptis adjiceret; prout factum est partim 30. Martii, partim 26. Aprilis 1653. dum assertiones numero 17. judicavit in praxi non tolerandas, & authoritate Superiorum meritò prohibendas, ut ex adjuncta copia videri potest. Ut igitur, Eminentissimi Domini, mandato vestro in omnibus paream, quantum possum, & interim in eliminandis perniciosis doctrinis, id quod Episcopalis est muneris, non prætermittam, paratus ero Religiosos prædictos, quandò nihil obstabit aliundè, ad excipiendum confessiones admittere, dummodò cum juramento debitæ authoritati promittant, quod saltem istis 17. assertionibus, quas similiter aliis tam sæcularibus, quàm Regularibus proponam, nunquam in praxi se conformabunt: quod confido Eminentias vestras æquissimum judicaturas, de quibus Eminentias vestras hâc occasione certiores reddere volui: nimirum, quod à Regularibus non observetur decretum sacræ Congregationis negotiis, &

Consultationibus Episcoporum, & Regularium præfectæ de die 15. Junii anni 1647. quô declaratur Regularibus non competere licentiam absolvendi à casibus Ordinario loci reservatis, aut inposterum reservandis; proindè non posse illa facultate uti sine licentia ab Ordinario obtenta; tametsi dictum Decretum curaverim tertia mensis Octobris 1647. omnium Ordinum Regularium Superioribus insinuari. Nam unus tantum Regularis ex Ordine S. Augustini facultatem illam à me petiit, cui etiam tanquam viro cordato, & timorato eandem concessi. Cæteri prætendunt, nescio quæ privilegia, aut privilegiorum communicationes: insuper Decreti nullitatem; quia ipsis inauditis, emanarit. Alii dicunt, illud tantum esse declaratorium, proindeque non valere adversus sua privilegia, quæ non cessant sine Decreto, ut aiunt, abrogatorio. Quin etiam aliqui sunt tam temerarii, ut audeant dicere, nequidem sanctissimum Dominum ipsorum privilegia revocare, aut limitare posse, cum sint eis concessa ob sua merita. Alterum est, quod Regulares plurimi in mea Diœcesi confessiones excipiunt, etsi nec à me, nec à prædecessoribus meis approbati sint, prætendentes satis esse, quod approbati sint ab alterius Diœcesis Episcopo. Ideoque nuper mandavi, ut ex copia mandati adjuncta patet, omnibus Regularibus, ut nomina, & tempus approbationis à me, aut prædecessoribus meis datæ exhiberent: quod à plerisque factum est, & deprehensum quoque multos se intrusisse in munus Confessarii in mea Diœcesi sine dicta approbatione. Sed quod non satis mirari potui, ubi mandatum illud venit ad notitiam Abbatis S. Angeli, in Belgio Suæ Sanctitatis Internuncii, voluit, & mihi insinuari curavit, ut dictum mandatum revocarem: cum tamen præterquam quod antiquitus id observatum sit, & in Synodo Provinciali Mechliniensi à Summo Pontifice Paulo Quinto confirmata, pro regula constitutum sit tit. 5. c. 1. de Sacramento Pœnitentiæ verbis comprehensis articulô hic junctô, etiam Sanctissimus Dominus Noster nuper suô Brevi expeditô anno Dómini 1648. 14. Maii in causa Episcopi Angelopolitani idipsum voluerit observari, decernens Regulares, etiam Societatis Jesu, in una Diœcesi ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum sæcularium audiendas, nequaquàm posse in alia Diœcesi hujusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi Diœcesani; prout Eminentiis vestris scio esse notorium.

rium. Hæc sunt, Eminentissimi, ac Reverendissimi Patres, ac Domini, quæ pro Disciplinæ Ecclesiasticæ bono, sacræ Congregationi vestræ significare volui, confidens pio ejus zelô, & vigilantia, quod non gravabitur mihi adhuc alios efficaciores modos, & media præscribere, quibus ejusmodi non negligendis abusibus obviare possim, & cum omni submissione venerando purpuras vestras, maneo.]

Em. Dominationibus Vestris

Bruxellis 17. *Julii* 1654.

Humillimus famulus

JACOBUS Archiepiscopus Mechliniensis.

43 SUbsequuntur septemdecim Assertiones non tolerandæ in praxi, & authoritate Superiorum meritò prohibendæ.

44 1. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis futuræ spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodò ore proferat se dolere, & proponere emendationem.*

45 2. *Potest aliquandò absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimò directè, & ex proposito quærit, aut se ingerit.*

46 3. *Copula cum conjugata, consentiente maritô, non est adulterium. Et mollities, sodomia, bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, adeoq; sufficit in primo casu dicere in confessione se esse fornicatum, & in secundo se procurasse pollutionem.*

47 4. *Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.*

48 5. *Licitum est, tam in judicio, quàm extra judicium, jurare cum restrictione mentali, non habitô respectu ad intentionem ejus, qui petit juramentum.*

49 6. *Licet aliquandò interficere adversarium, aut illum infamare (etiam imponendo illi falsa crimina) sine peccato mortali.*

50 7. *Licet Clerico, vel Religioso calumniatorem, gravia crimina de se,*

vel de sua Religione minantem occidere, quandò alius defendendi modus non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus ea, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, ac coram gravissimis viris impingere, nisi occidatur.

51 8. *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, sepositô scandalo, si absit contemptus.*

52 9. *Quidam putant probabiliter, nondum animatô fœtu, licere abortum ad vitandum scandalum, aut mortem, procurare. Ex quo apparet non condemnandam facilè puellam abortum facientem, cum nondum est animatus fœtus, ne deprehensa gravida occidatur, aut infametur.*

53 10. *A parato maleficium maleficiô solvere, licet idipsum petere.*

54 11. *Qui apud Mendicantes communicant intra dies Paschales, satisfaciunt præcepto Ecclesiæ de communione annua, nec tenentur illi in sua Parochia communicare.*

55 12. *Peccata in confessione omissa, ob istans periculum vitæ, aut aliam causam, non tenemur posteà in confessione exprimere.*

56 13. *Non solum licitum est defendere (defensione occisivâ) quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus iis inchoatum habemus, & quæ non possessuros speramus: quarè licitum est tam hæredi, quàm legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem.*

57 14. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

58 15. *Ad defendendum honorem suum acceptare duellum, & occidere provocantem, non est mortale peccatum.*

59 16. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta quantacumque sit summa totalis.*

60 17. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam quoque culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.*

61 *Suprascriptas Assertiones numerô septemdecim sacra Facultas Theologica in studio generali oppidi Lovaniensis, congregata in Curia Academica 30. Martii, & 26. Aprilis 1653. judicavit, & resolvit in praxi non tolerandas, & superiorum authoritate meritò prohibendas.*

62 His

62 His addimus aliam consimilem Epistolam Episcopi Gandavensis ad Facultatem Theologiæ Lovaniensem tenoris infrascripti videlicet.

Admodum Reverendi, ac eximii Domini.

63 ILlustrissimus, ac Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Mechliniensis, nuper defunctus piæ & recolendæ memoriæ, pro singulari sua erga gregem sibi commissum vigilantia & sollicitudine, miserat ante annos aliquot sacræ vestræ Facultati nonnullas propositiones morales admodum laxas, & perniciosas examinandas, ac censurandas, ut si ità judicium ferret, earumdem praxim in Diœcesi sua prohiberet, & animarum Rectoribus ac Confessariis expresse mandaret, ne ullô pactô eas sequerentur, admitterent, aut docerent: quod & juxta censuram vestram præstitit, ac facti sui rationem sacræ Congregationi Cardinalium S. Conc. Trid. Interpretum aperuit; dictasque propositiones, ut præfertur, censuratas transmisit, ut authoritate sua superiori pium illud incœptum promovere dignarentur. Eminentissimi Patres zelum, atque prudentiam ipsius, ut accepimus, summoperè laudarunt litteris ad ipsum datis Romæ 14. Novembris 1654. & renuntiarunt dictas propositiones à se remissas ad S. Congregationem generalis Inquisitionis examinandas, & qualificandas, ut eô peractô, opportunè tanto malo prospiceretur. Remedium illud Christianæ Religioni, & Ecclesiasticæ disciplinæ pernecessarium hactenus expectatum est, nondum tamen obtentum. Intereà experimur summô animi nostri, & proborum omnium dolore, nimiam illam quorundam recentiorum licentiam in excogitandis vanis, & inutilibus quæstionibus, quæ proficiunt potius ad impietatem, & serpunt ut cancer, stabiliendisque novis opinionibus & commentis continuè augeri, & invalescere; probabilitates, quibus solis innititur, magis, magisque recipi, & confirmari, Ecclesiasticam disciplinam paulatim pessumdari, dogmata Evangelica negligi, mores perverti, virtutes sperni, vitia speciosis prætextibus obvolvi, & à corrupta natura passim magnis amplexibus arripi, ac sensim omnem solidæ & sinceræ pietatis normam à fidelium cordibus exulare: quibus enim modis, & authoribus, quæ vix fermè jam sunt probabilia,

iisdem fiunt & licita; mendacia, fraudes, perjuria, calumniæ, homicidia, usuræ, furta, simoniæ, & si quid nefandi ipsa quoque natura exhorret, nonnisi à rudibus, & idiotis modò perpetrari videntur. Acutiores verò, & sagaciores illi rerum inspectores, tot circumstantiis, suppositionibus, modis, conditionibus, involucris ista vitia norunt obducere, & fucatâ malitiâ in virtutes quodammodò transformare, ut non solum hominibus, sed ipsimet Deo, facilè imponerent, si possent. Imò verò, principiis ipsorum inhærendo, leges omnes, & jura, tam positiva, quàm naturalia probabilitatibus tandem cedere debebunt. Docent enim nonnulli authoritatem unius Doctoris probi & docti, reddere opinionem probabilem, & hanc unicuique licitum esse, etiam reluctante conscientiâ sequi; cui præmissæ si subsumantur aliæ duæ sequentes opiniones, quod nempè Confessarius teneatur sub peccato mortali absolvere eum, qui juxta probabilem sententiam operatus est, quamvis à parte rei sit falsa, & talis à Confessario judicetur, neque Judex sæcularis possit talem illæsâ conscientiâ punire: Quid quæso inde sequetur, nisi gravissimorum etiam criminum reos, modò doceant se unius Doctoris probi & docti opinionem secutos, ab omni lege & pœna, tam in foro poli, quàm in foro fori immunes esse & liberos. Et hæc quidem fusiùs fortassis, quàm necesse erat, apud eximias DD. vestras deposuimus, ut doloris nostri, & scriptionis unius causas cognoscant: quæ animum nostrum eò penitius feriunt, quod intelligamus laxas & perniciosas hujusmodi opiniones, non modò nimis liberè per Diœcesim nostram disseminari, & practicari; verumetiam quandoque pro concione plebi, non sine prudentiorum & cordatorum scandalo publicè tradi, doceri, & inculcari. Quid autem in privatis colloquiis, & præsertim sacris confessionibus agatur, supremus animorum scrutator & arbiter noscit, pravos saltem effectus, & conscientiarum corruptelas Confessarii plurimi, aliique viri probi, quotidiè experiuntur, ac deplorant. Urget interim subditarum ovium cura, à supremo Pastore Christo Domino nobis commissa, premit officii debitum, & instat reddenda ministerii ratio, ut pro viribus nostris opportunum quantocitius remedium adferamus: à nobis enim illam exiget, non ab illis, ad quos non pertinet de ovibus: sed si speculator, id est, Episcopus, viderit gladium, etiam perversæ doctrinæ, venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodie-

ſtodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam; ille quidem in iniquitate ſua captus eſt; ſanguinem autem ejus de manu ſpeculatoris requiram, inquit Dominus apud Prophetam ſuum Ezechielem. Neque enim ſolummodò conqueritur paulò inferius, quod Paſtorum incuriâ & deſidiâ greges facti ſint in rapinam luporum ſeu hæreticorum; verum etiam quod oves factæ ſint in devorationem omnium beſtiarum agri, quæ, licèt apertè non invadant, aut rapiant, occultè tamen inficiunt, & devorant gregem. Ac per eas non incongruè intelligi poſſent perniciofarum iſtarum opinionum Magiſtri, qui ſpeculationibus ſuis non niſi terrena, & carni allubentia ſapere videntur, animos autem ad cœleſtia & verè Chriſtiana non dirigunt; & cum puriſſimam aquam biberint, reliquam pedibus ſuis turbant, & ovibus præbent bibendam: quod omnes hæretici faciunt, inquit S. Hieronymus in hunc locum, ut carpant eloquia Scripturarum, & quantum in ſe eſt, maculent. Sed & Eccleſiaſtici viri, qui dogmatum non cuſtodiunt veritatem, ſed de ſuo corde confingunt, magiſtramque habent præſumptionem ſuam, ſimili errore tenentur, qui cum populo perſuaſerint vera eſſe, quæ fingunt, & in theatralem modum plauſus concitaverint, & clamores, immemores fiunt imperitiæ ſuæ, & adductô ſuperciliô, libratiſque ſermonibus, atque trutinatis, Magiſtrorum ſibi aſſumunt authoritatem. Ut itaque conſcientiæ meæ, & officio hâc in re ſatisfaciam, præter antedictas propoſitiones, nuper 30. Maii & 26. Aprilis 1653. à veſtra facultate cenſuratas, nonnullas alias hiſce injungo ad me delatas, atque judicio meo, & virorum doctorum ſæcularium, & regularium, quos ſuper iis conſului, perniciofas, eaſque ne temerè, aut leviter in re tanti momenti procedam, ad eximias DD. veſtras tranſmitto, & unicè rogo, ut dignentur pro ſingulari in Religionem & veritatem Catholicam zelo, jam toties comprobato, dictas propoſitiones, prout hîc jacent expreſſæ, maturè perpendere, & examinare: & quas in praxi perniciofas, aut non tolerandas judicaverint, cenſurâ ſuâ ſingulis, vel junctim appoſitâ, notare; ut ego deindè, quod muneris mei fuerit, ſtatuam, & eaſdem ad ſanctam Sedem tranſmittam, opemque denuò pro univerſali remedio implorem, ſi eximiis DD. veſtris operæpretium aut neceſſe videatur, ſuper quo earum judicium gratum quoque erit intelligere, & non ſolum mihi, ſed & fidelibus univerſis ſingulare beneficium præſtabunt. Deus

ſacrum

sacrum vestrum cœtum Ecclesiæ, & Reipublicæ Christianæ diutissimè servet, quod animitus vovet, & precatur.] Inferius habebatur. [Admodum Reverendarum, & eximiarum DD. vestrarum humilis servus.] Antonius Episcopus Gandavensis. Gandavo 9. Aprilis 1657.]

Responsum sacræ Facultatis Theologicæ Lovaniensis ad prædictas Litteras.

64 I*Llustrissime ac Reverendissime Domine.*
Quandoquidem Illustrissimæ gratiæ vestræ pro pio, & sancto illo zelo, quô gregi sibi commisso diu, noctuque sollicitè (uti Præsul & Pastor bonus) invigilat, nostrum judicium exposcere placuerit, super suspectis quibusdam, quæ in Diœcesi sua invehi incipiunt, dogmatibus: nolentes vel officio nostro, vel observantiæ, quam Ill. G. V. debemus, deesse, eadem ista dogmata attentè, & iteratis sæpè vicibus, tam collegialiter, quàm seorsim ante, pro materiæ gravitate perpendimus, & examinavimus, ac deprehendimus (uti schedæ hisce junctæ indicabunt) quod tantoperè ab Orthodoxis Doctrinæ Christianæ principiis exorbitent, tamque latam portam varii generis vitiis aperiant, ut omnes in ea unanimiter simus sententia, Præsulum Ecclesiæ esse, illa tanquam salutari Christi doctrinæ dissentanea profligare, & à Diœcesibus suis omni convenientiori, quô id expedire judicaverint, modô eliminare: recurrendo etiam in istum finem ad sanctam Sedem, eique supplicando, ut & ipsa manum salutarem huic tam pernicioso utrique Reipublicæ malo adhibere dignetur. Neque enim dubitare de ea possumus, quin visâ enormitate, potestate sibi à Domino in ædificationem concessa usura sit, & ne illud pestilenti suô afflatu latius in Ecclesia, pretioso Christi sanguine redempta, proserpat, efficaciter præpeditura. Intereà preces nostras apud D.D. M. enixè interponemus, ut Ill. G. V. in adulto hoc senio renovari faciat, ut aquilæ, juventutem suam, eamque Ecclesiæ, & nobis, multis adhuc annis, sospitem conservet, & incolumem.] *Infrà habebatur.* [Illustrissimæ ac Reverendissimæ Gratiæ Vestræ ad omne obsequium devotissimi famuli Decanus, & Facultas S. Theol. in Acad. Lovan.] *Signabat Gerardus Vanuerm pro tempore Decanus suo, & totius S. Facultatis nomine, Lovanii 5. Maii 1657.*

Asser-

Assertiones quædam doctrinæ moralis per facultatem Theologicam Lovaniensem ad requisitionem Reverendissimi Domini Episcopi Gandavensis examinatæ, & suis sigillatim censuris perstrictæ. Die 4. Maii anni 1657.

ASSERTIO I.

65 *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, aut temporali nostro, vel proximi.*

CENSURA.

66 *Falsa, temeraria, perniciosa, atque ab auditu fidelium procul arcenda assertio.*

II.

67 *Nemo tenetur occasionem proximam peccati vitare cum magno suo detrimento; unde nec concubinarius tenebitur dimittere concubinam, quæ ipsi nimis utilis est ad lucrandum bona temporalia, mediâ negotiatione, vel etiam ad oblectamentum concubinarii vulgò* regalo, *dummodò deficiente illâ, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno afficerent concubinarium, & alia famula ad id nimis difficilè inveniretur.*

CENSURA.

68 *Præcedenti assertioni consectaria, & similibus notis inurenda assertio, continens prætereà corollarium, uti Epicureorum placitis consonum, ità Christianorum regulis, quibus manum, pedem, & oculum quoque dextrum scandalizantem abscindere, atque à nobis abjicere præcipimur, adversum.*

III.

69 *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat, & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

CENSURA.

70 *Ne umbram quidem præfert probabilitatis, sed cumulum complet temeritatis, spatiosam calumniatoribus & impostoribus portam aperiens.*

IV.

71 *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui fustem, vel alapam nititur impingere, vel calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit*

Mm

quit. Idem quoque licet, quamvis post illatam fugiat.

CENSURA.

72 *Prior pars sub indiscreta sua generalitate nefariam, & humanæ vitæ injuriosam continet doctrinam. Posterior quoque non tam justam violentiæ repulsionem, quàm privatæ vindictæ executionem spirat.*

V.

73 *Licitum est occidere calumniosum actorem, testes, & injustum judicem ad servandam vitam, honorem, vel res familiares.*

CENSURA.

74 *Abominanda, execrandaque assertio, assassinatibus, sicariatibus, aliisque publicis justitiæ ministris, quin & ipsis quoque Principibus præsentissimum procreans periculum.*

VI.

75 *Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.*

CENSURA.

76 *Falsa, & Philosophiæ, ac Theologiæ principiis dissentanea assertio, perniciosè quoque concludens, siquidem ut in Apologetico pro Christianis c. 9. Monet Tertullianus* [Homicidii festinatio est prohibere nasci, nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet: homo est, & qui futurus est, & fructus omnis jam in semine est.] *Quapropter ad homicidii reatum, quod attinet, inculcanda potius fuerit fidelibus Augustini sententia ista serm. 244. de tempore.* Mulier quæcumque fecerit hoc, per quod jam non possit concipere, quantoscumque parere poterat, tantorum homicidiorum ream se esse cognoscat.

VII.

77 *Clarum, & certum est, judicem non posse punire aliquem, qui secutus est opinionem probabilem.*

CENSURA.

78 *Assertio relata ad eam probabilitatem, quam assertio 26. seu ultima obtendit, prorsus falsa est, & judiciariæ potestatis perperam coarctiva, seditionum, ac rebellionum invectiva, publicæ tranquillitatis turbativa, nec in republica rectè ordinata ullatenus toleranda.*

VIII.

VIII.

79 *Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

CENSURA.

88 *Furari nullô casu permissum est; quia intrinsecè malum: surripere autem alienum, permissum quidem est in extrema necessitate, quandò aliter haberi non potest; sed illud extendere indiffinitè ad necessitatem gravem, est dare ansam pauperibus ad passim furandum.*

IX.

89 *Famuli & famulæ domesticæ possunt occultè heris surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

CENSURA.

90 *Hæc assertio falsa est, naturam hominis de se pronam ad malum præcipitans in furta, ac domesticam pacem perturbans, eò vel potissimum, quod ista compensatio ipsorum famulorum & famularum judicio relinquatur.*

X.

91 *Qui cessit foro, potest sibi retinere bona, quibus indiget ad sustentationem familiæ, ne indecorè vivat, licèt debita, pro quibus cedit, sint ex injustitia & notoriô delictô contracta.*

CENSURA.

92 *Hæc assertio in sua generalitate falsa est, & perniciosæ sequelæ, utpotè plerosque fures, & alienorum bonorum usurpatores liberans à restitutione.*

XI.

93 *In causa æquali potest Judex aliquid ab una partium accipere, ut sententiam in ejus favorem ferat.*

CENSURA.

94 *Falsa est, justitiæ perversiva, & immanibus, ac quotidianis corruptelis viam sternens.*

XII.

95 *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

CENSURA.

96 *Apertè falsa est, & receptissimis justitiæ regulis contraria.*

XIII.

97 *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum.*

CENSURA.

98 *Hæc assertio periculosa est, & serviens ad excusandum, & palliandum usuras de jure præsumptas.*

XIV.

99 *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu venditionis prævie inito cum intentione lucri.*

CENSURA.

100 *Falsa est, & palliativa usurarum, præsertim cum emptori imponitur onus revendendi, uti in assertione.*

XV.

101 *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quandò temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quandò per temporale fit solum compensatio gratuita pro spirituali, aut è contra. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic, ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.*

CENSURA.

102 *Variæ istæ formalitates ut plurimum sunt pallia latentis simoniæ; & quamvis fieri subindè possit, ut nulla propriè dictæ simoniæ labes subsit, plerumque tamen subsunt sordes simoniæ affines.*

XVI.

103 *Pro intercessione ad beneficium obtinendum potest aliquid dari sine simoniæ suspicione.*

CENSURA.

104 *Falsa est & perniciosa, hominibusque ambitiosis, & indignis aditum aperiens ad beneficia per pecuniam promiscuè procuranda,*

XVII.

105 *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.*

CENSURA.

106 *Falsa est, & præceptorum Ecclesiæ elusiva, nec majorem habet apparentiam de quatuor Sacri partibus, quàm de viginti.*

XVIII.

XVIII.

107 *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.*

CENSURA.

108 *Irreligiosa est, & Sacramentis Christi injuriosa.*

XIX.

109 *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habitô respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.*

CENSURA.

110 *Patrocinatur humanæ ambitioni, justificat perjuria, & mandatum Regium inutile reddit.*

XX.

111 *Superfluum non est, quod homines servant pro statu sui, vel parentum qualitate, habita, vel adipiscenda; ideoque vix poterunt inter sæculares inveniri, qui superfluum habeant.*

CENSURA.

112 *Prior pars in sua generalitate falsa est, & cum posteriori, quæ inde deducitur, elidit obligationem eleemosynæ & misericordiæ impendendæ à Scriptura Sacra crebrò inculcatam.*

XXI.

113 *Non est nisi veniale, etiam absque utilitate, se cibo & potu usque ad vomitum ingurgitare, nisi ex hujusmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur.*

CENSURA.

114 *Scandalosa est, & falsa in sua generalitate, ac laxans habenas potatoribus ad se liberaliter ingurgitandum & inebriandum.*

XXII.

115 *Qui dormire nequit, nisi vesperi sumptâ cœnâ, non tenetur jejunare: imò neque in prandio collationem sumere, quamvis hôc modô isti incommodo obviare posset; quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum.*

CENSURA.

116 *Falsa est, & fundata super frivolo prætextu.*

XXIII.

117 *Defessus ex quocumque labore licito, vel illicito, v. g. cum fœminis commixtione, liberatur à lege jejunii.*

CENSURA.

118 *Falsa & castis auribus horribilis.*

XXIV.

119 *In rigore loquendo videtur, quod homo non teneatur unquam per totam vitam suam elicere actum amoris Dei.*

CENSURA.

120 *Impia, & primam legem Christianæ vitæ evertens.*

XXV.

121 *Ut actio quæpiam sit peccaminosa, oportet, ut procedat ab homine, qui noscit, & percipit, quid boni, malive in ea sit, & antequam id videat, aut animum reflectat, actio, neque bona est, neque mala.*

CENSURA.

122 *Est contra communia Christianæ Theologiæ principia, & innumera etiam immanissima hominum peccata excusat cum pernicie animarum.*

XXVI.

123 *Authoritas unius Doctoris probi, & docti reddit opinionem probabilem.*

CENSURA.

124 *Perniciosa est, & innumeras absurditates invehens in omni materia doctrinæ moralis.* [Ità judicatum per Collegium S. Facultatis Theologicæ Universitatis Lovaniensis die 4. Maii 1655. ac de mandato DD. Decani, & reliquorum Magistrorum ejusdem facultatis, subscripsit. Signatum. Gregorius Lipsius istius Facultatis Bedellus, & Notarius publicus.]

125 *His demum adjicimus sex alias propositiones in Urbe novissimè qualificatas ut sequitur.*

Decretum die 30. Januarii 1659.

126 IN Congregatione generali S. Romanæ, & universalis inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram Sanctissimo D. N. D. Alexandro VII. ac Eminentissimis & Reverendissimis

dissimis D.D. S. R. E. Cardinalibus in universa Republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalibus inquisitoribus, à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

127 Cum nuper à Regularibus Mendicantibus, Diœcesis Andegavensis, judicio Sedis Apostolicæ (ad quam dumtaxat fidei controversias, & morum universalis Ecclesiæ pertinet definire,) infrà insertæ propositiones fuerint oblatæ: de Mandato Sanctissimi D. N. D. Alexandri Divinâ Providentiâ Papæ VII. plurium Theologorum & Canonistarum, à Sanctitate sua ad id specialiter deputatorum, examini sint commissæ: quô peractô, ac relatô Sanctitati suæ unanimi eorumdem Theologorum atque Canonistarum censurâ, idem Sanctissimus, auditis votis Eminentissimorum & Reverendissimorum D.D. Cardinalium, generalium Inquisitorum, easdem propositiones, prout infrà qualificatas, authoritate Apostolicâ declaravit, & declaratas decrevit, & tales ab omnibus haberi præcepit.

I.

128 Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut sæcularium confessiones audire possint: neque de illius Concilii authoritate privilegia Regularium restringi possunt, cum id in Gallia receptum non sit, præterquàm in decisionibus fidei. Neque etiam Bulla Sixti IV. pro illius confirmatione promulgata.

129 Est falsa, temeraria, scandalosa, in hæresim & scisma inducens, Sacro Concil. Trid. & Sedi Apostolicæ injuriosa.

II.

130 Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas: neque illas ullâ ex causa revocare. Quin imò Ordinum Mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur. Et si ab Episcopis non probentur, rejectio illa valet tantum ac si approbatio concessa fuisset.

131 Complexè accepta est falsa, temeriaria, scandalosa, & erronea.

III.

132 Regulares Ordinum Mendicantium, semel approbati ab uno Episcopo ad Confessiones audiendas in sua Diœcesi, habentur pro approbatis

probatis

probatione. Regulares habent potestatem absolvendi à peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopo authoritas ista ipsis indulta non fuerit.

133 Quoad primam partem est falsa, & saluti animæ perniciosa. Quoad secundam partem est falsa, authoritati Episcoporum ac Sedi Apostolicæ injuriosa.

I V.

134 Nullus in foro conscientiæ Parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad Missas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in Catechesibus anunciantur, & docentur.

135 Quoad primam & secundam partem simpliciter accepta est erronea, & temeraria. Suppositis verò privilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram. Et quoad tertiam partem de auditione verbi Dei, servetur dispositio S. Concilii Tridentini.

V.

136 Talem legem in hac materia, nec Episcopi, nec Concilia provinciarum, nec nationum sancire, nec delinquentes aliquibus pœnis, aut Ecclesiasticis censuris mulctare possunt.

137 Suppositis itidem privilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram. Verum ista non est prædicanda, nec publicè docenda, prout nec præcedens quarta.

V I.

138 Regulares Mendicantes petere possunt licitè à judicibus sæcularibus, ut injungant Episcopis quatenus ipsis mandata concedant ad prædicandum in Adventu, & Quadragesima. Quod si renuant facere Episcopi, decretum judicum sæcularium tantundem valet, ac si permissio dictis Religiosis concessa fuisset.

139 Est falsa, erronea, & in hæresim, & schisma inducens. Hanc ergo qualificationem, & declarationem à cunctis tenendam, & sequendam, & in praxi observandam Sanctitas Sua declaravit, & mandavit sub pœnis contra schismaticos, temerarios, seditiosos, ac de hæresi suspectos, impositis, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Joannes Lupus S. Romanæ, ac Universalis inquisitionis Notarius.

A U-

AUTHOR.

140 Contra primum ex nu. 21. Imprimis D. Fagnanus tot Catholicos Doctores, Ecclesiæ Patres & Sacrorum Canonum locos pro sua doctrina contra *opiniones probabiles præcisè* citat, ut inter Probalistas D. Caramuelem quasi fulmine tactum obruisse videatur, ut patet ex propria ejusdem confessione num. 43. *Minori tactus jaculo D. Radin, magni Melitensium Magistri frater, Doctor Salmanticensis, Ordinis nostri Theologus, in publica disputatione pietatem & patientiam simulans, dixit*, Sea pour amor de Dios la desuerguenza. *Non ego sic respondeo*, sed Domine vim patior, *responde pro me Sanctissimo D. N. Alexandro VII. edico.* Melius tamen pietatem & patientiam simulasset, dum prout debuit, amplecti noluit, quàm tali Apologemate, parum pio & multum impatienti, veram sapientissimi D. Fagnani doctrinam, & bonam ejusdem celeberrimi viri famam dilacerasset. Cur, obsecro, Ecclesiæ Patrum & SS. Canonum citationes in D. Fagnano carpit? Quia pro se nullos, nisi evidenter contortos, quos citaret non habuit. Vide *dub. 7. in protestatione* in fine.

141 Deindè addit D. Caramuel. *At ubi ad Jansenistas ventum, hujus hæreseos Principes, non Velites & gregarios milites nobis proponit; & illos tam prolixè citat, ut à pagina 95. num. 336. ad pag. 340. inclusivè per 17. columnas interrupto discursu Jansenistas legere cogamur.* Ergo per D. Caramuelem Archiepiscopus Mechliniensis Jacobus, de quo à *num.* 40. *ad* 63. Episcopus Gandavensis Antonius, de quo à *num.* 63. *ad* 64. Parochi, de quibus à *num.* 4. *ad* 40. & moderni Theologicæ Facultatis Lovaniensis Doctores, de quibus à *nu.* 65. *ad* 140. per D. Caramuelem sunt hæreseos Jansenianæ Principes? Horret totum Belgium, abhorret Gallia audire calumniam. Eam inter cæteros Alexander VII. notavit, & obindè D. Caramuelis Apologema condemnavit, ulterius judicium supra me est. Igitur solita retorsione utor ipsius D. Caramuelis verbis. Primò num. 43. *Ecce obloqui scit, & loqui nescit*, nisi apertè falsum, *Domine vim patior, responde pro me Sanctissimo D. N. Alexandro VII.* scienti enim & volenti nulla vis infertur. Secundò num. 103. *Si syllogismis suis* D. Caramuel *consideret, non illos tempestate injuriarum armaret.* Un-

de ironicè intelligi debet, quod subdit. *Nos igitur, qui certò scimus rationes, quas proponimus à nullo mortali solvi posse, cur non sedatissimô & urbanissimô animô & calamô, argumentabimur.*

142 Denique, non uti Caramuel, D. Fagnanus argumentari debet: sed hôc modô argumentari potest. *Regula morum debet esse doctrina sana: sed doctrina de probabilitate præcisè est sanæ doctrinæ contraria: ergo est contra regulam morum, ergo est perniciosa; ergo est abyssus, quæ abyssum invocat; ergo homines in infernum propellit* &c. Major negari non potest; Minor evidenter sequitur ex præmissis *dub. 6.* Suppositâ majoris & minoris veritate sunt legitimæ consequentiæ.

143 Contra secundum num. 40. *Periissent sanè illæ Doctorum Censuræ*, uti Apologema D. Caramuelis, si sancta Sedes voluisset: sed non perierunt; quia noluit, & ideò *D. Fagnanus* meritò eas ad majus examen, in præcautionem intereà multorum *in suo Opere perennare* voluit.

DUBIUM OCTAVUM.

An D. Caramuel justè sententias, suprà à Domino Fagnano relatas, ut censuratas de Jansenismo criminetur.

RESOLUTIO.

144 Dico. Caramuel injustè sententias, suprà à D. Fagnano relatas, ut censuratas de Jansenismo criminatur. Possem resolutionem hanc evidenti deducto discrimine inter Propositiones quinque contra Jansenium damnatas & alias suprà relatas à prædictis Prælatis ac Doctoribus censuratas, probare & confirmare: sed cum sciam Jansenismum, pro aut contra movere, Superioribus ingratum, uti in Præfatione monui, omittam, solis armis & suffragiis hîc adversantis Caramuelis eminere contentus: nam ut rectè Irenæus lib. 4. cap. 14. *Illa est enim vera & sine contradictione probatio, quæ etiam ab Adversariis ipsis symbola testificationis profert.* Cui consonanter Maximus Taurinensis homil. 1. de festo Paschæ. *Validis absque dubio nititur privilegiis, qui causam de adversariis asserit instrumentis. Speciosa victoria est contrariam partem chartulis suis velut propriis laqueis irretire, & testimoniorum suorum vocibus confutare, & telis suis evincere: ut pugnatoris tui argumenta tuis probentur utilitatibus militare.* Itaque

145 Probatur primò. Injustè de Jansenismo D. Caramuel criminatur id, quod est absque periculo Jansenismi: atqui omnes illæ sententiæ ut censuratæ sunt absque

que periculo Jansenismi; ergo &c. Major per se nota est. Probatur minor: quia nondum est à S. Sede *consideratum aut determinatum*, quod ex illis ut censuratis sequatur aliqua propositio damnata contra Jansenium: atqui quod est tale, est absque periculo Jansenismi, juxta illud D. Caramuelis ex D. Thoma num. 293. *Hæc omnia dilucidat Doctor Angelicus* 1. part. quæst. 32. *art*. 4. *de Notionibus Divinis disputans: consideretur hæc periodus.* Circa hujusmodi ergo, absque periculo hæresis aliquis potest falsum opinari, antequàm consideretur, vel determinatum sit, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei, & maximè, si non pertinaciter adhæreat. Sed postquam manifestum est; & præcipuè si sit per Ecclesiam determinatum, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei, in hoc errare, non esset absque hæresi. Et propter hoc multa nunc reputantur hæretica, quæ prius non reputabantur, propter hoc, quod nunc est magis manifestum, quid ex eis sequatur. Et infrà num. 297. *Ergo* (*repono verba D. Thomæ*) *absque periculo hæresis potest aliquis falsum opinari* (*asserendo videlicet, ad securitatem conscientiæ non sufficere probabilitatem*) *antequàm consideretur, vel definitum sit, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei* (*quale est*, Deus præcipit impossibilia) *& maximè, si non pertinaciter adhæreat.* Consequentia est legitima ac demonstrativa ad hominem, suppositâ majori per se notâ, & minori admissâ ab ipsomet Caramuele: quia *num.* 311. hoc asserit. *Dantur etiam demonstrationes ad hominem. In his non requiritur formam esse legitimam, sed sufficit à respondente illam admitti. In eisdem non requiritur esse veras præmissas, sed sufficit à respondente illas concedi.*

146 Probatur secundò: ex doctrina D. Caramuelis num. 292. *Si quis neget propositionem ex præmissis, quarum prima sit per se nota, altera articulus fidei, deductam* (aut oppositam affirmet) *præscindendo à præmissis non est hæreticus:* atqui omnes illæ sententiæ ut censuratæ ab Authoribus suis censurantur præscindendo à talibus præmissis: ergo non sunt hæretici, aut Jansenistæ, ergo injustè D. Caramuel eos de Jansenismo criminatur. Major est Caramuelis, minor per se nota legenti, & his suppositis consequentia demonstrativa ad hominem, uti ex ejus doctrina, statim præmissa, sequitur.

147 Probatur tertiò: ex doctrina D. Caramuelis ibidem. *Si quis neget, hanc tertiam ex duabus illis præmissis deduci, non erit formaliter hæreticus; non enim in Sacra Scriptura, aut in aliquo Concilio Generali definitur syllogismum in* Darii, *esse legitimum & demonstrativum: erit Adialecticus, impossibile est enim, ut Dialecticam sciat, & vires Demonstrationum, quibus syllogismorum efficacia monstratur, non sentiscat.* Atqui præcitati Doctores, non solum ibi non negant aliquam propositionem deductam ex una per se nota & altera fidei; sed indubiè unanimiter tenent, nullam oppositam suis sententiis ut censuratis posse deduci ex una per se nota & altera fidei: ergo non solum non hæretici, dici debent, sed nequidem Adialectici dici possunt: ergo injustè &c.

148 Probatur quartò. Sententia, quæ in nullo generalis Concilii aut Scripturæ textu condemnatur, separata & præcisa à sequela hæretica, quam infert, non est hæretica: atqui non solum illæ sententiæ ut censuratæ sunt tales, & ibi separatæ ac

præcisæ ab omni sequela hæretica, sed nequidem cum ulla tali legitimè conjungi possunt: ergo &c. Probatur major ex ipsomet D. Caramuele num. 296. *Præmissa separata & præcisa à sequela* (puta hac, *ergo Deus tibi præcipit impossibilia*) *quam infert, non est hæretica: in nullo enim aut Generalis Concilii, aut Sacræ Paginæ textu condemnatur.* Falsitatem minoris incumbit D. Caramueli demonstrare; alioqui si probabiliter tantum probet, probabilem veritatem relinquit, & sic nihil evincet, ut patet ex ipsomet Caramuele post Plautum nu.314. *Hæc assertio*; Probabile est rem esse, *æquivalet huic*, Hæc positio, *Res est*, habet pro & contra rationes fortes; non autem, aut pro, aut contra, ullam demonstrativam. *Ergo, si est probabile* Rem esse, *erit etiam probabile* Rem non esse. *Ergo qui hanc secundam probabilem esse persuadet, hoc est, esse veram probabiliter, illius primæ Probabilitatem non impugnat, sed reponit & firmat.*

149 Probatur quintò. Illæ omnes sententiæ sunt affectæ censurâ probabili: atqui D. Caramuel sententiam probabilem (& ità est de censura probabili) injustè criminatur hæreseos: ergo &c.

150 Probatur major primò ex doctrina D. Caramuelis num. 306. *Illa sententia est probabilis, pro qua militant rationes fortes, contra quam nulla prodit in campum demonstratio.* Et num. 118. *Ignorat dialecticam, qui putat mediò probabili posse probabilitatem impugnari*, nulla contra istas censuras prodibit demonstratio, attentis *num.* 154. addendis.

151 Secundò ex eodem *Theolog. fundamentalis resolutivæ* num. 327. *Me igitur judice, decisio unius Universitatis tanti est ponderis, ut repugnet unam & eandem positionem ab una classica Universitate approbari* (idem est de *reprobari*) *& tamen improbabilem esse.* Item num. 331. *Putarem Doctores, Salmanticenses, Complutenses, Sorbonicos, Lovanienses &c. modò opiniones ab Ecclesia Damnatas ausu temerario non revocent, posse addere probabilitatem:* atqui contra illas nulla prodit, ut suprà vidimus, aut prodire potest in campum demonstratio; & sunt ab una Universitate, Doctoribus Sorbonicis, Lovaniensibus &c. censuratæ: ergo &c.

152 Probatur minor verbis D. Caramuelis nu. 306. *quia, quæ probabiliter mente asseruntur, absolutè solent & possunt linguâ proferri, stylô scribi* &c. suppositâ concessione præmissarum, consequentia est legitima & demonstrativa ad hominem.

153 Probatur sextò. Censuræ istarum sententiarum sunt probabiles, ut vidimus ex concessis ab ipsomet D. Caramuele: atqui per eundem *Theolog. fund. Resol.* nu.317. *Opinio probabilis* (idem est de censura probabili) *condemnari non potest; quia opinio probabilis practicè* (idem est de censura probabili practicè) *condemnari non solet. Quid, si condemnaretur? Darent Deo rationem condemnantes.* Ergo D. Caramuel injustè illas de Jansenismo, & earum authores de hæreseos principatu condemnat, & suæ gravissimæ criminationis dabit rationem Deo.

154 Confirmatur. Si quæ ex illis sententiis justè essent de Jansenismo criminandæ, maximè essent hæ duæ. Prima: *Ut actio quæpiam sit peccaminosa, oportet, ut procedat ab homine, qui noscit & percipit, quid boni malive in ea sit; & antequam id videat, aut animum reflectat, actio neque bona est, neque mala. Est contra communia Theologiæ Christianæ principia: & innumera, etiam immanissima*

nissima, hominum peccata excusat cum pernicie animarum. Secunda: *Defessus ex quocumque labore licito vel illicito. v. g. cum fœminis commixtione, liberatur à lege jejunii. Est falsa, & castis auribus horribilis:* Juxta illud D. Caramuelis num. 40. *Nam quia* Quem semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu. *Fieri non potuit, ut Jansenistæ aliter Censuras has exhiberent, quàm in aliquibus illarum suam hæresim protrudendo: & ideò eligam duas, quarum Censuræ, quas ut morum regulas nobis proponit D. Fagnanus, sunt hæreticæ.* Illas autem duas elegit, de quibus ante *dub.* 3. *num.* 2. *&* 7. Item ante *dub.* 4. *num.* 3. 15. *& seq.* Atqui secundam istarum propositionum esse omninò tenendam & benè censuratam patet ex præmissis ante *dub.* 4. *num.* 15. *& seq.* Primam verò admittere sensum verè catholicum, æquè ac oppositum, ostendimus in eodem dubio *num.* 30. Ergo &c.

D. CARAMUEL.

Apologematis *pro doctrina de probabilitate* Epist. 4.

1 NUm. 111. Petierunt ante hebdomades aliquot, qui præcipere possunt, ut quæ de D. Fagnani doctrina occurrebant, calamô exprimerem. Omisi, quia Virum eruditum & pium amo & veneror: & contra Amicos non libenter scribo. Addidit remoram, quod mea scriptio videbatur superflua, cum, quia Antonii Merenda libro à Sede Apostolica prohibito, non est, cur de D. Fagnani opinatione disputetur: nam eadem est utriusque doctrina, & æquè utriusque in Theologos contumeliosus calamus: tum, quia jam jam milleni in ejus Pseudolemmata moventur styli, illaque speculativè improbabilia, & practicè intolerabilia esse demonstrant: & nunc [N.B.] præcipuè, quandò S. D. N. in Bulla ad instantiam D. Plasentini nuper edita, oppositam toti Ecclesiæ indicendo, D. Fagnani doctrinam manifestè condemnat. Interim; quia nudius-tertius monitus, obedire desidero, quæ olim contra Jansenium uberiùs scripsi, ad paucas lineas reduco, & apud Eminentiam Vestram animum meum expando. Sanè contra D. Fagnanum, quem necessariò debeo cum Jansenio componere, privatim aliàs scholasticô stylô disputabo; nam, si illi licuit à Caramuele, & toto Orbe Literario dissentire, mihi erit licitum ab unico dissentire Fagnano, salvâ semper urbanitate & reverentiâ, quam Viro optimo debeo. Et ideò has ipsas scribo litteras Eminentissimæ Celsitu-

dini Vestræ tanquam meo singularissimo Domino, non autem tanquam sanctissimi D. N. Alexandri VII. in Tribunali Supremæ Inquisitionis Administro; neminem enim, aut accuso, aut denuncio; sed jussus, meam sententiam, quam totus Orbis terrarum veram judicat, breviter expono & dilucido. Nec hinc videri volo Libros illos in Decretales, quos D. Fagnanus edidit, vituperare; sunt enim doctissimo calamo scripti, & in praxi maximè necessarii, & ad D. Fagnani honorem meis injunxi Vicariis, ut juxta illos & gubernent & judicent: At omninò desidero, ut expunctâ illâ minus necessariâ quæstione, *de opinione probabili*, aut eâdem ad Fidei Orthodoxæ & Rationis Theologicæ limam rescriptâ, ille primus Tomus recudatur, ne propter unicam resolutionem (in qua hallucinatur Vir magnus; quam negaret omninò, si Ecthéses ex illa abortum necessariò facientes prævideret) centenæ aliæ, decisæ solidissimè careant applausu, quem merentur. [*Moneo tamen videri correctionem omninò impossibilem: quoniam in tomis Author cæteris eandem Assertionem assumit, & crebrò repetit: unde deberent omnes ab aliquo Theologo relegi; & corrigi, ubicumque contextus Jansenizet.*] Ergo hæc mea scriptio venerabitur D. Fagnani personam, laudabit plerasque omnes Resolutiones, & tantum adversabitur illi, in qua agitur *de opinione probabili*.

2 *Num.* 115. *Hæc propositio*, In materia Fidei & morum ad securitatem conscientiæ non sufficit opinio probabilis, *quæ D. Fagnani est*, *universaliter accepta* (*hoc est ità generaliter accepta*, *ut in nullo casu sit licitum, juxta probabilem sententiam operari*) *est hæretica*. Ostenditur: quia imbibit intrinsecè fundamentales Wicleffi, Lutheri, Calvini, Baii & Jansenii hæreses, & clarissimè illas quinque propositiones, quas Innocentius X. & Alexander VII. hæreticas esse declararunt. Videatur catena hæreseos Jansenianæ, quam litteris istis adjungo. Demonstratur Censura: quia si D. Fagnani doctrina universaliter accepta esset vera, occurrerent milleni casus, in quibus homo necessariò peccaret. Unum produco. Jacet moribundus sensibus destitutus, qui Christianè vixit, & nullô signô externô confessionem petiit. Supervenit Parochus: quid faciet? Est probabile Parochum in tali casu absolvere non posse: est probabile debere sub mortali: inter absolvere & non absolvere nullum est medium. Parochus ergo quidquid faciat, aut non faciat in casu de-

bebit

bebit in materia morum probabili insistere sententiæ; & stando D. Fagnani doctrinæ necessariò peccare. Possem centenos alios casus adjungere, quibus consideratis, gravissimi Authores, aut Deum jubere impossibilia, aut probabilibus nostris opinionibus esse contentum, judicarunt. At non illud. Ergo hoc. Vide Serram, Acacium, & alios, quos noster Physico-Theologicus Hyperaspistes producit.

3 *Num.* 118. *&* 119. Quomodòcumque *excusetur, aut exponatur, doctrina Fagnani, seipsam destruit, & contradictionem involuit.* Demonstratur: & considera benè, hoc argumentum, quod subjicio. Nam illa Fagnani Propositio, *in materia Fidei & morum ad securitatem conscientiæ non sufficit opinio probabilis*, vel est de Fide, vel scientifica, vel probabilis, vel dubia, vel improbabilis & evidenter falsa. Vel detur aliud Propositionum genus, quod ad hæc non reducatur. Ergo progrediamur paulatim.

4 Dico primò. Illa D. Fagnani propositio, non est de fide: vel qui oppositum asserat, det vel sacræ Paginæ textum, vel Concilii Canonem, in quo contineatur.

5 Dico secundò. Illa eadem propositio non est scientifica: vel, qui oppositum asserat; det vel unicam demonstrationem, hoc est, vel unicum syllogismum, in forma seu figura legitima, cujus præmissæ sint per se notæ; & Conclusio sit hæc Propositio, de qua contra D. Fagnanum agitur.

6 Dico tertiò. Illa ipsissima D. Fagnani propositio, non est probabilis, nec dubia, sed omninò improbabilis: quod omnium Theologorum consensus & doctrina manifestè persuadet.

Sed demus probabilem dici, quod non patiar: hâc hypothesi datâ.

7 Dico quartò. Ignorat dialecticam, qui putat mediô probabili posse probabilitatem impugnari.

8 Prætereà, ut D. Fagnanus videat Canonistas, Juristasque ideò in Theologia, quoties audent, exorbitare; quia in dialectica cespitant, hoc fulmen eidem hypothesi (aliàs falsæ: quia doctrina, quam reprobo, non est probabilis, sed improbabilis) insistendo displodo. Sic inquam.

9 *In materia Fidei & morum non licet conscientiam concredere Assertioni probabili.* Est D. Fagnani: & ab ipso negari non poterit.

10 *Sed.*

10 *Sed hæc Assertio*, in materia Fidei & morum non licet uti opinione probabili, *est probabilis*. Hæc conceditur urbanitatis gratiâ; quia reverà est falsa, & improbabilis: & universaliter sumpta, certò hæretica.

Ergo in materia Fidei & morum non licet conscientiam prædictæ D. Fagnani Assertioni concredere.

Forma est legitima. Major est D. Fagnani: minor tua: & conclusio contra te, & D. Fagnanum infertur.

11 Num. 120. *D. Fagnani doctrina omnia Tribunalia (Ecclesiastica, Secularia: Criminalia, Civilia) injustitiæ & iniquitatis appellat.* Patet, quia secundum allegata & probata illa procedunt: & tamen allegata & probata interdum fallunt, & tamen non sunt evidentia aut scientifica, sed sæpè probabilia tantum, aut etiam probabiliora, si velis.

12 Num. 121. *Eadem D. Fagnani doctrina accusat injustitiæ & iniquitatis omnia bella.* Ut hanc demonstrem, non ad belli causam, sed ad effectum: non ad hostes, sed ad commilitones recurro. Esto aliquandò causa belli certò justa; esto liceat, aut non liceat, armis tueri aut recuperare jus probabile. Authores disputare & probabiles opiniones hinc inde tutari sinamus: verum enim verò ut aliquid certum dicamus, conflictum ipsissimum consideremus. Militiæ Principi, qui acies in conflictu gubernat, non licet milites prodigere; nam contra quintam Decalogi Tabulam peccaret, si sine utilitate militem constitueret, ubi debeat occidi. Ergo non posset signa in hostem dirigere, nisi haberet certitudinem obtinendi victoriam. At rarò vel nunquam datur hæc certitudo; sed omnes sub spe probabili, vel urbes obsident, vel obsessas propugnant, vel in campo confligunt. Unde David ad nuncium missum à Joab. *Varius eventus est belli: & nunc hunc, & nunc illum consumit gladius*: & Cicero 11. Philipp. *Sed ut concedam incertos esse exitus belli: Martem communem, &c.* Quò respicere videntur Astronomi, cum Martem *ancipitem & communem* appellant. Mars ergo nunquam certus, semper varius & tantum probabilis. Ergo, si cum probabili spe non licet conflictum inire, omne bellum est iniquum in praxi.

13 *Num. 122. Eadem D. Fagnani doctrina Medicos & Medicam Artem condemnat.*

Porrò hodie Medicorum scholæ sunt duæ: Galenica, & Paracelsistica: & dum altera alteram erroris accusat, cum neutra certa sit, utraque est

est dicenda probabilis. Ad metalla recurrunt Paracelsi discipuli, occlamantque:

Claude scholas Galene tuas, satis occisorum est.
Esse imò nimium, plena sepulchra tonant.

Et me judice, cum sic obloquuntur:

Væ tibi, væ nigræ dicebat cacabus ollæ.

Nam ipsi plures, & crudeliùs occidunt.

14 Quid cum alterutris faciendum, à D. Fagnano rescire opto: nam, si in morum materia probabilem opinionem sequi non liceat, utrosque debebimus ab orbe Christiano proscribere; Deus enim homicidia interdicit, & in morbis acutis Medici, seu herbis, seu lapillis, seu metallis utantur, omni certitudine & securitate destituti, vias ineunt probabiles, in quibus, si materialiter errent, inviti ægrotum & præter intentionem occidunt.

15 *N. 123. Eadem D. Fagnani doctrina tollit Ecclesiasticam & sæcularem omnem authoritatem.* Vel dicito: si in morum materia probabilis opinio non sufficit, nec superior juxta probabilem præcipere, nec inferior juxta probabilem poterit obedire. Jubeant ergo Pontifices, Episcopi, Abbates, &c. jubeant Cæsares, Reges, Principes, &c. pleraque omnia eorundem practica decreta & præcepta insistent probabilitati. At D. Fagnanus in morum materia probabilem opinionem non sufficere statuit: ergo pleraque Superiorum præcepta erunt injusta: ergo subditus rarò vel nunquam obedire tenebitur.

16 Et quidem eadem perturbatio sequeretur, si diceremus teneri hominem sequi probabiliorem opinionem: quis enim Superior persuadere subditis discolis poterit ea, quæ præcipit, esse semper certò aut probabiliùs necessaria aut utilia?

17 *N. 124. & 125. Eadem D. Fagnani doctrina, destruit pleraque, quæ resolvit D. Fagnanus.* Demonstraturus sum, sibi passim D. Fagnanum contradicere; & quia rem non capit, & nodum difficultatis non penetrat, eadem ipsa interdum affirmare & negare.

18 Explicans Caput *Firmiter. num. 15.* ait. *Extra controversiam est, cuilibet usum rationis habenti necessarium esse ad salutem Articulos fidei credere, ut symbolo Athanasii, &c. quia sine fide impossibile est placere Deo.* Et hîc in Assertione, fidem expressam cum implicita; necnon necessi-

tatem medii cum necessitate præcepti: & in probatione fidem actualem cum habituali confundit: nam Apostolus de habituali loquitur, non de actuali. Si dubites, lege Leandrum *part. 6. tract. 6. disp. 2. quæst.* 4. ibi enim agens de fide explicita ait, *Certum est, quod fides omnium mysteriorum non sit ad salutem consequendam necessaria, necessitate medii.* Jubetque legi Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 2. n. 2.* Valentiam 2. 2. *disp. 1. q. 2. punct. 3.* Suarium *disp. 12. de fide sect. 3.* Arriagam 2. 2. *tract. de fide disp. 12. sect. 2. n. 7.* Fagundez *lib. 2. cap. 2. n. 2.* & alios, qui de hoc argumento scripserunt.

19 Posteà *n. 18.* D. Fagnanus hanc Conclusionem statuit. *Omnes adulti, etiam simplices, tenentur explicitè credere Deum esse, & remuneratorem omnium bonorum.* Sed tu hunc casum considera.

20 Nascitur Petrus; baptizatur: antequam loqui sciat, capitur à barbaris, in sylvam inducitur, & atheïsmum positivè docetur. Ad usum rationis pervenit: posse invincibiliter nescire Deum, saltem ad tempus, Theologi nobiliores affirmant. Moriatur igitur hic, antequam ignoret vincibrliter Deum, & aliquod committat mortale.

21 Quò Petrum D. Fagnanus mittet? non ad infernum, quia originali ille & actuali mortifero caret: ad cœlum ergo. Ergo expressa & actualis fides non est ad salutem necessitate medii necessaria.

22 Ad testimonium Pauli, *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est*, &c. respondet P. Acacius March de Velasco intelligi hoc, *regularmente hablando:* hoc est, non semper, sed frequenter.

23 [Et quidem esse nonnullos sacræ Scripturæ locos, qui sic debeant exponi, demonstrat Psalmus LXXXIX. in quo Propheta Rex sic inquit. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in Potentatibus octoginta anni; & amplius eorum labor & dolor.* Distinguit pauperes à divitibus: illi miseriis vexati ante diem auferuntur: hi, quia valetudinem curant, supervivunt. At hodiè hic Romæ multi pauperes, multi divites sani salvi & incolumes, sine labore, sine dolore, sine molestia annum nonagesimum superant: ergo illa indefinita propositio, aut particularis est, ut moraliter universalis; ità ut non de omnibus & semper verificetur, sed de plerisque & *regularmente hablando*, ut Acacius verba Pauli exponebat. Hâc viâ lucem habent aliquæ Patrum Propositiones, quæ falsæ essent,

essent, si ad universalitatem Metaphysicam reducerentur. Sanè hæc positio, *Opera infidelium sunt peccata, & virtutes Ethnicorum sunt vitia.* In Augustino, *&c.* Luthero, Calvino, *&c.* Bayo, Jansenio, *&c.* reperitur. Damnatur in his; an etiam in Augustino? Absit. Sed cur in istis sic, in illo non? P. Macedus in libro illo, *quem Augustini mentem veram* inscripsit, rationes aliquas solidè & prudenter producit; sed ex illis hæc mihi impræsentiarum servire poterit. Sanctum Augustinum non loqui universaliter Metaphysicè asserit, sed *agere de iis actibus, qui plerumque fiunt ab infidelibus, ut non neget eos benè unquam sine gratia operari posse, sed vix unquam benè propter difficultatem operari: quo fiet, ut regulariter dicat eos malè operari.* Nota illud, *regulariter.*] At ego facilius & clarius respondeo, agere Apostolum de adulto Ethnico qui accedit ad Deum, hoc est convertitur: hic enim nisi sciat Deum esse, & remuneratorem esse, converti non potest: & quia in originali peccato est, salvari non potest.

24 *Num.* 126. 127. *&* 128. Deindè num. 19. hanc Conclusionem docet. *Simplices, & fortè omnes Laïci, non tenentur alios fidei articulos à supradictis explicitè credere; sed satis est, ut credant verum esse quidquid credit Ecclesia Catholica.* Sed quid his verbis ille intelligit? tenebras.

25 Si dicat præter Deum esse, & remuneratorem esse, nihil aliud necessitate medii credendum esse, docebit aliquid merè probabile; & minus securum: nam impugnabitur à Becano, *de fide cap.* 12. *q.* 2. *n.* 2. *conclus.* 1. *pag.* 333. & apud eum ab Alexandro, Alberto, Bonaventura & Scoto. Quibus assentiuntur Ægidius *de fide disp.* 14. *dub.* 9. *n.* 147. Lorca *disp.* 21. *n.* 4. Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 1. *punct.* 9. *n.* 3. & alii, qui docent non solum nunc, sed etiam ante adventum Christi necessariam fuisse necessitate medii explicitam alicujus inter Deum & homines Mediatoris notitiam. Et loquendo de nostro ævo, post sufficientem Evangelii promulgationem, esse necessitate medii necessariam explicitam Christi notitiam affirmant absolutè Molina, Valentia, Sanchez, Granadus, Lorinus, Bonacina, Pesantius, Filliucius, Trullenchius, & alii apud Leandrum ubi suprà *disp.* 2. *q.* 8. Ergo iterum in materia fidei D. Fagnanus adhæret opinioni probabili, & minus securæ.

26 Si ità suam secundam Conclusionem D. Fagnanus exponat, ut duodecim Articulos Fidei teneatur expresè quis credere necessitate

medii; secunda illa conclusio ex probabili transibit in falsam, & contradicet tertiæ videlicet. *Si quis habeat fidem implicitam, eò quòd credat, quidquid Ecclesia credit, sed falsò opinetur ratione naturali motus, Patrem esse majorem seu priorem filio: vel tres personas esse tres res à se invicem distinctas, non est hæreticus, nec peccat, dummodò errorem suum non defendat, & hoc ipsum credat, quia credit* (putat) *Ecclesiam sic credere*, &c. Legantur quæso, & attentè relegantur hæc verba; quia demonstrant D. Fagnanum ignorare Theologiam: & benè intellecta evertunt ejusdem universam doctrinam. *Si quis*, inquit, *ratione naturali motus* [adde *gravi*: nam ratio levis, sicut nec ad probabilitatem, sic nec ad actus honestatem, aut excusationem sufficit.] *falsò opinetur Patrem esse majorem filio* [adde, quà Deo: nam quà homo ait ipsemet filius, *Nam Pater major me est.*] *aut esse priorem filio* [adde realiter: nam inter Patrem divinum Filiumque Thomistæ rationis prioritatem, Scotistæ originis prioritatem admittunt.] *vel tres personas esse tres res à se invicem distinctas.* [adde hîc etiam verbulum, quod auferat hallucinationem. Sanè divina persona est aliquid: non enim est nihil. Si aliquid; de illa prædicabitur *Reubau*, hoc est, *Res, Ens, verum, bonum, Aliquid, Unum* Ergo quid debet addi? Debent illa verba sic legi. *Esse tres res absolutas à se invicem adæquatè* (*personaliter & essentialiter*) *distinctas*, vel unico verbo, *condistinctas*] *Modò suum errorem non defendat* [adde, contra declarationem Ecclesiæ; nam contra alios homines privatos nil vetat illum posse defendere.] Hæc periodus ad Theologicam limam correcta diruit totam D. Fagnani doctrinam: nam Trinitas pertinet ad materiam fidei. Ergo si quis ratione naturali motus potest sine peccato opinari filium, aut esse majorem, & priorem Patre, aut distingui in ipsamet natura à Patre; & hoc, quin peccet, & hæreticus sit: errat & sibi contradicit D. Fagnanus, cum dicit: *Ad securitatem conscientiæ non sufficere in materia fidei opinionem probabilem.*

27 *Num.* 129. Volui hîc finem huic excursui ponere: at occurrit caput. *Ne innitaris, n.* 15. *pag.* 38. ubi inter alias quæstiones, in quibus alterutrum licet sentire & propugnare, ponit hanc, *Si Adam non peccasset, utrum Christus incarnatus esset?* Et hic ego rescire à D. Fagnano vellem, in quo ille libro hanc exorbitantiam & implicantem Quæstionem proponi legerit? Videtur enim distinctionem, quæ est inter nomina *Verbum*

bum æternum, & Christus, non callere: nam hæ positiones, *Christus assumpsit carnem humanam, Christus fuit incarnatus*, & similes, sunt repugnantes & impossibiles: &, si pertinaciter, defendantur, hæreticæ: evidenter enim opponuntur Articulis Fidei Catholicæ: æternus enim æterni Dei Filius est, qui descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto, & homo factus est. Sed hunc errorem homini non Theologo condonemus. Rem ipsam urgeamus. In hac quæstione licet sentire alterutrum, propter rationes graves, quæ adducuntur hinc inde; sic asserit D. Fagnanus: Sed hæc Quæstio est Fidei. Ergo in materia fidei licet sentire alterutrum, si nihil ab Ecclesia determinatum sit, & utrimque militent rationes probabiles. Minor ostenditur. Nam Thomistarum, qui probabiliorem resolutionem tenent, præcipuum contra Scotistas argumentum innititur illis verbis Symboli, *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis*: quæ sunt fide tenenda. Desumpserunt sententiam suam Thomistæ ex S. Augustino, qui *serm. de verbis Domini* hæc habet clarissima verba, *Quare venit in mundum? Peccatores salvare. Alia causa non fuit, quarè veniret in mundum.* Et iterum *serm. de verb. Apost.* æquè clarè. *Nulla causa fuit veniendi, nisi peccatores salvos facere.* Hanc Assertionem tam certam judicavit sanctus Pater, ut in illa doctrinam de Prædestinatione & Gratia, à multis Pontificibus confirmatam, fundaverit. Non igitur est de nihilo, aut de lana caprina quæstio, quæ inquirit, *An, si Adamus non peccasset, æternus æterni Patris Filius carnem sumpsisset?* ut putat D. Fagnanus; sed pertinet ad materiam fidei & morum. At in hac quæstione asserente D. Fagnano licet nobis alterutram habere sententiam. Ergo in materia Fidei & morum, quandò duæ concurrunt opiniones probabiles, licet nobis amplecti alterutram. Ergo & minus probabilem: nam ut paulò ante dicebamus, in hac quæstione probabilior est Thomistarum opinio, & opposita minus probabilis: Ergo, dum vult eruditus videri, se destruit D. Fagnanus.

28 Sanè opinio Augustini traditur à D. Thoma *3. part. q. 1. art. 3.* Cajetano *ibid. &* *4. contr. Gentes c. 55.* Ferrar. *ibid. & in 3. dist. 1. 7. 1. q. 1. art. 3.* Medina *ibid.* Vasquez *disp. 28.* Card. Lugone *disp. 7. de Incarn.* & multis aliis.

29 *Num. 130. ad n. 136. Eadem D. Fagnani doctrina, si obtineret, om-*

nes ad unum homines, adeoq; ipsummet D. Fagnanum perturbaret: demonstraretq; clarissimè mentitum fuisse illum, qui dixit, Jugum meum suave est, & onus meum leve.

30 Ostenditur. Nulla est materia in Theologia, in qua non sit aliqua opinio, quæ displiceat D. Fagnano; omnes enim benignè displicent: ergo, illô sic jubente, tenenda est materialiter tutior. Ergo strictior: hæc enim semper erit materialiter tutior. Ergo tenebuntur Christiani semper opinionem strictissimam quærere, & peccabunt mortaliter, si fortè aliquandò secundum strictam operentur, strictiore relictâ: quam doctrinam falsam esse Propheta Rex supposuit, cum dixit, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum:* nam ad D. Fagnani mentem debuit dicere, *cum strinxisti cor meum.* Quam etiam supponit esse falsam Ordo Patrum Prædicatorum sapientissimus, doctissimusque; habet enim in Prologo Constitutionum. *Relaxanda est, quantum fieri potest, rigiditas, & austeritas in consiliis: & benignè omnes tractandi sunt.* Quam tandem etiam falsam esse omnes Recentiores supponunt.

31 Sanè homini existenti in extrema necessitate debere succurrere D. Fagnanum, si possit, certum est: & quidem debere etiam ex rebus ad status & authoritatis suæ necessariis probabile est: hoc enim doctissimi scriptores affirmant. Vide Leandrum *part. 6. tract. 5. disp. 2. q. 17.* Præterea, captos à Banditis, à Pyratis, à Turcis, &c. si pauperes sint, esse in extrema necessitate si sit periculum, quod nisi redimantur, occidentur, probabile est. Vide Leandrum *part. 6. tract. 5. disp. 2. quæst. 8.* Bonacinam *disp. 3. quæst. 5. punct. 6. n. 4.* & alios. Imò etiam cessante hôc periculô debere à divitibus redimi probabile est. Vide Leandrum *ibid. quæst. 20.* qui plurimos allegat Authores. Hanc obligationem dandi eleëmosynam ad gravem necessitatem Authores gravissimi probabili discursu extendunt. Vide Leandrum *ibid. quæst. 25.* Ergo D. Fagnanus, siquidem sequi debet strictiorem sententiam, & non potest probabilium sententiarum benignitate fruisci, non habet domum propriam, non aulæa, non supellectilia, non duas tunicas, sed omnia vendidit & erogavit, ut ejusmodi captivos redimeret. Vel, si non fecit, nos scandalizat; nam aliter vivit, quàm docet. Adeoque non est bonus Magister: boni enim Magistri characterem imprimit S. Benedictus his verbis. *Omnia, quæ discipulos docuerit esse* (Deo) *contraria, in suis factis*

indicet

indicet non agenda; ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniatur, &c. Ergo, si strictiorem & tutiorem amplecti opinionem sub mortali tenemur, cur minus tutâ, probabili tamen, D. Fagnanus est contentus in praxi? Et si hoc ipsi licet (& quidem omninò licet,) cur cæteris non etiam licebit? Plura possem hìc dicere, si vellem vexare senem optimum, & mihi charum; multa enim sunt, in quibus non sequitur strictiorem sententiam; sed quia sanctissimè vivit (sufficit enim ad hoc minus stricta, & minus probabilis) personalia omittamus.

32 Profectò habere obligationem Principem cogendi divites ad erogandas eleemosynas, quas debent, probabile etiam est. Et certum, quod turbaretur Respublica, si semper hæc doctrina reduceretur ad praxim. Ergo tenetur Sanctissimus D.N. sub mortali cogere Principes, Nobiles, &c. adeoque & D. Fagnanum, ut has eleemosynas elargiatur, etiam venditis omnibus supellectilibus. Et quid ad hæc illi? Dicent se vivere secundum opinionem probabilem tutam, & ad tutiorem non obstringi?

33 Venio ad horas Canonicas. Profectò *in cap. si quis Presbyter.* agitur de officio divino, & dicitur, *quemlibet Clericum teneri ad hoc.* Unde nonnulli Canonistæ inferunt Clericos obligari ad Officium divinum. Ergo Confessarii tenentur monere Clericos de hac obligatione. Ergo non debebunt illos absolvere, nisi recitent. Quanta hinc orirentur conscientiarum pericula!

34 In materia jejunii, sicut multæ sunt opiniones benignæ, multæ etiam sunt duræ & severæ. At hæ, materialiter loquendo, sunt tutiores. Vadat quæso ad Germaniam, Bohemiam, Hungariam, Belgium, &c. D. Fagnanus, prædicetque illas opiniones esse tenendas sub peccato mortali, & videbit, quid dicent Auditores, aut facient.

35 De osculis, manuum contactu, &c. & periculo illis adnexo, nimis laxè scripserunt nonnulli, sed probabilitatis limites prætergressi: illos nec defendimus, nec excusamus. At intra probabilitatis terminos dãtur opiniones benignę, quę illis, qui aut sponsi de futuro sunt, aut esse desiderent, sunt necessariæ; cæterum, si strictiores opiniones tanquam securiores sint eligendæ, tota Gallia turbabitur, in qua oscula ad urbanitatem spectant, & periculum dicitur, aut probabiliter abesse aut adesse per accidens: & prætereà matrimonia poterunt, & debebunt tractari

per

per procuratorem; nam juvenes, si doctrinæ severiores tantum sint admittendæ, ut immediatè agant de matrimonio futuro, non sunt apti. Sanè ante mille sexcentos annos in Palæstina, & ante mille ducentos in Italia homines ex carne & ossibus constabant, ut nunc: & erant expositi periculo ut nunc: tamen osculo se salutabant. Morem hunc non reprobavit Christus; & S. Benedictus P. N. manutenet, & quia periculum concomitans prævidet, jubet ante osculum pacis, orationem præmitti. Ergo homines probabilitate & præterintentionalitate excusantur: vel alias Christus & D. Benedictus morem hunc correxissent, & impræsentiarum corrigere deberet omninò, qui rerum potitur in Gallia. Quid si vellet? turbaret regionem sine causa.

36 Stat igitur multas probabiles opiniones benignas in regionibus diversis præscripsisse, quas consuetudo in alteram naturam vertit, quæ nisi rebus omnibus perturbatis amoveri non possunt.

N O T A.

De Cardinalibus.

37 OMitto Eminentissimorum DD. Cardinalium Resolutiones: cum quia de illis varia dicunt Theologi; tum, quia majora nos vocant, & summos Sacerdotes producturi, non est, cur Cardinales producamus, interim de illorum Decisionibus aliquid breviter edisseramus.

38 Prodeunt frequenter multæ. An omnes in materia evidenti, & nulla in materia probabili? Allegantur oppositæ. An, quæ contrariæ, sunt simul veræ? Judicarunt prudenter illi, in uno casu hanc aut illam sententiam probabilem convenientiorem esse: hanc aut illam in alio. Si hîc diffundi deberet, librum integrum facerem. Sed cur plura scriberem in re tam nota.

39 Ergo, si Eminentissimis DD. Cardinalibus in regimine Ecclesiæ licuit uti sententiis probabilibus; etiam idipsum Prælatis ordinis inferioris, ut Episcopatum aut Monasterium regant; & privatis hominibus, ut gubernent suas conscientias, licebit.

40 Itermissis igitur his, quæ de DD. Cardinalium Decisionibus possent

ſent uberiùs dici, &, ſi huc nos velit reducere D. Fagnanus, dicentur; præparemus meliorem & ſubtiliorem calamum, & quantâ reverentiâ debemus, agamus de ſummis Pontificibus.

41 *Num. 136. & 137. Eadem D. Fagnani accuſat ſceleris innumeras Sanctiſſimorum & prudentiſſimorum ſummorum Pontificum operationes, diſpenſationes, leges, &c.*

42 Nolo ingredi invidioſam illam, & multis obnoxiam præcipitiis viam, quæ privatos ſummorum Pontificum actus ad Scholaſticum Tribunal vocat; nec enim ità ſum amens, ut omnia, quæ à Pontificibus privatim facta, eſſe mala pronunciem, ut Centuriatores videntur facere: aut omnia eſſe bona, ut nonnulli tuentur. Hodiè, hodiè, Illuſtriſſimus Epiſcopus N. ſic contra me argumentabatur. [*Si doctrina de probabilitate eſſet vera, ſequeretur Pontificem A. in tali re, Pontificem B. in tali, &c. eſſe excuſandos. At hæc doctrina eſt pernicioſa Eccleſiæ. Ergo.*] Reſpondeo, Pontificem A. B. &c. in omnibus, quæ privatim fecerunt probabili opinioni inſiſtendo, eſſe verè excuſabiles & excuſandos: quod ſi aliquid fortè ſit (quod non ſcio) in quo illi excuſari non poſſint, illud aio non inſuiſſe opinioni probabili. Ergo privatos Pontificum actus, in quibus operantur ut homines, relinquendo, tranſeamus ad publicos, in quibus ut ſummi Pontifices procedunt; in quibus multorum Virorum Illuſtrium doctiſſimo utuntur conſilio, & erroris accuſari non poſſunt.

43 *Num. 151. ad num. 153. Eadem D. Fagnani doctrina accuſat ſceleris & nullitatis Bullam ſanctiſſimi D. N. Alexandri VII. de immaculata ſanctiſſimæ Virginis Conceptione, ad inſtantiam Regis Hiſpaniarum nuper editam.* Ergo cum hæc Bulla & D. Fagnani doctrina ſint contradictoriæ: & ex D. Fagnano contra Alexandrum VII. ſanctiſſimum Dominum noſtrum formare argumenta non liceat, licebit ſaltem ex Bulla hanc D. Fagnani doctrinā eſſe evidenter falſam, oſtendere. Argumentemur ergo ſic. *Impoſſibile eſt duas doctrinas contradictorias eſſe ſimul veras. At ſanctiſſimi D. N. Bulla, & D. Fagnani reſolutiones ſunt contradictoriæ.*

Repugnat igitur, ut ſint ſimul veræ:

At Bulla non eſt dubiè, incertè aut probabiliter admittenda & tenenda; ſed certò. Ergo D. Fagnani opinatio certò & evidenter eſt rejicienda & proſcribenda.

44 Majorem probo. Bulla sanctissimi D. N. est in materia Fidei & morum. In materia Fidei; nam Paulus 1. *Corinth.* 15. *cap.* 20. sic inquit. *Per hominem* (Adamum) *mors*: *& per hominem* (Christum) *resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur* (nota illud *omnes*) *ità & in Christo omnes vivificabuntur*. Et alibi: *Omnes peccaverunt in Adam, &c.* Quos locos attentè S. Augustinus *libro de Baptismo parvulorum* perpendens universaliter loquitur, *& ait Nemo nascitur in Christi corpore, nisi prius nascatur in peccati corruptione*. Sanè præscindendo à Theologia, si secundum crudam litteram & meram Grammaticam judicare deberemus, à propositione universali à Paulo, Augustino, & veteribus Patribus assertâ, neminem exciperemus. Ergo diceremus, esse de fide Deiparam in peccato originali fuisse conceptam: neque contra obstaret in nullo Concilio hoc definitum fuisse: quia in nullo etiam Concilio definitum est terram quiescere; & tamen, quia hæc veritas habet pro se sacræ Paginæ testimonia, quæ videntur clara, Romanæ Inquisitionis Tribunal Galilæi doctrinam, quæ duplici terræ motui (annuo & diurno) insistit, condemnavit hæreseos. Ergo (& hoc iterum dico) præscindendo à Theologia hanc propositionem, *Virgo est sine labe concepta*, dicerent universi Grammatici esse contra sacram Scripturam & Patres, adeoque hæreticam. His tamen non obstantibus sanctissimus D. N. hanc in Ecclesia & Schola, in pulpito & cathedra doceri permittit, & tantum non jubet; nam oppositam doceri, propugnari, imò dici interdicit. Et cur quæso? (& hîc D. Fagnanum optarem respondentem audire) Rogo iterum, cur sanctissimus noster Bullam hanc expedivit? Quia (1.) Grammatica est fallax, & nisi ratione juvetur, exorbitat: nam & præcipuæ hæreses natæ sunt à Grammatica. Quia (2.) rationes graves contradicunt Grammaticæ: nam apud Theologos est opinio probabilis, quæ Deiparam à generali lege excipit. Ergo definitur in hâc Bulla, in materia fidei ad sentiendum & loquendum sufficere opinionem probabilem.

A U-

AUTHOR.

45 Contra id, quod habet D. Caramuel *num.* 111. satis ostensum est in præmissis ad septem dubia præcedentia D. Caramuelem valdè injustè D. Fagnanum cum Jansenio componere: huncque non solum libros in Decretales maximè necessarios doctissimô calamô scripsisse; sed & totam quæstionem de opinione probabili, quam, maturè perpensis ex ipso præmissis, totus Orbis terrarum cum ipsius æterno applausu verissimam & summè necessariam judicabit, sic ut solus æmulus eam expungi aut corrigi desideret, nec alius quàm propriâ sapientiâ excæcatus non videat illam Orthodoxæ fidei & Theologicæ rationis lima sapientissimè politam, & quâ fortius nulla Summum Pontificem extimulare potuerit ad Caramuelicæ probabilitatis expunctionem & correctionem, quam quia prudenter timuit illam imprudenter & cum Ecclesię ac veritatis evidenti præjudicio expungi & corrigi desideravit, præsertim *cum* ut bene notat P. Vincentius Baronius disp. 1. sect. 6. art. 1. § . 1. *Apologemate susceperit D. Fagnani disputationem de probabilitate refellendam, mirum est nihil respondere iis, quæ D. Fagnanus refert latissimè ex utroque jure; ratus se rem confecisse discursu, qui plura habeat vitia, quàm verba.*

46 Contra id, quod habet D. Caramuel *num.* 115. Palpabiliter nimis calumniatur D. Caramuel, ut vidimus in præmissis ad *dubium* 6. ubi ostendimus catenam hæreseos Jansenianæ D. Fagnanum non tangere, & D. Caramuelem fortiore catenari. Ad millenos autem casus contrariè oppositos, in quibus alterum sit necessarium. Respondebit juxta præmissa *dub.* 7. *Resol.* 5. secundum quam nullus in istis casibus potest, & multò minus debet in materia morum, præcisè probabili insistere sententiæ, & necessariò peccare: sed debet, & facilè & dictis *ibid. suppos.* 7. potest operari ex judicio moraliter certo. Unde tantum abest, ut D. Caramuel suam Censuram demonstret quin potius monstrificet, & continuò idem repetat totus confusus & nihil probet efficacia argumentorum D. Fagnani totus convictus.

47 Contra id, quod habet D. Caramuel *num.* 118. & 119. Satis patet ex præmissis ad *dubium* 3. hanc D. Fagnani propositionem. *In mate-*

ria fidei & morum ad securitatem conscientiæ non sufficit opinio probabilis præcisè, esse scientificam, sive demonstrativam, eâ ratione, quâ D. Caramuel demonstrationem sumit, idque demonstratur fusiùs *dub*. 7. per totum.

48 Contra id, quod habet D. Caramuel *num*. 120. Non reperiet D. Caramuel istam omnium Tribunalium accusationem in operibus D. Fagnani: & ipse de istorum Tribunalium processu respondebit, prout suprà ad *object*. 3. contra *Resol*. 9. *dub*. 7. Judices non posse judicare secundum Allegata & probata probabilia præcisè, sed secundum ea dumtaxat ab ipsis judicata invincibiliter vera, sic ut sequendo invincibiliter errent, si errent: hoc autem sensu sunt moraliter evidentia & scientifica, licèt sint physicè fallibilia.

49 Contra id, quod habet D. Caramuel *num*. 121. Est figmentum simile priori, siquidem ex D. Fagnani doctrina sequitur quidem militiæ supremum Ducem non posse sub victoriæ spe probabili præcisè commilitones & exercitum exponere internecioni; quia istiusmodi spei probabilitas præcisè non excusat ab amato peccati internecionis periculo: sed non sequitur, supremum militiæ Ducem id non posse sub victoriæ spe probabili moraliter certificata de non peccato per invincibile judicium, quod hîc & nunc sit pugnandum, ne alioqui exercitus deleatur, aut locus perdatur, ad quem conservandum justè bellatur, sic ut sequendo invincibiliter erret, si erret. Hoc unicum prætendit D. Fagnanus; hoc unicum D. Fagnano sufficit ad victoriam obtinendum in bello contra opinionum probabilitates præcisè; & antequàm signa sua in D. Caramuelem dirigeret, obtinendæ victoriæ certitudinem habuit. Isti unico nihil obstat, quod *varius sit eventus belli sanguinolenti, & nunc hunc, nunc illum consumat gladius*, ut patet; & sic evanescit tota Domini Caramuelis absque forma & figura syllogismi prætensa demonstratio.

50 Contra id, quod habet D. Caramuel *num*. 122. Eadem est refutatio. Nusquam D. Fagnanus Medicos & medicam artem condemnat, nusquam scholam Galenicam & Paracelsisticam esse dicendam probabilem negat, nusquam hanc aut illam ab Orbe Christiano proscribit; sed solam opinionem probabilem præcisè: docens Medicos non posse illam sequi; sed debere moraliter certificatam per invincibile judi-

quod

cium de profuturis præ obfuturis, de magis, quàm minus profuturis, quod sequendo invincibiliter errent, si errent, amplecti; aut alioqui peccare, non invitos & præter intentionem, sed volentes & per intentionẽ probabilem præcisè ægrotum occidere, dũ dicta morali certitudine & securitate facilè muniendi, vias ineunt præcisè probabiles.

51 Contra id, quod habet D. Caramuel *num.* 123. Etiam ibi constanter docet D. Fagnanus, opinionem probabilem præcisè non sufficere, hâcque doctrinâ omnem authoritatem Ecclesiasticam & sæcularem, non tollit, sed fulcit, docens Pontifices, Episcopos, Abbates, &c. Cæsares, Reges, Principes, &c. sua practica decreta & præcepta non munire motivô probabili præcisè, sed moraliter certificatô, moraliter invincibili judiciô de hîc & nunc in bonum publicum ferendis, quod sequendo invincibiliter errent, si errent: & hinc omnia, quæ ipsis alioqui injusta essent, utpotè alioqui obligantia ad prævisum probabiliter præcisè, seu fortè malum, ipsis fiunt justa, & subditis ad obediendum sufficientia, qualia alioqui non essent. Quod verò subdit: nec D. Fagnanum, nec nos tangit, qui non docemus subditos teneri Opinionem tutam probabiliorem sequi, ut vidimus *Resol.* 10. *dub.* 7. sed tutam, sive probabilem sive probabiliorem, ut vidimus *ibidem Resol.* 9.

52 Contra id, quod habet D. Caramuel *num.* 124. *&* 125. Totum illud est efficaciter præoccupatum in præmissis ad *dub.* 2. Quibus nusquam satisfacit D. Caramuel: & sic D. Fagnanus ejus doctrinam irrestruibiliter destruxit; ea verò, quæ resolvit, ineluctabiliter statuit.

53 Contra id, quod habet D. Caramuel *num.* 127. & 128. Eadem est præoccupatio *ibidem* præsertim à *num.* 18. *ad* 21. Solum addo D. Caramuelem *num.* 128. indigere lima profundioris rationis, ut de tota ista D. Fagnani doctrina benè judicet; quia D. Fagnanus agit de moto sibi invincibili ratione naturali, uti evidenter sequitur ex ejus doctrina, quam in præmissis ad *dubium* 2. *jam cit.* præsertim à *nu.* 8. *ad* 16. Sicut autem vult ignorantiam invincibilem ipsum excusare, quin peccet post D. Thomam & sanam Theologiam, ità à fortiori *quin hæreticus sit.* Si autem aliter sentiat D. Caramuel indiget lima Theologica, quâ D. Fagnanus totam suam doctrinam polivit, & statuit.

54 Contra id, quod habet D. Caramuel *num.* 129. E contra *ego rescire* à D. Caramuele *velim, in quo ille libro hanc exorbitantiam & impli-*

cantem censuram *proponi legerit. Hæ propositiones* Christus assumpsit carnem humanam, Christus fuit incarnatus, *& similes sunt repugnantes & impossibiles, & si pertinaciter defendantur sunt hæreticæ.* Numquid Athanasii Symbolum id docet esse necessario credendum, his verbis. *Sed necessarium est ad æternam salutem: ut incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat.* Numquid omnes Theologi docent (& nos probavimus, tum in Logicæ nostræ *Præparamento*, tum nostræ Theologiæ *To. 2. tract. 3. de Incarn. disp. 5. dub. 5.* ubi quantũ fallat D. Caramuel, aperuimus) de eo, quod subjectum *Christus* importat in recto esse judicandum secundum prædicatum, quod ipsi attribuitur; ac proindè prout prædicatum *incarnatus* soli *Verbo* convenit, dicendum quod *Christus* in istis propositionibus dicat *Verbum* in recto, prout in hac, *Christus est filius Dei naturalis*, ut sit sensus, *Christus* secundum quod dicit *Verbum* in recto, *assumpsit carnem humanam*, *Christus* secundum quod dicit *Verbum* in recto *fuit incarnatus*. Quæ positiones his æquivalent, *Verbum assumpsit naturam humanam*, *Verbum fuit incarnatum*. Certè harum positionum negationes, si à D. Caramuele pertinaciter defendantur sunt hæreticæ, haud secus quàm hæc, *Christus* quatenus dicit Verbum in recto *non est filius Dei naturalis*. Unde est, quod D. Caramuel has veritates in Jurista Theologo suspiciat, D. Fagnanus è contra *hunc errorem* D. Caramueli, Apologematis fumô, *condonet* cæcutienti: nam, ut rectè notat Vincentius Baronius disp. 2. sect. 1. Exam. 3. Epist. Caram. §. 3. *Id factum puto disputationis ardore quô præceps abripitur: & dum toto impetu fertur in D. Fagnanum ut feriat, pectus nudat, & nostris ictibus confodiendum præbet.* Cætera autem non sunt ad rem; quia nullus obligatur credere aut non credere, quod si Adam non peccasset, Verbum incarnatum fuisset, aut non fuisset: & si ad alterutrum quispiam obligaretur, non posset in eo opinionem probabilem præcisè sequi, sed solam moraliter certificatam judiciô moraliter invincibili, quod sequendo invincibiliter erraret, si erraret, ut toties recantatum est, & nunquam à D. Caramuele solutum.

55 Contra id, quod habet D. Caramuel *nu.* 130. Aberrat toto cœlo à mente D. Fagnani; siquidem hujus doctrinam neminem perturbare posse, & veracem fuisse illum, qui dixit, *Jugum meum suave est, & onus meum leve* manifestum est ex dictis *dub. 7. Suppos. 7.* & *num.* 217. ac

alias

aliàs sæpè: non enim Christi jugum est quâlibet suavitate suave, & onus ejus qualibet levitate leve, sed intra limites observantiæ præceptorum, *si vis ad vitam ingredi serva mandata* inquit Matth. 19. Alioqui tam verum esset nos posse salvari solâ fide sine operibus præceptis, ut docent hæretici, quàm sola opinione probabili præcisè sine operibus præceptis, quod ex doctrina D. Caramuelis sequitur, quæ cum extendi etiam possit ad probabilem omissionem actus, dictam suavitatem & levitatem magis extendit, quàm vel ipsi appetant hæretici. Corruit autem unô verbô totus discursus D. Caramuelis *de strictissima opinione, eleemosynis, horis Canonicis, jejunio, osculis & Cardinalibus*: si ad hanc ex præmissis D. Fagnani doctrinam maturè attendatur, *in materia fidei & morum, omnis opinio quatenus probabilis præcisè, dura sit aut benigna, displicet; omnis illâ tutior, sive moraliter certificata judiciô moraliter invincibili, quod, sequendo, erretur invincibiliter, si erretur, placet, neque hac tutior aut strictior quærenda est.* Nos istam doctrinam *dub. 7. per totum* efficaciter, ni fallor, probavimus; illam sequitur pientissimus D. Fagnanus in Eleemosynis, Galli in osculis Urbanis, Clerici in horis, Germani in jejuniis & Em. Cardinales in decisionibus, nec sine peccato possunt aliam D. Caramuelis de probalitate præcisè, ut dub. 7. vidimus.

56 Contra id, quod habet D. Caramuel *num.* 136. 137. & sequentibus usque num. 151. *de dispensatione Pontificum in voto solemni, in matrimonio rato, in gradibus consanguinitatis, de dicto Pontificis* esto sacerdos, *de necessitate trium Episcoporum ad Episcopi consecrationem, de schismaticorum Episcoporum potestate & authoritate, de Episcoporum residentia & dataria.* Primò intuitu apparent inutiliter esse congesta, & hîc in vanum à D. Caramuele opposita, consideranti D. Fagnanum solummodò velle, tam Summorum Pontificum non ex cathedra, quàm Theologorum quorumcumque opiniones probabiles præcisè in operationibus, dispensationibus & legibus non esse, nec fuisse licitas: sed omnes qualescumque fuerunt, moraliter certificatas fuisse judiciô moraliter invincibili sicut in istis Summi Pontifices fuerint innixi principiis moraliter certis, *dub. 7. supposito* 7. allatis quod operando, dispensando & leges ferendo, errarent invincibiliter, si errarent, & hôc sensu meritò excusari; nec istô alterô magis esse excusabiles, quam si in dispensationibus & legibus ferendis vincibiliter errassent, quod si judicet D.

Cara-

Caramuel illis omninò gratis atrocem calumniam & injuriam infert, & ut similem, quâ D. Fagnanum, decretorum Pontificiorum zelotem fortissimum, injustè afficit, in ipsum retorqueam *accusat sceleris innumeras Sanctissimorum & prudentissimorum Summorum Pontificum operationes, dispensationes, leges &c.* quas sapientissima D. Fagnani doctrina justissimè excusat. Unde D. Caramueli meritò applicatur illud D. Sinnichii Saulis Exregis lib. 1. cap. 120. num. 455. *Maximè autem præcipites sunt in censurandis extraneis, qui segnes sunt in discutiendis semetipsis.* Et infrà. *Horum quilibet, ut in domum suam eat, nec se deserat, monendus est, per vocem Christi salutiferam.* vade in domum tuam, *quæ sanè monitio tantò rectiùs temerariis aliorum judiciis ingeri poterit, quantò crebriùs accidit, ut ipsi iisdem scateant vitiis, quæ in aliis* (vide præmissa ad *dub.* 5.) *carpserint.*

57 Contra id, quod habet D. Caramuel num. 151. & 152. Pergit equidem in suis exorbitantiis, nec accusationis, quâ D. Fagnanum culpat vel solam umbram in hujus doctrina reperire potest. Infert sine ullis præmissis, *Ergo cum hæc Bulla Alexandri VII. de Immaculata Sanctissimæ Virginis Conceptione & D. Fagnani doctrina sint contradictoriæ.* Quis unquam talem Logicam audivit? & tamen Logicæ defectum in D. Fagnano ubique carpit, ut audire mereatur *Væ tibi, væ nigræ dicebat cacabus ollæ.* Nam ipse plures & intolerabiliores contra Logicam defectus committit: quod probo, ut vidimus, *num.* 115. dicit, *demonstratur censura.* num. 118. *demonstratur*, &c. num. 121. *ut hanc demonstrem.* n. 124. *demonstraturus sum* & sic de aliis: tamen nudas, absque ulla præscripta & demonstrata syllogismorum forma, rethoricas propositiones, probabiles præcisè, adfert, & quantumvis num. 303. in suo monito dialectico ad Antagonistas post hæc verba *Si rethoricari placeat, vos non lego, sum nimis occupatus & tempus his nugis non tero. Si dialecticari velitis, ad arenam descendo.* Pro dialecticæ regulis has quatuor ferat.

1. *Rationibus agunto.* Ne vel unam rationem opponit, quæ meritò D. Fagnanum moveat.

2. *Ab injuriis, dicteriis & scommatibus abstineto.* Illis ubique scatet, ut suprà vidimus.

3. *Nullam merè probabilem in responsione Assertionem ponunto.* Ipse nullas hâc probabiliores ponit.

4. *Præscriptas & demonstratas syllogismorum formas religiosè observanto.* Nullus minus eas observat; ac Proindè ad ipsius Apologema sapienter esset responsum. *Cum D. Caramueli rethoricari placeat, ipsum non lego, sum nimis occupatus, & tempus his nugis non tero. Si dialecticari velit, ad arenam descendo. Attamen non minus sapienter P. Vincentius Baronius disp. 2. sect. 1. Exam. 1. Epist. Caram. §. 1.* Respondet: *nescio quid sibi juris arroget Caramuel, ut in alios plures leges ferat, quarum nullam sibi observandam putet, quamvis æquô jure vivendum illi esset & pugnandum. Rationes sanè apud illum nullas aut paucas lego, scommatum in Adversarios, & (quod ex iisdem causis provenit) suarum laudum non parcus. A tertia lege, quæ jubet solis necessariis & evidentibus* (non sic Caramuel, sed *certis & indubitatis*, it aut in *argum. ad hom.* ab hoc *concessa* comprehendat) *nullis merè probabilibus uti, adeò longè abest, ut ne dicam vera, sed vix probabilia habeat, innumera verò apertè falsa & periculosa: non recuso sycophantæ pœnas, nisi demonstravero, nullam nobis præscriptarum legum ab ipso servatam.* Quid, inquies, numquid *num.* 151. habet demonstrationem in forma? Respondet D. Fagnanus: illius negando minorem, tanquam evidenter falsam, quam D. Caramuel absque ulla probatione indubitatam supponit, hîc & alibi; attamen ipse *num.* 311. dicit *demonstratio, quæ hodiè in mundo formatur, illa est, quæ in legitima forma constituitur, habetque certas & indubitatas præmissas.*

Error pejor priore *num.* 153. infert, absque præmissis ullis, vel solum probabiliter suadentibus. *Ergo definitur in hac Bulla, in materia Fidei, ad sentiendum & loquendum, sufficere opinionem probabilem.* Vel D. Caramuel docet, istius Bullæ definitionem esse ex opinione probabili Summi Pontificis. Vel illam esse objectum opinionis probabilis. Vel illâ definiri, sufficere opinionem probabilem de Sanctissimæ Virginis sine labe Conceptione. Vel illa definiri, in materia Fidei de Sanctissimæ Virginis sine labe Conceptione, ad nostri sensus & locutionis objectum, sufficere opinionem probabilem. Quidquid enim dixerit, videtur ad unum horum reduci debere.

59 Subsumo: atqui *primum* dici non potest: quia inde sequeretur Summi Pontificis definitionem non esse ex speciali Spiritus S. assistentia, sed ex fallibili opinione hominis dumtaxat, quod esse hæreticum probavimus in opere *de Visione Eliæ &c. disp. ultima.* nuperrimè evulgato,

gato, & Theologiæ nostræ *tom. 3. de fide.*

60 Neque *secundum*: quia inde sequeretur Summi Pontificis definitionem non esse objectum Fidei divinæ & infallibilem; sed fidei humanæ & fallibilem, quod etiam est hæreticum, ut ibidem probatum est.

61 Neque *tertium*: quia sequeretur definitionem Summi Pontificis non abstulisse probabilitatem opinionis de Sanctissimæ Virginis non sine labe Conceptione; nam juxta ipsius doctrinam fol. 206. num. 143. (corrige num. 314.) *hodiè subtiliores Theologi hanc docent esse consequentiam legitimam* hæc sententia est probabilis (idem est de *opinione*,) ergo & opposita etiam est probabilis *&c.* Hôc autem positô Tridentinum sess. 5. de peccato originali, his verbis, *Declarat tamen hæc ipsa Sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur Beatam & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem.* Probabile relinquit *Beatam & Immaculatam Virginem Mariam comprehendi in hoc decreto, ubi de peccato originali* ab Adæ propagine contracto *agitur.* Item Sanctissimus D. N. Alexander VII. his verbis. *Nos considerantes, quod sancta Romana Ecclesia de Intemeratæ, semperque Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter celebrat, & speciale, ac proprium super hoc officium olim ordinavit, juxta piam, devotam & laudabilem institutionem, quæ à Sixto IV. Prædecessore nostro tunc emanavit, volentesque laudabili huic pietati, & devotioni & festo, ac cultui secundum illam exhibito in Ecclesia Romana, post ipsius cultus institutionem nunquam immutato, Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum exemplô favere, nec non tueri pietatem & devotionem hanc colendi & celebrandi Beatissimam Virginem, præveniente* scilicet *Spiritus Sancti gratiâ, à peccato originali præservatam, cupientesque in Christi grege unitatem Spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus, & jurgiis, amotisque scandalis conservare: ad præfatorum Episcoporum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, ac Philippi Regis ejusque Regnorum oblatam nobis instantiam, ac preces, Constitutiones, & decreta à Pontificibus Romanis Prædecessoribus nostris, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem sententiæ asserentis, animam Beatæ Mariæ Virginis in sui Creatione, & in Corpus infusione, Spiritus Sancti gratiâ donatam, & à peccato originali præservatam fuisse, nec non & in favorem festi, & cultus Conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ secundum piam istam sententiam, ut præfertur, exhibiti, inno-*

va-

vamus, & sub censuris, & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus. Probabile relinquit *Beatissimam Virginem non esse, præveniente Spiritus Sancti gratia, à peccato originali præservatam.* Quod utrumque tam evidenter falsum est. & improbabile, quàm evidenter falsum est & improbabile ipsos asserere *esse probabile comprehendi*, &c. *esse probabile non esse à peccato originali præservatam* &c. De quo nos ex professo in præcitato Opere *de Visione Eliæ* &c.

63 Neque *quartum:* quia hic error tres alios jam rejectos intricat. Ergo &c. Dicimus igitur. Ex Bulla & Tridentino ad verè sentiendum & loquendum de Sanctisimæ Virginis sine labe aut peccato originali Conceptione, requiri judicium moraliter invincibile, quod ita sentiendo & loquendo invincibiliter erretur, si erretur, non solum innixum nostrâ ignorantiâ invincibili post nostram moralem in veritate inquirenda adhibitam diligentiam, sed & declarationibus Tridentini & S. D. Alexandri VII. in iis, quæ ibi declararunt, moraliter & physicè infallibilibus: quod judicium tam differt ab opinione probabili præcisè, quam judicium sive objectivum, sive formale, ut vidimus suprà *dub.* 7. certum ab incerto, moraliter infallibile à moraliter fallibili. Ac proindè non est, quod *nimis occupati tempus in his* reverà plusquam *nugis teramus.* Et dum falsò *num.* 160. addit, *vidimus D. Fagnani doctrinam à S. D. N. in Bulla clarè condemnari*, multò verius dixisset, nisi sensu D. Fagnani loquatur, *video meam doctrinam de opinione probabili à Tridentino & S. D. N. clarè condemnari.* Vide dictum D. Sinnichii *in Contrariat. præced. num.* 56.

DUBIUM NONUM.

Quid evincant Resolutiones D. Caramuelis pro doctrina de probabilitate.

RESOLUTIO.

64 Dico D. Caramuelis Resolutiones præmissæ, & omnia alia, quæ ex ipso ante *singula dubia* præmisimus, nihil plus evincunt, quàm sententiæ de opinione probabili præcisè opprobrium & doctrinæ sapientissimi D. Fagnani Juris-Theologi exaltationem insuperabilem.

65 Ratio patet ex statim & anteà præmissis: quâ nisi D. Caramuel sensu & lin-

gua D. Fagnani utatur, est in pejori statu, quàm cœcus & mutus, nihilque minus observat, quàm suum Monitum Dialecticum, ità ut totus Adialecticus videatur: valdè præceps est in censurandis aliis, & segnis in semetipso discutiendo, & rethoricando tempus, non in argumentis solidis, quibus doctrinam D. Fagnani, ut suscepit, evertat, omninò terit, sed in nugis, quibus eam statuit & confirmat. Igitur ne nugando tempus similiter teramus.

D. CARAMUEL.

Apologematis *pro doctrina de probabilitate* Epist.3.

1 NUm. 108. 109. & 110. Interim, ut Lector sincerus, & eruditus videat, quam verè dicat homo Deo, *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Ostendam clarè hujus veritatis lumen D. Fagnano alluxisse: at illum non voluisse aut potuisse illo uti, non quidem defectu voluntatis, sed Logicæ.

2 D. Fagnanus sic inquit. *Si quis habeat fidem implicitam, eò quod credat, quidquid Ecclesia credit, sed falsò opinetur ratione naturali* (gravi) *motus. Patrem* (etiam considerato Filio quà Deo) *esse majorem, seu* (non jam ratione, aut origine; sed realiter esse) *priorem Filio vel tres personas esse tres res* (absolutas) *à se invicem* (condistinctas: hoc est, adæquatè) *distinctas, non est hæreticus, nec peccat; dummodò errorem suum* Contra Ecclesiæ determinationem) *non defendat: & hoc ipsum credat, quia credit* (existimat) *Ecclesiam sic credere.* Vide num. 28.

3 Ergo, etsi per imposibile esset de facto vera Angelici Doctoris & Thomistarum opinio asserens *Summum Pontificem in voto solemni dispensare non posse*, sic inquam. *Si quis Religiosus voto solemni obstrictus habeat fidem implicitam, eò quod credat quidquid Ecclesia credit, sed tamen falsò opinetur ratione naturali gravi motus, quod Pontifex potest in voto solemni dispensare: & stante hoc dictamine dispensationem postulet, & impetratâ utatur, non peccat, dummodò errorem suum contra Ecclesiæ definitionem, si quandò aliquandò de hoc prodeat, non defendat: sed hoc ipsum credat, quia existimat Ecclesiam credere* (*putare*) *hanc dispensationem licitè posse concedi.* Sic in Decalogo & Jure divino discurro.

4 Ad Pontificium transeo. Supponamus esse reverà falsam sententiam quæ docet, *die jejunii octo in collatione uncias posse sumi.* Et adhuc ingrediendo viam, quam mihi D. Fagnanus aperuit, sic inquam, *Si quis*

quis habeat voluntatem sinceram (implicitam explicitamvè) quod velit facere, quidquid jubet Ecclesia, sed tamen falsò opinetur ratione gravi motus, quod Ecclesia severiorem collationem in diebus jejunii non præcipiat, & stante hoc dictamine octo uncias in collatione sumat, non peccat, dummodò suum errorem contra Ecclesiæ declarationem non defendat, sed hoc ipsum sentiat; quia existimat sic Ecclesiam sentire.

5 Omnia hæc [*quæ dixit D. Fagnanus, & quæ nos ex ejus verbis intulimus*] complexus est P. Angelus de Clavasio in Summa. verb. *Opinio, sub finem.* Ubi probabilitatem excusare in materia Fidei supponit, & indè infert doctissimè in materia morum etiam excusaturam. Ejus verba subscribo. *Si Joachimus non fuit hæreticus, licèt tenuerit falsum contra fidem, ut patet ex* cap. Damnamus, de summ. Trinit. & Fide Cath. *quia ab Ecclesia talis Articulus nondum erat damnatus; multò magis excusatur quis sequendo opiniones Doctorum, quamdiu talis opinio ab Ecclesia non est reprobata, cum tali voluntate, quod si non crederet veram, non ei adhæreret.* Scripsit Angelus ante annos centum, & videtur ex nobis exscribere; tanta est veritatis vis, ut in diversis temporibus, provinciisque, eandem Decisionem inspiret.

6 Ecce contra D. Fagnanũ ipsummet D. Fagnanum assumpsi, & duo Parallela deduxi, quæ totam destruunt doctrinam D. Fagnani. Attende.

7 Jubet Deus credere, jubet velle, jubet operari. Ergo, si in casu, quô homo evidenter non scit, quid Deus jubet credi, sed laborat ignorantia invincibili, ratio gravis sufficit, ut sine peccato oppositum credat, quàm Deus jubet, modò paratus sit aliter credere, si aliam esse fidem divinam se doceat Ecclesia.

8 Etiam in casu, quô homo invincibiliter ignoret, quid Deus amari jubeat, ratio gravis sufficiet, ut ipse sine peccato oppositum amet, quàm Deus præcipit, modò paratus sit aliter velle, si illum Ecclesia instituat, & aliam esse divinam voluntatem ostendat.

9 Etiam in casu, quo homo insuperabiliter ignoret, quid Deus fieri præcipiat, ratio gravis sufficiet, ut ipse sine peccato oppositum faciat, quàm Deus jubet, modò paratus sit aliter facere, si aliam esse voluntatem Divinam ab Ecclesia didicerit.

10 Ergo etiam à fortiori, si ratio gravis in præceptis divinis de credendo, amando, & operando habet locum, habebit in præceptis Humanis.

11 Stat ergo ex ipsomet D. Fagnano stabilita communis totius Orbis Conclusio, videlicet, *in fidei & morum materia ad securitatem conscientiæ sufficit opinio probabilis*: quæ ex natura sua & ab intrinseco est universalis.

12 *Num.* 166. Pronuncio Naturæ humanæ statum, & laudabilem probabilium opinionum usum coætaneos esse. Ante lapsum Adamus, aliquorum sententia Angelorum ritu omnia cognoscebat exactè. At ego demonstraturus sum Adamum Evamque ante lapsum quandò erant in statu innocentiæ, gratiis nobilissimis condecorati, invincibiliter ignorasse nonnulla, & in ipsis rationibus gravibus hinc inde ductos materialiter erravisse, & in eisdem probabilis opinionis virtute à mortali excusari. Attende.

13 *Num.* 185. Acciderunt hi casus, in quibus Evam Adamumque à peccato mortali probabilis excusavit opinio, post eorum creationem paucis horis. Est igitur coætanea Mundo doctrina de probabilitate. Sanè natus est Christus juxta Saliani computum anno Mundi 4052. quibus, si Christi ætatem (videlicet, anno 1662.) addideris, habebis 5714. annos. Et qua igitur sinceritate D.Fagnanus, qui tam annosam doctrinam propugnant, *Novatores*, appellat?

14 *Num.* 191. Melchisedech non scivit certò & evidenter Saram esse solutam (de hoc enim quis dubitet?) ergo scivit probabiliter tantum. Ejus notitia erat de re, quæ poterat aliter se habere: imò aliter se habebat de facto. Interrogavit. Ergo, ut resciret veritatem, fecit, quod potuit: ergo, & quod debuit. Dicunt Abrahamus & Sara se esse fratres: ergo prudenter. Pharao credidit. Mentiuntur illi, aut æquivocatione utuntur, nam cognati etiam apud Hebræos vocantur fratres, & ipsi erant cognati. Sed quid ad regem hoc, qui non habebat rationem certam & evidentem, ob quam illos judicaret se fallere. Ergo habuit dictamen probabile, Saramque esse solutam prudenter credidit.

15 *Num.* 194, Succurrit secundò Caput 27. Geneseos in quo Isaacus filio suo benedictionem impendit. Sed cui? Primogenito volebat, & debebat. Historia est universis nota: circumstantias necessarias expendam. [Jusserat Isaacus Esaüo primogenito suo, ut venaretur, & cibos sibi pararet, veniretque, ut acciperet benedictionem. Audiit Rebecca, & præparatis aliis cibis præmisit Jacobum, ut præriperet benedictionem.

dictionem. Incœpit dubitare Isaacus, utrum deciperetur. Rationes dubitandi erant graves: prima nimia festinatio: secunda vox, quæ Jacobum prodebat. Audi sacrum textum. *Quibus* (cibis) *illatis dixit* (Jacob) *Pater mi. At ille respondit: audio Quis es tu fili mi? Dixitque Jacob Ego sum primogenitus tuus Esaü: feci tibi, sicut præcepisti mihi. Surge, sede, & comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua. Rursumq; Isaac ad filium suum: Quomodò, inquit, tam citò invenire potuisti fili mi? Qui respondit: Voluntas Dei fuit, ut citò occurreret mihi, quod volebam. Dixitque Isaac. Accede ad me, ut tangam te fili mi, & probem* (pericliter, examinem, cognoscam) *utrum sis filius meus Esaü, an non. Accessit ille ad patrem: & palpatô eô dixit Isaac: Vox quidem vox Jacob est; sed manus, manus sunt Esaü. Et non cognovit eum, quia pilosæ manus similitudinem majoris* (Primogeniti Esaü) *expresserant, &c.* Et hîc ego à D. Fagnano interrogo. An Isaac operatus fuerit, insistens cognitioni certæ: an opinioni Probabili? Rogo iterum, an inhæserit probabiliori: an non potius contentus fuerit minus probabili? Porrò habebat Isaacus hinc inde rationes; illas haustas ab aure, istas haustas à tactu; & tametsi auris tactu sit tutior, ille tactui sensui minus securo credidit. At à sacra Pagina non reprehenditur. Ergo in re gravissima, tutâ conscientiâ sequutus est opinionem minus probabilem. At Isaacus ante millenos annos fuit. [Salianus hanc benedictionem accenset anno mundi 2276. Isaici 138. Jacobi 78. ante Christum 1777. accidit igitur à 3439. annis.] Ergo est antiquissimus usus dictaminis, & sententiæ probabilis.

16 *Num.* 198. 199. & 200. Transeamus ad Christianos, & videamus: an primitiva Ecclesia habuerit & cognoverit Opiniones probabiles? Negavit Libertus Fromondus: negarunt omnes Jansenistæ: negat hodiè D. Fagnanus: sed Theologi universi affirmamus. Ut hoc suaderem, Ego olim *in Theologia Regulari disp. 6. art. 3. num.* 60. ad S. Dionysium Areopagitam recurrens egi de conversione aquæ in calice, an prius in vinum, quàm in Christi sanguinem transeat? Quidquid enim Dionysius diceret, non nisi probabiliter diceret. Modò, ne eadem iterum repetam, ad S. Petrum converto oculos, & interrogo, quomodò intelligantur illa Apostoli verba, *restiti in faciem, quoniam reprehensibilis erat?* Variant expositores, & ego ex Cornelio à Lapide, qui antiquos celebriores consuluit, hæc pauca exscribo.

17 *Ut*

17 *Ut Theophylactus, & Oecumenius* (docent) *reprehensus erat Petrus ab aliis Apostolis, quod cum Cornelio Gentili sumpsisset cibum Cæsareæ. Hinc veritus, nè rursus ab eis, aliisve Judæis reprehenderetur, subduxit se à Gentium mensis & conversatione.* Ecce Petrum & Apostolos cæteros in materia morum, quæ etiam ad fidem potest reduci, dissentientes. Veritas erat à Petro, quoad Visitationem Cornelii: ergo cum non dentur duæ contradictoriæ simul veræ: & Apostoli in gratia confirmati, mortaliter peccasse dicendi non sint, certum est illos Zelô & opinione probabili ductos monuisse, aut etiam reprehendisse Petrum. Sed etiam in aliis rebus nimis Judæis connivendo, erravit Petrus, non ut caput Ecclesiæ se benè fecisse definiendo. At ut homo particularis. Unde se erravisse confitendo, in faciem reprehendi desideravit. *Hoc tamen peccatum Petri*, ait Cornelius à Lapide, *leve fuit & veniale, aut materiale tantum ex inconsideratione nimirum, vel defectu luminis & prudentiæ; putabat enim bonâ fide Petrus se Judæorum, quorum præcipuè hactenus fuerat Doctor & Apostolus, offensionem cavere debere potius, quàm Gentium, & Gentes idipsum scire, aut facilè cogitare posse. Sed in hac sua opinione erravit Petrus: licèt enim, ait D. Thomas, Spiritus Sanctus, in Apostolos descendens in Pentecoste, eos deinceps confirmaverit in prudentia & gratia, ut evitarent omnia peccata mortalia, non tamen ut omnia venialia effugerent.* Ecce doctissimus P. Cornelius à Lapide erravisse Petrum affirmat, & duobus modis hunc errorem componit cum gratiæ inamissibilitate die Pentecostes susceptâ: nam vel fuit error formalis levis, aut materialis gravis. Primum, dici non potest; quia materia erat gravis, & non fiunt ex inconsideratione, quæ sæpè & contradicentibus cæteris fiunt: ergo superest, ut dicatur secundum: videlicet Petrum peccasse purè materialiter *defectu luminis*; non enim hîc veritatem intuebatur evidenti notitiâ, nec de illa erat instructus divinâ aliquâ revelatione; *sed putabat, bonâ fide*, hoc est rationibus gravibus & probabilibus ductus, se benè facere.

18 Ergo: sicut Petrum in gravissima materia, quæ mores & fidem concernit, bona fides & probabile dictamen à mortali, aut etiam à veniali excusavit, ità & poterit excusare nos, si probabilem opinionem sequamur.

19 Hanc doctrinam, ut existimo Canonicam fecit Apostolus, *quod non*

non eſt ex fide, peccatum eſt. Sanè Cornelius Janſenius & ante illum Michaël Bayus Catholici; Martinus Lutherus, & Joannes Calvinus, Hæreſiarchæ: Fidei nomine fidem ſupernaturalem intelligentes, intulerunt. *Ergo omnia infidelium opera ſunt peccata, & omnes virtutes Ethnicorum ſunt vitia.* Quod meritò Apoſtolica Sedes condemnat. Non errarunt hi homines in Logica: nam, ſi Paulus exponitur, ut volunt, non malè infertur, quod delirant. At errarunt, ut ſolent Heterodoxi, in Grammatica, Paulum non benè interpretando: ibi enim *Fides*, non ſumitur pro fide Theologica; ſed pro bona fide & ſincero dictamine: ac ſi dicat, *Quod non ſit ex fide* (bonâ fide, ſincerô dictamine; certo quandò quis habet certam veritatis notitiam, probabili, quandò defectu luminis laborat ignorantia invincibili, & ſolum probabili ratione ducitur) *peccatum eſt.* Unde *num.* 14. ſubjungit. *Scio & confido in Domino Jeſu: quia nihil* (de cibis agit) *commune per ipſum, niſi ei qui exiſtimat* (credit, opinatur, dictamine ſuô ductus ſentit) *quid commune eſſe, illi commune eſt.*

20 *Num.* 204. Inſtabis: poſt Apoſtolorum tempora antiquatum, & obſoletum eſſe honeſtum prudentemque probabilitatum uſum, & inde ſubortam ſentiendi & operandi libertatem.

Sed deciperis ſanè. Nam Gregorius, Auguſtinus & alii Patres in materia fidei & morum multa ſenſerunt, dixerunt, ſcripſerunt, fecerunt quæ merè probabilia ſunt.

21 *Num.* 213. & 214. Potuerunt & debuerunt veteres Patres dictamini probabili, licèt falſo, inſiſtere, quamdiu invincibiliter veritatem neſciebant: ſic nos docuit Bernardus: Videamus modò quid ipſe ſentiat de ſeipſo. In eodem libello de præcepto cap. 47. ſic inquit. [*Vos me in hac difficultate conſilii facilè expeditis cum deindè ſequimini, & quatenus accipi hoc ipſum velitis, quod appellatis* irregulare, *aperiendo ſubjungitis. Præſertim, ſi electionis irregularitas, adeò involuta ſit & intorta, ut licèt de ea coram Deo non dubitetur, coram hominibus tamen aut vix aut nullatenus convincatur. Venit nunc quoque in mentem ſapientis eloquium. Occaſionem quærit, qui vult recedere ab amico. Quonam modô vos irregularem dicitis electionem, quæ caſſari regulariter non valet, aut reprobari? Et quidem legitur, Quod probari non poteſt mihi infectum eſt.*] Nota illud *mihi.* Porrò rerum aliæ exiſtunt realiter, aliæ virtualiter. Termini ſunt no-

ti, & à nobis variis in locis explicati. Existit homo realiter, quandò vivit: virtualiter verò post mortem, si ità se habet, ac si realiter viveret, sicut de *esse* sic de *non esse* Philosophandum est. Ergo Bernardus, ut suum intellectum & voluntatem dirigat, non quærit, quid factum aut infectum absolutè sit? supponit enim hoc sæpè humanitùs sciri non posse. Quærit autem, quidnam probetur, aut non probetur: rem enim erit crediturus, si probaveris: quam ipsam erit, si non probaveris, decrediturus. Cum autem probatio sit duplex; plena & semiplena: de qua quæso intelligendus Bernardus est? Constat ex ejus verbis. Dicebant Carnotenses, *quod irregularitas electionis coram hominibus vix aut nullatenus convincatur:* & respondet Bernardus, *quod probari non potest:* (hoc est, quod coram hominibus non convincitur, id est, plenè probatur;) *mihi infectum est*. Protestatur igitur S. Bernardus asseritque se non debere intelligere, & credere positiones, prout sunt coram Deo (nondum enim gloriæ lumine suffusus erat) non, ut sunt apud Angelos: (non enim habebat rerum intuitivam notitiam, sed discursivam) sed tantum, ut sunt apud homines (ipse enim homo erat, ut cæteri:) statuit ergo, se teneri assentiri propositioni practicæ, si convincatur; si plenè probetur: non aliàs. Quid autem si non convincatur, sed tantum semiplenè probetur? quid si non evidenter, sed tantum verisimiliter (minus, æquè ac magis probabiliter) suadetur? in hoc casu respondet se posse liberè dicere, *Quod probari* (convinci & demonstrari) *non potest, mihi infectum est*.

22 Videat igitur D. Fagnanus, An Bernardus materialiter ad tutam positionem; an verò ad eam, quæ convincitur & demonstratur, recurrat, antequam assentiendi obligationem statuat. Erat in possessione Abbas: & beatus, qui possidet. Et non poterant Carnotenses Monachi à Bernardo extorquere, ut irregulariter esse promotum pronunciaret, nisi electionis convincerent (evidenter ostenderent) irregularitatem.

23 Ergo in omni quæstione de facto (omnes Morales tales sunt) si me velit ad unam contradictionis partem coarctare D. Fagnanus, dicam liberè, *quod probari* (convinci & demonstrari) *non potest, mihi infectum est*.

24 *Nu.* 246. Natam cum Mundo fuisse sententiarum probabilium securitatem vidimus. Horum usus Evam, imò etiam Adamum à multis

gra-

gravibus peccatis ante lapsum excusat. Post diluvium in Testamento Veteri, Melchisedechum, Ægypti Pharaonem, Patriarcham Jacobum; &c. in Novo, Petrum, Paulum, & cæteros Apostolos: Augustinum, Gregorium; &c. Angelicum Doctorem (quem Christus Dominus, quod probabilia in fidei & morum materia scripserit, *benè de se scripsisse* testatur) Doctores Scholasticos, &c. Superest aliquid, quod vel ad antiquitatem vel ad dignitatem Opinionum probabilium firmandam addi possit? In genere aut specie non video: scio enim aliquibus Casibus particularibus Resolutionem quamlibet ex positis extendi posse, at nullum puto addi posse, qui ad aliquam ex positorum classem non possit aut debeat reduci. Ergo, ut Resolutionem præcedentem confirmem, & viam ad sequentem aperiam, Contemplationis alis ad arcem Empyream transvolemus: &, *an opinionum probabilitas apud Angelos locum habeat*? breviter discutiamus.

25 *Num.* 252. Assertio tertia. *Persarum & Græcorum Angeli voluerunt de facto id, quod nolebat Deus, & tamen nullo modo peccarunt.* Patet illud prius; quia volebant, ut Hæbreus populus in captivitate detineretur; & Deus absolutè volebat, ne detineretur, ut manifestavit eventus, nam ille fuit à captivitate liberatus. Patet ex Assertione 1. hoc posterius. Sed cur non peccarunt illi Angeli? Quia definitivam illam Dei voluntatem invincibiliter ignorabant: quia illud decretum esse conditionatum probabiliter opinabantur; quia habebant argumenta gravia & probabilia, quibus suam opinionem fundarent: unde si illud, quod *à cap.* 11. *vers.* 2. *Danielis* sumebant, erat probabilius, Gabriël & Michaël sequebantur opinionem minus probabilem: &, si minus probabile, jam ipsi probabiliori relictâ, minus probabilem sequuti sunt.

26 *Num.* 255. Ecce doctrina de probabilitate in ipsomet Empyreo, apud Angelos gloriosos locum habet: nec enim omnia illi sciunt; & in his quæ invincibiliter ignorant, probabilibus argumentis ducuntur, nec semper probabiliorem nec materialiter tutiorem partem sequuntur: ergo exorbitat, quicumque existimat, velle Deum homines perfectius intelligere, amare & operari, quam Angelos.

AUTHOR.

27 Contra id, quod habet D. Caramuel *num.* 107. 108. 109. *&* 110. Certè ibi fingit D. Fagnanum contra D. Fagnanum, uti & ipsum non voluisse veritatis lumine, quod ipsi alluxit, & de facto usus est: quia D. Fagnani sensus est, *Si quis* &c. *non est hæreticus, nec peccat: dummodò errorem suum non defendat; & hoc ipsum ex ignorantia invincibili credat; quia ex ignorantia invincibili credit Ecclesiam sic credere.* Hunc autem esse D. Fagnani sensum, evidenter constat ex præmissis ad *dub.* 2. 3. *&* 7. Quia autem loca ibi ex D. Fagnano citata vidit, & legit D. Caramuel. *Ostenditur clarè hujus veritatis lumen D. Caramueli alluxisse: at illum non voluisse, aut potuisse illo uti; non quidem defectu visionis aut lectionis, sed affectu Apologematis.* Unde malè infert num. 110. *Stat ergo ex ipsomet D. Fagnano stabilita totius Orbis Conclusio, videlicet in fidei & morum materia ad securitatem conscientiæ sufficit opinio probabilis.* Maleque, inquam; quia malè mutat sensum D. Fagnani de limitato & conditionato in absolutum, cum esse debeat, *In fidei & morum materia ad securitatem conscientiæ sufficit opinio probabilis, dummodò* sive, *si sit per ignorantiam invincibilem moraliter certificata.*

Contra id, quod D. Caramuel habet *num.* 166. & 185. Non probabit D. Caramuel opinionem probabilem præcisè, *Evam Adamumque à peccato mortali excusasse*; sed solam *ignorantia invincibili moraliter certificatam*, prout constanter defendit D. Fagnanus: cujus proindè sententiam probat D. Caramuel fuisse *coætaneam Mundo*; non verò *doctrinam de probabilitate* præcisè, ut prætendit.

Contra id, quod habet D. Caramuel *num.* 191. Respondebit D. Fagnanus Pharaonem putasse, ex invincibili ignorantia oppositi, moraliter certò, & moraliter evidenter, Saram esse solutam: nam, ut fatetur D. Caramuel, *ut resciret veritatem, fecit, quod potuit.* Unde falsa est prima hæc D. Caramuelis illatio, *Ergo scivit probabiliter tantum.* Et secunda est manca, *Ergo habuit dictamen probabile, Saramq; esse solutam prudenter credidit.* Hocque modô integrari debet: *ergo habuit dictamen probabile ex invincibili ignorantia oppositi moraliter certificatum, moraliter evidens factum* &c. *Saramq; esse solutam prudenter credidit*, alioqui nonnisi

nisi imprudenter, uti ex ignorantia vincibili, id credidisset, ut toto *dub.* 7. probatum est.

Contra id, quod habet D. Caramuel *num.* 194. Attentis Scripturæ verbis, *& non cognovit eum* &c. & propriâ doctrinâ D. Caramuelis n. 91. *Ignorantia vincibilis virtualiter scientia est*. Isaacus processit ex ignorantia invincibili; ac ideò *operatus est insistens cognitioni moraliter certæ, non opinioni probabili* præcisè; sed *ex ignorantia invincibili moraliter certificatæ* dumtaxat, ut vult D. Fagnanus. Unde omninò falsa est D. Caramuelis consequentia *præcisè* sumpta, ut jacet, *Ergo in re gravissima, tutâ conscientiâ, secutus est opinionem minus probabilem*. Falsa item hæc præcisè, *At Isaacus ante mille annos fuit; ergo est antiquissimus usus dictaminis & sententiæ probabilis*. Vera autem solius D. Fagnani, *Ergo est antiquissimus usus doctrinæ D. Fagnani*.

Contra id, quod habet D. Caramuel *num.* 198. *&* 199. fallit D. Caramuel conjungens *bonam fidem* cum *opinione probabili præcisè*: nam ostendimus *dub.* 7. à *num.* 195. *ad num.* 214. bonam fidem cum hac non magis subsistere, quàm cum timore actuali de opposito, ignorantia vincibili &c. ac proinde respondebit D. Fagnanus in eo, in quo S. Petrus bonam fidem habuit, ex ignorantia invincibili processisse, & ideò excusari à peccato, non ex vincibili, quam Theologi universi affirmant non excusare à peccato. Unde doctrinam D. Fagnani reipsâ non solum Universi Theologi affirmant; sed & eam *factum Petri* confirmat: ac per consequens, quod infert D. Caramuel *num.* 200. *Ergo sicut Petrum in gravissima materia, quæ mores & fidem concernit, bona fides & probabile dictamen à mortali, aut etiam veniali, excusavit, ità & poterit excusare nos, si probabilem opinionem sequamur*. Non solum falsum est *si præcisè*, ut jacet, sumatur, sed incompossibilia involuit, ut statim vidimus; prout & quandò addit in fine, *probabili, quandò defectu luminis laborat ignorantia invincibili & solum probabili ratione ducitur*, ut notavimus in præmissis ad dub. 5. & 6.

Contra id, quod habet D. Caramuel *num.* 204. Solutionem habes in simili *dub.* 7. *à* n. 220. ad n. 233. Et D. Caramuel solutionem illam confirmat iis, quæ attulimus ex num. 213. *quamdiu invincibiliter veritatem nesciebant*. Et *ibid.* infrà, *quod probari* (addit D. Caramuel explicationis gratiâ, *convinci & demonstrari*) *non potest, mihi infectum est*. Quasi

 diceret

diceret *id cujus veritatem ignorantiâ invincibili ignoro, mihi infectum est.* Non verò, ut videtur aliàs velle D. Caramuel *id, quod opinor probabiliter præcisè, mihi infectum est:* quia hæc opinio adhuc laborat ignorantiâ vincibili, quæ à facto & peccato non excusat. Unde D. Caramuel per adjectam explicationem videtur ad saniorem mentem accedere, & D. Fagnani doctrinam amplecti, cujus lumen excussit, non defectu lectionis, sed affectu Apologematis, ut *num.* 27 contra 1. notavimus.

Contra id, quod habet D. Caramuel *num.* 246. Si omnia intelligantur de *probabilibus præcisè*, omnia jam sunt efficaciter rejecta; si de probabilibus ex ignorantia invincibili moraliter certificatis, omnia applicari debent doctrinæ D. Fagnani, ut vidimus: ac proindè D. Caramuel, pro D. Fagnano studuit, ejus doctrinam probavit, & confirmavit: & meritò; quia valdè pertinax est, qui patentem veritatem interdum non fateatur, quod de D. Caramuele, nequidem probabiliter præcisè opinari volo.

Contra id, quod D. Caramuel habet *num.* 252. Patet ex propria confessione D. Caramuelis, Angelos illos id noluisse ex ignorantia invincibili divinæ voluntatis definitivæ: ac proindè non ideò non peccasse; quia secuti sunt sententiam probabilem præcisè, sed ex ignorantia invincibili certificatam: nam ad hanc quæstionem, *Sed cur non peccarunt illi Angeli?* Respondet: *quia definitivam illam Dei voluntatem invincibiliter ignorabant.* Profectò non posset clariùs D. Fagnani doctrinam amplecti. Utinam citius, suis & nostris laboribus justè pepercisset; præstat tamen serò, quam nunquam.

Contra id, quod tandem habet D. Caramuel *num.* 255. Suam resipiscentiam confirmat per hæc verba, *& in his, quæ invincibiliter ignorant probabilibus argumentis ducuntur.* Si ità est, inquies, cur igitur non dicit clarè, *Ecce doctrina D. Fagnani de probabilitate, ex ignorantia invincibili, moraliter certificata in ipsomet Empyreo apud Angelos gloriosos locum habet?* Debet quidem: sed humanæ infirmitati parcendum; nam pudet extrajudicialiter in ipso actu Apologetico propriam turpitudinem clarè fateri, cum *Theol. fundam.* fund. VIII. ult. imp. scripserit, *nos hodiè viris magnis succedimus, sumusque conceptuum selectissimorum* (puta *Socratum, Platonum,* & *Aristotelum*, de quibus ibidem *Gregoriorum, Ambrosiorum, Augustinorum, & Hieronymorum*, de quibus Epist. ad Magist.

suprà

suprà fol. 12.) *hæredes, & dum omnes legimus & audimus, etsi essemus ingeniô suppares, doctiores dici deberemus.* Quare ad rem & veritatem accommodatissimè P. Vincentius Baronius disp. 1. sect. 5. §. 1. *Caramuel sui Apologematis titulô (Totius Operis Argumento* post Titulum verius) *magnificô magis, quàm verô asserit,* doctrinam de probabilitate coætaneam esse mundo, & omni ævo in Ecclesia & in schola communem. *Sed cum ipsemet conscius sibi sit, hæc tituli libro præfigi facilius potuisse, quàm totô opere probari, & ad pompam dicta esse, ut fraudem faciat incautis, nullis argumentis, solis paralogismis, ac verborum phaleris urgeri & jactari; hinc ipse & reliqui omnes rati antiquitatem suæ causæ obesse plurimum, nihil favere novæ doctrinæ, à novitatis laude, & à Recentiorum supra Antiquos commendatione fidem sibi faciendam esse putant.* Quæ addit ex Theol. fund. Caram. num. 197. non reperio: & dum de Caramuele subdit, *Infert, Juniores subtilioribus ingeniis præditos, ac proindè Socrate, Platone, & Augustino fuisse acutiores & oculatiores, Thomas, Scotos, Molinas, Suarios, Vasquios.* Textum falsificatum lego: nam sic habet, *dicturi sumus necessariò Juniores subtilioribus ingeniis præditos, & Socratibus, Platonibus, Aristotelibus fuisse acutiores & oculatiores, Thomas, Scotos, Molinas, Suarios, Vasquios. Cur & non istis viventes aliquos anteponere posset sinceritas, nisi obligaret reverentia & cautela, ne dicatur excellentissimorum invidere cineribus, & solis coætaneis adulari.* Cavendum autem, ne arguat de calumnia: satis erat ex præcitata ejus epistola attulisse. *Interlego priscæ ætatis historias, admirabundus observo, nullum sæculum debere conferri cum nostro; nam si ingeniorum numerum considerem, tot habet viros doctos hæc ætas, quot omnes præteritæ simul: & si ingeniorum eminentiam perpendam, fuisse olim in orbe litterario Theologos vobis suppares, vel majores, crediturus non sum.*

DU-

DUBIUM ULTIMUM.

An & quantum dissideat D. Caramuel à D. Fagnano.

RESOLUTIO

Dico DD. Caramuel & Fagnanus in doctrinæ substantia conveniunt, & solis verbis dissident.

Probatur: quia D. Caramuel verbis affirmat, *in materia fidei & morum sufficere ad securitatem conscientiæ opinionem probabilem* præcisè, & sine addito; sed jam argumentis D. Fagnani convictus reipsâ subaudit *ex ignorantia invincibili moraliter certificatam*, uti in præmissis ad hoc *dubium ultimum* vidimus & maximè ex eo, quod continuò supponat licèt falsò, opinionem probabilem præcisè includere ignorantiam invincibilem: D. Fagnanus verbis negat, *in materia fidei & morum sufficere ad securitatem conscientiæ opinionem probabilem*, præcisè & sine addito; sed, à D. Caramuele tamen non convictus, reipsâ subaudit, *nisi ex ignorantia invincibili moraliter certificatam*, ut patet ex præmissis ad *dub.* 2. & 3. ac Summario totius doctrinæ D. Fagnani ad Thesim, *Ad securitatem conscientiæ non sufficit* (nota) *opinio probabilis*, quæ æquivalet huic *In opinione probabili præcisè*, sive præscindendo ab ignorantia invincibili legis seu præcepti de aliis, quàm necessariis necessitate medii, de quibus solum quæstio & Thesis, *non est conscientiæ securitas.* Atqui hoc est in doctrinæ substantia convenire & solis verbis dissidere: ergo &c.

Dixi *in doctrinæ substantia*, &c. quia de processu injuriarum nihil ad me; est, qui judicet: satis est, quod æquivocationes, unde omnes controversiæ & lites, quantum potui, abstulerim, & omnes exerrationes ac paralogismos D. Caramuelis notaverim, dum fuit aliâ, quàm sapientissimi D. Fagnani, mente quodammodò captus, licèt reverà aliud in substantia, nec sentiret, nec diceret aut saltem in re ipsa dicere vellet, quàm unus toti mundo celebris & sapientissimus D. Fagnanus: cujus veræ sapientiæ soliditati, facilè, ut spero, attentâ concordiâ, & præmissis *Dub.* 3. *num.* 98. ac *Dub.* 4. *num.* 29. 30. *& seq.* etiam cedent alii, qui ignorantiam invincibilem juris naturæ nolunt excusare à peccato, ut hanc gloriam mereatur, quod totum orbem Theologicum, probabilitatum quæstione vehementer agitatum & turbatum, suâ à Deo acceptâ sapientiâ, cum hæreticorum & impiorum confusione, ad sanctam unionem & desideratam pacem perduxerit. Amen. Amen.

CEN-

CENSORUM.

Apologematis D. Caramuelis approbationes parùm sinceræ, & D. Fagnano multùm injuriosæ.

Apologematis D. Caramuelis Censores, non minus injuriosè, quàm indoctissimè, Jansenistarum machinas & fraudes D. Fagnano tribuunt, Jansenii hæresim in eo reviviscentem convitiantur, & ipsum debitis spoliant meritis, ut D. Caramuelem vestiant alienis. Nam, *quidquid contra opinionem præcisè probabilem D. Fagnanus docet, catholicè docet: quidquid in Caramuele impetit, convictus Caramuel cedit: si alii aliter sentiunt, vel non legerunt, vel non penetrarunt fundamenta utriusque, verbis potius, quam rebus, sibi adversantis*: ut autem legant commodiùs, & penetrent profundiùs, Apologema retortum dedimus, in retortione memores, quantum ipsa permisit, Reverentiæ Episcopalis, quæ in Apologemate oblita est Illustrissimæ dignitatis. Quia autem D. Caramuelis Apologema & hujus Censuræ unâ perenni calumnia ac jugi convitiô fidem Prçlati Catholicissimi ac famam viri verè sapientissimi iniquissimè dilacerant, & hodiè nonnullos experimur falsos criminatores, qui, ne vilescant, aut famam suam deterant justè retractando, quod scripserunt injustè calumniando, in malum trahunt illud Pilati, *quod scripsi, scripsi.* Item illud, *Doctorem non decet propriam retractare sententiam* &c. loco *Moniti Dialectici*, quô D. Caramuel suum Apologema concludit, alterum (quod etiam contra istos D. Fagnani calumniatores, nisi retractent admodum serviet) subjicio *Monitum Christianum*, ut sequitur.

AD LECTOREM.

DE judicio prudentum suspendimus MONITUM CHRISTIANUM, statim & in *Dubiorum Serie* prætactum, ob actionem coram Domino Rectore Magnifico Universitatis Lovaniensis à nobis intentatam contra R. P. M. Lupum Ord. Erem. S. Aug. pro obtinenda satisfactione super injuria ab eo Joanni 44. Patriarchæ Jerosolymitano & Carmelitarum Ordini illata, ut videre est in nostra APPENDICE APOLOGETICA ad VISIONEM ELIÆ, &c. nuperrimè typis Engelberti Gymnici Impressoris Antverpiensis evulgatam.



AD LECTOREM.

R*Ationem habes, Eruditissime Lector, in fine* APOLOGEMATIS *nostri in D. Caramuelem nuperrimè* RETORTI, *cur præsens* MONITUM CHRISTIANUM *in hanc diem suspenderimus: aliam modò subjicimus, quæ illud statim laxandum omninò suadet, videlicet in Joannem Jerosolymæ Episcopum, sive* 44. *Patriarcham Jerosolymitanum, R. P. M. Lupi Ord. Erem. S. Augustini ante jactam calumniam, modò gravissimâ S. Epiphanii, S. Hieronymi, Em. Baronii, Em. Bellarmini & Authorum Censuræ Theologicæ, extantis* Tomo 9. Bibliothecæ Sacræ, *per M. S. Palatii, Sacrasque Facultates Parisiensem & Coloniensem probatæ, injuriâ, haud minus falsò, quam speciosissime palliatam. Calumnia enim P. M. Lupi est hæc,* qui hodiè pro Tertulliano, Origene, Lucifero (*nota P. M. Lupum etiam hunc, de quo infrà, valdè injuriosè cum Luthero & Calvino comparare.*) Joanne Jerosolymitano Apologias in Ecclesiam spargunt, lavant Æthiopes, compescendique sunt, ut ingenia libertina, & noxia, nisi brevi etiam pro Mart. Luthero & Joanne Calvino velimus Apologias videre. *Pallium verò sive Responsum ejusdem P. M. Lupi ad libellum adversùs ipsum D. Rectori Magnifico à nobis, ut justam satisfactionem impetraremus, porrectum, fuit hoc* 31. *Augusti* 1665. Magnifice D. Rector. Ad libellum, adversus me à RR. PP. Carmelitis exhibitum, respondeo me de Joanne Jerosolymæ Episcopo nihil scripsisse, nisi quod habent S. Epiphanius, S. Hieronymus, Card. Cæsar Baronius, Card. Robertus Bellarminus, & Censura Theologica, extans Tomo 9. Bibliothecæ Sacræ, probata per Magistrum Apostolici Palatii, Sacrasque Facultates Parisiensem & Coloniensem. Ego de libris meis nihil possum radere, nisi cum tantorum Virorum gravissimâ injuriâ. Ubi eorum scripta videro per Roman. Ecclesiam damnari aut aboleri, ego etiam libros meos, non tantum ad Magnificentiæ vestræ jussum, sed propriâ sponte radam mox & recantabo. Quod dum fiat, supplico me, qui bonis horis ad res serias opus habeo, absolvi ab accusantium molestiis, & ipsos à dicacibus elogiis, quæ monachalem modestiam insigniter dedecent, compesci per vestram Magnificentiam, quam Deus, &c. F. Christ. Lupus.

Unde manifestum est P. M. Lupum in judicio D. Rectoris Magnifici Universitatis Lovaniensis, fecisse S. Epiphanium, S. Hieronymum, Em. Card. Baronium & Bellarminum, &c. *Authores calumniæ, quam contra Joannem Jerosolymitanum & totum in eo Carmelitarum Ordinem effutivit, uti evi-*

evidenter sequitur ex præmissis illius verbis: Respondeo me de Joanne Jerosolymæ Episcopo nihil scripsisse, nisi quod habent S. Epiphanius, S.Hieronymus, Card. Cæsar Baronius, Card. Robertus Bellarminus & Censura Theologica, &c. *Etsi tam verum sit, P. M. Lupum scripsisse calumniam, quam non habent, quàm verum est, ipsum nec citare, nec posse, loca, in quibus vel solum apparenter quidpiam simile habent. Ut quid igitur tam evidens figmentum?*

Replicaret credo S. Hieronymus, si viveret. Ubi Joannem Jerosolymitanum, ante vel post mortem vocavi Æthiopem? *Numquid apertè de illo in* Epistola adversus ipsum *scribo,* non eras tam stultus, ut apertè defenderes hæresim, quam sciebas Ecclesiæ displicere. *Et de eodem addo:* Certè si hæreseos nulla suspicio, ut cupio, & credo (*nota*) cur non (*hujus rationem habes in* APPENDICE APOLOGETICA *efficacissimam*) verbis meis sensum meum loquitur? *Ac confirmo ad Isidori pro Joanne objectionem,* Quare ei communicastis, si hæreticus erat. *Ibidem respondens,* audivit ab omnibus, communicavimus nihil de hæresi suspicantes, &c. *Nec ab eo recedit Epiphanius in Epistola ad Joannem scribens,* quandò autem complemus orationem secundum ritum mysteriorum, & pro omnibus, & pro te quoque dicimus, custodi illum, qui (*scilicet Joannes Jerosolymitanus*) prædicat veritatem. *Ubi scripsi, tot PP. Sanctos, Pontifices, Doctores, & Martyrologistas infrà relatos, pro Joanne Jerosolymitano Apologias componentes, esse* ingenia libertina & noxia? *Ubi comparavi Joannem Jerosolymitanum* (*cui post pœnitentiam de mea adversus ipsum malè fundatâ & nimium exaggerata suspicione Origenismi, nondum ab Ecclesia damnati, reconciliatus sum, me ei tanquam Sancto subjeci, pastorem habui, nec usquam insinuavi ipsum in hæresi mortuum*) *Martino Luthero & Joanni Calvino, quorum errores sunt passim in Tridentino damnati, & in sua hæresi creduntur obstinatè mortui. In summa, ubi umbram habeo horum tuæ calumniæ verborum,* qui hodiè pro Joanne Jerosolymitano in Ecclesia Apologias spargunt, lavant Æthiopes, compescendique sunt tanquam ingenia libertina & noxia, nisi brevi velimus pro Martino Luthero & Joanne Calvino Apologias videre. *Nusquam certè.*

Idem indubiè replicaret S. Epiphanius ob præmissa, & alia in APPENDICE *&c. fusiùs deducta. Idem etiam replicarent Em. Card. Baronius & Bellarminus; quia licèt SS. Epiphanio & Hieronymo intenti, sed non satis ad utriusque vindictam, & subsecutam pœnitentiam, attenti, Joannem describant de hæresi, sive de Origenismo suspectum, aut si malis, Origenistam:*

nus-

nusquam tamen scribunt, ipsum fuisse de aliqua antè damnata hæresi ab aliquo Concilio aut Pontifice condemnatum, nusquam in operibus ejus reperiri hæresim, non solum non ante, sed nequidem post mortem ejus, damnatam, nusquam ipsum in hæresi mortuum: ac proindè nusquam, vel ex umbra solum, hæc, qui hodiè pro Joanne Jerosolymitano Apologias in Ecclesia spargunt, lavant, Æthiopes, compescendique sunt tanquam ingenia libertina & noxia, nisi brevi velimus Apologias pro Martino Luthero & Joanne Calvino videre. *Quid plus?*

Replicarent isti omnes, si viverent: malè tibi consulis P. M. Lupe calumniam de Joanne, nova de nobis, palliando, & nostra scripta ad ejusdem tuæ calumniæ statum deprimendo, dum addis: Ego de libris meis nihil possum radere, nisi cum tantorum Virorum gravissima injuria, ubi eorum scripta videro per Romanam Ecclesiam damnari aut aboleri, ego etiam libros meos, *&c.* radam mox, & recantabo: *nec attendis, quod tibi replicari possit, vix ullam hucusque esse damnatam hæresim, quæ cum S. Scriptura, Sanctorum scriptis & ratione, majorem apparentiam non habuerit, quàm à te scripta calumnia cum nostris scriptis; ac proindè si ità scribendo excusari debeas, à fortiori excusari debere omnem hæreticum, dicentem:* Ego de libris meis nihil possum radere, nisi cum S. Scripturæ, Sanctorum scriptorum, & rationis gravissimâ injuriâ: ubi S. Scripturam, Sanctorum scripta & rationem videro per Romanam Ecclesiam damnari, aut aboleri, ego etiam libros meos, *&c.* radam mox, & recantabo. *Quia autem nullus hæreticus ob hoc, evidenter fictum ad illud necessarium, ab hæresi excusari debet; ità nec P. M. Lupus obindè à sua calumnia excusari potest. Breviùs ego*

Replico: quod, uti P. M. Lupus præcitatam calumniam sine ulla ratione & fundamento effutivit, ità sine ulla ratione, & fundamento tantos Viros suæ calumniæ facit authores, & patronos: prætereà tamen, quàm insigniter Responsum istud ejusdem P. M. Lupi, veritatem, justitiam, & Monachalem modestiam dedeceat, sicque bonas horas impendat concinnandis injuriis S. Epiphanio, S. Hieronymo, Em. Cardinalibus Baronio & Bellarmino, &c. uti Joanni Jerosolymitano, & toti Ordini nostro, habes prælibatum: & ex nostra adversus ipsum Apologetica Appendice, *&c. evictum SS. Epiphanium, Hieronymum, &c. habuisse quidem Joannem Jerosolymitanum de Origenismo, nondum ab Ecclesia damnato, suspectum; at sine fundamento ullo, & merè in ultionem comminationum Joannis Jerosolymitani ad Epiphanium, eò quòd in illius Diœcesi absque ejus consensu*

ſenſu ordinaverat Paulinianum S. Hieronymi fratrem germanum. Sed ſicut ex tali ſuſpicione temerè inferres, Joannem reipſâ defendiſſe propoſitionem tunc ab Eccleſia damnatam, reipſâ fuiſſe hæreticum, reipſâ libros ejus continuiſſe errores tunc aut poſteà ab Eccleſia damnatos, ipſum reipſâ in hæreſi mortuum, &c. ità P. M. Lupus temerè eum comparat Luthero & Calvino, quibus hæc omnia conveniunt: nec ſine temeritate dicit SS. Epiphanium & Hieronymum, Em. Cardinal. Baronium & Bellarminum, hanc aut ſimilem de Joanne Jeroſolymitano habere comparationem, cum ne umbram quidem illius citet, aut citare poſſit. Verumtamen infra fusè probatur, quod ſuſpicio illa, utpotè malè fundata, de Origeniſmo nondum tunc ab Eccleſia damnato, merè in ultionem comminationum, &c. Joanni Jeroſolymitano non ità nocuerit, quin in vita & morte ſit habitus Sanctus juxta dicenda nu. 11. *ab Auguſtino, ipſomet Hieronymo, Hilario, Zozimo & Anaſtaſio Pontificibus, Martyrologiſtis & aliis plurimis, quorum, aut ſibi data, elogia P. M. Lupus ſatis* dicaciter *vocat* dicacia, *&c. dum audet Patriarcham vivum & mortuum in opinione Sanctitatis Martino Luthero & Joanni Calvino impiiſſimis comparare; SS. Epiphanium & Hieronymum, Em. Card. Baronium & Bellarminum ſuæ calumniæ Authores & Patronos facere; SS. Patres, Auguſtinum, Hilarium,* &c. *ſummos Pontifices Zozimum & Anaſtaſium, Martyrologiſtas, & Doctores celeberrimos infrà citatos, qui pro Joanne Jeroſolymitano aut Apologias compoſuerunt: aut componendi materiam ſubminiſtrarunt, ſcribere* compeſcendos tanquam ingenia libertina & noxia: *quibus nihil* dicacius, *&* monachalem modeſtiam inſignius dedecens.

Quia tamen P. M. Lupus nos ad Romanam Eccleſiam, ſive S. Sedem pro damnatione, & abolitione Scriptorum S. Epiphanii, S. Hieronymi, Emin. Card. Baronii & Bellarmini, ac Hiſtoriæ Sacræ remittit, de ſuis libris nihil raſurus priuſquam damnentur aut aboleantur: ipſi lubenter acquieſcimus, & ad votum ejus S. Sedem adibimus; non quidem ut tantorum virorum ſcripta damnet aut aboleat, quod temerè præſumit neceſſarium; ſed ut, quàm procul ab ejus calumnia diſtent ſanctorum Epiphanii & Hieronymi, Em. Card. Baronii & Bellarmini ac Hiſtoriæ ſacræ ſcripta, declarare dignetur: niſi quantociùs, viſô præſenti MONITÔ CHRISTIANÔ, (*quod petiit in* Præfatione ad Partem 1. ſuorum Scholiorum, &c. *his verbis:* Quin in multis ceſpitaverim, immò & lapſus ſim, non dubito, ideoque impendi mihi precor CHRISTIANAM fraternæ charitatis gratiam) *nobis de ſaniori ejus mente conſtet. Igitur ſit*

PRÆSUP-

CHRISTIANVM MONITVM

R. P. FRANCISCI BONÆ SPEI

AD

R. P. M. CHRISTIAN. LVPVM

Ordin. Eremit. S. Auguſtini,

SVPER

APPENDICE APOLOGETICA

PRO

Ioanne 44. Patriarcha Ieroſolymitano contra eundem

NVPERRIME EVVLGATA

Typis ENGELBERTI GYMNICI. Antverpiæ M. D. LXV.

PRÆSVPPOSITVM
DE ENCOMIIS
JOANNIS XLIV.
PATRIARCHÆ JEROSOLYMITANI
Ante Monitum Christianum.

1 HAbes quidem, *Erudite ac pie Zelotes*, in altero Opere nostro *De Visione Eliæ*, &c. Joannis 44. Patriarchæ Jerosolymitani Encomia sanctitatis vitæ & morum, vindicias contra fidei ejusdem criminatores, & in *Appendice Apolog.* adjecta *Visioni*, &c. verum ac genuinum sensum *Epistolarum* SS. Epiphanii *ad Joannem Jerosolymitanum*, & Hieronymi *ad Pammachium adversus eundem Joannem*, ex quibus super Joannis fide & morum sanctitate est totius ferè origo hallucinationis. Sed nè fortè Opus illud ad manum non habeas, & cum aliunde ante *Monitum Christianum*, quod subjicimus, patere debeat. 1. Quàm injuriosus sit Joanni Patriarchæ Jerosolymitano, & in eo toti Carmelitarum Ordini, calumniæ ictus, de quo infra, à P.M. Lupo Ord. Erem. S. Augustini datus. 2. Quàm justè hîc iterum istiusmodi calumniæ retractationem, & pro totius Ordinis læsione satisfactionem urgeam. 3. Quàm frivolè excusationem simulet à stricta, ut fertur, & nullatenus credo, ut dixi supra in fine *Seriei Dubiorum*, &c. Theologica Facultate Lovaniensi acceptam, nè nostræ adversus ipsum pro dicto Joanne 44. Apologiæ respondeat, aut calumniam retractet; quasi verò ista Facultas judicasset, causam non esse tanti momenti, ut P. M. Lupus ad alterutrum teneatur. Necessarium judicavi, ad majorem *Moniti* desuper *Christiani* efficaciam huc nonnulla reproducere eorum, quæ in Opere *De Visione Eliæ*, &c. produxi. Itaque

2 Suppono imprimis ex P. nostro Lezana *Annal. tom.* 2. *an. Christi* 351. Natale Joannis 44. fuisse circa *an. Christi* 351. ex Atavis Latinis: unde, quod etiam aliunde in *Visione* dicta excusavimus, mirum non est, si interdum in suis Operibus Romanizet. Studium sacrum, ab ineunte ætate, juxta illud Hieronymi *Epist.* 62. *ad Theophilum* (per apostrophen, inquit noster Lezana ibidem) *A parva ætate sacris litteris eruditus es: nosti, quò sensu, unumquodque dicatur.* Episcopatum Patriarchalem, *anno* 386. juxta Em. Baronium *eod. An.* Monachatum & vitæ sanctitatem de cætero, ex irrefragabilibus testimoniis infra & in *Visione Eliæ*, &c. adductis, quibus adden-

dum occurrit, illud Augustini, aut alterius, nomine ejus larvati (qui saltem, ut spero, apud S. Augustini Eremitas, & inter illos P. M. Lupum, magnæ est authoritatis) *serm. 39. ad fratres in eremo*, his verbis: *Sitis cum Elia, Paulo, Hilarione, Antonio & Joanne.* Hunc enim *Joannem* esse nostrum 44. arbitratur Lezana *ibid.*

3 Nec ab eo horrent. *Primò:* quæ de Joanne 44. habet idem Augustinus lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 5. *Cathedra quid tibi fecit Romanæ Ecclesiæ, in qua Petrus sedit, & hodiè Anastasius sedet: vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Jacobus sedit, & in qua hodiè Joannes sedet.* Et lib. 2. de gestis Pelagii cap. 14. & 30. in quibus Joannem mortuum bis præconio *Sancti* commendat, uti & Zozimus Papa *n.* 11. citandus, scribens, *Ecce Epistolam Hierosolymitani Episcopi Praylii, qui in locum quondam Sancti Joannis* (nota) *Episcopus est ordinatus.*

4 *Secundò:* nequidem abhorrent ea, quæ de ipso scribunt ejus Antagonistæ, de quibus *n.* 1. Epiphanius in Epistola ad ipsum Joannem 44. *Quando autem complemus orationem secundum ritum mysteriorum, & pro omnibus, & pro te quoque dicimus* (supra quem individualiter cadunt verba sequentia) CUSTODI ILLUM, QUI PRÆDICAT VERITATEM. Et Hieronymus in Epistola ad Theophilum: *Aut quasi Pontifex cunctis imperet; aut quasi imitator Apostoli universorum saluti ex æquo serviat: si talem se præbuerit* (præbuisse autem constat ex Appendice Apologetica, & infra,) *extendimus brachia, amicos & parentes habeat, & sentiat in Christo, sicut omnibus sanctis* (nota) *ita nos & sibi esse subjectos.* Si ita sentiant ejus Antagonistæ, quid de Commilitonibus ante & post mortem ejus indifferentibus? Eorum multos habes infra citatos: hîc addi sufficiat omnium in terris Supremi Ducis testimonium, post Joannis Antagonistas convictos & pœnitentes, videlicèt, Anastasii Papæ *An. Christi* 402. in Epistola ad Joannem Jerosolymitanum, Antistitem 44. quæ extat *tom.* 1. *Epist. Rom. Pontif.* & apud Hieronymum *tom.* 9. quâ sic scribit, *pro tanto igitur præconio, quod in merita mea effusissimè contulisti, ut amori tuo gratias ago, ita splendorem tuæ sanctitatis* (nota) *& eas, quas in Domino habes virtutes, subinde quodammodo parvitatis nostræ favorabilis sermo prosequitur, tam eminenter, vir omnium præstantissime* (nota iterum, Pontifex loquitur, qui noverat præteritas Joannis 44. cum Epiphanio & Hieronymo dissensiones,) *laudum tuarum fulges nitore conspicuus, ut par esse meritis sermo non possit. Porro autem tantò titulorum tuorum rapior incitamentò, ut etiam, quod impetrare nequeo, audere non desinam,* &c.

5 Suppono deinde P. nostrum Petrum Wastelium in Vindiciis Joannis Jerosolymitani *tom.* 2. *sect.* 3. per totam *Impress. Bruxellensis*, Offendicula, quæ ex operibus Joannis Jerosolymitani prætenduntur, efficaciter tollere, nubila Soli opposita dissipare, & veritatem eruditissimè vindicare: unde noster Lezana *Annal. tom.* 3. ann. Christi 412. nu. 6. *Impress. Rom.* cum approb. Mag. S. Palatii anno 1653. (quem proindè nec Em. Baronius, nec S. Inquisitores fidei, de quibus infra *n.* 11. viderunt.) *Quod Libri Joannis Jerosolymitani* de Institutione Monachorum, *interior doctrina nullatenùs notari possit, nisi in media luce cæcutientes simus, nullò aliò aptiori mediò comprobari potest, quàm Lectorem ut judicem interpellando. Legatur attentè, non cursim, aut*

carpendi libidine; & ibi, cum claritate doctrinæ, ac Sacrarum Scripturarum promptissima explanatione, spiritualia documenta, moralia instituta, regularia præcepta, mystica & allegorica, plurima reperientur, quæ animum ad pietatem & Dei amorem efficaciter promoveant.

6 Subdit autem *ibidem.* Eôdem tom. anno Christi 415. & 416. *Non pauca suggerit hoc tempus nostræ Historiæ propria, utpotè quæ Joannem Jerosolymitanum nostrum proximè tangunt. Primò, celebre illud de inventione Reliquiarum S. Stephani Protomartyris, adeò in Ecclesia Catholica solemne, ut die tertiâ Augusti quotannis celebretur. Quoad tempus hujus inventionis error irrepsisse creditur in Bedam, Nicetam, & alios. Quoad substantiam verò, & reliquas ipsius circumstantias, necessariò standum Epistolæ Luciani Presbyteri, quem Gennadius* in lib. de Vir. illustrib. cap. 46. *ejus temporis Scriptor Virum Sanctum appellat, ac dicit, scripsisse revelationem, sibi divinitùs de ea re factam. Habetur autem apud Surium* tom. 4. pro 3. Augusti, *& Baronium* sub ann. 415. *Ex qua, brevitati consulentes, hujus Historiæ compendium excepimus. Erat hic sanctus Vir Lucianus, Presbyter Ecclesiæ Villæ Caphargamala, in territorio Jerosolymorum, ac proindè Joannis nostri, ejus Urbis Antistitis, subditus. Cum autem in die Parasceve, in loco, Baptisterio dicto, dormiret, Ecclesiam custodiens horâ tertiâ noctis:* Vidi, *inquit*, virum senem, longum, dignum Sacerdotem, canum, barbam prolixam habentem, palliatum albâ stolâ, cui inerant gemmulæ aureæ, habentes intrinsecùs sanctæ Crucis signum, & virgam auream in manu tenentem. Venit, & stetit ad dexteram meam, & aureâ virgâ pulsavit me; ter vocans nomine meo, dicens Luciane, Luciane, Luciane, & dixit mihi Græco sermone; vade in Civitatem, quæ dicitur Ælia (quæ est Jerusalem) & dic Joanni, qui est in ea Episcopus: quamdiu clausi sumus, & non aperis nobis. *Hic notet Lector, quod, cum in hac revelatione, facta cœlitùs, Joannes noster interpelletur, satis indè piè elici valet, contra quosdam novos rigidos Censores, ipsum à criminis hæresis labe abfuisse semper, vel hoc saltem tempore revelationis factæ. Non enim aliter piè capi potest, quod ipsius memoria, in re tam gravi, & totam Christianitatem concernente, haberi mereretur. Nec cur etiam adderetur:* Maximè, quod in temporibus tui Sacerdotii oportet nos revelari? *Cum per hoc denotari videatur Sanctos illos, quorum corpora inveniebantur, veluti desiderasse, tempore Joannis mundo manifestari. Subjungit Lucianus, qualiter ille, qui cum eo loquebatur, esset Gamaliel, Pauli Apostoli Magister; & quod illi, quorum corpora ibi jacebant, essent Stephanus Protomartyr, & Nicodemus ille, qui Joann.* 3. venit ad Jesum nocte, *ac Abibas filius ejusdem Gamalielis; & quod, cum ipse dubitaret de Visionis veritate, ac propterea jejuniis & orationibus Deum exoraret, secundò apparuerit illi idem Gamaliel, dicens:* Quare neglexisti ire, & dicere sancto Episcopo Joanni? *Hic sistat Lector, ac videat nomen sancti Joanni nostro concessum; non ab iis, qui inter mortales vitam degerent; sed à cœlestis Patriæ cive Gamaliele, qui, utpotè in Dei essentia conspiciens ea, quæ ad Jerosolymorum Urbem (undè ipse erat) ejusque Antistitem spectabant, haud ignoraret Joannis fidem Orthodoxam, probitatem ac sanctitatem, verbis illis,* sancto Episcopo Joanni, *indicatam. Unde, etsi post tertiam revelationem, ac sibi factam comminationem, aliumq; mentis excessum, pergit Lucianus dicens:* Benedixi

Dominum, & perrexi ad Civitatem ad sanctum Joannem Episcopum. *Ubi, titulo* Sancti *adjuncto nomini proprio* Joannis, *non appellativo* Episcopi, *quod majoris emphasis & energiæ signum est, Gamalielis exemplo, ipsum decorat, prout etiam facit in sequentibus. Et imitantur fermè universaliter Ecclesiæ Monachorum, Regularium Canonicorum, Mendicantium; & canunt Ecclesiæ Trevirensis, Leodiensis, Cameracensis, Beluacensis, Aurelianensis, Pictaviensis, Cenomanensis, & aliæ in Germania & Gallia, quæ in suis Breviariis, sive impressis, sive manu scriptis in hoc officio Inventionis S. Stephani Joannem nostrum* Sanctum *appellant, ut assert VVastelius* in Vind. oper. Joann. tom. 2. lib. 3. art. 4. in libri Coronide. *Item in Hispania, sancta & Metropolitana Ecclesia Toletana, Cordubensis, Giennensis, & Segoviensis, cum pluribus aliis Religionibus, ut in Memoriali ad S. Officium Hispanicæ Inquisitionis testati sunt egregi Defensores Historiæ Propheticæ R. P. Francisci à S. Maria. Audiit Joannes Lucianum sibi ea referentem, lachrymatus est præ gaudio, sibi hoc onus impositum agnovit, fodi locum Reliquiarum eidem Luciano præcepit. Et ille, obtemperans Antistiti, Villæ habitatores pro pio opere convocare studuit.*

7 *Intereà duo alia, pro nostra quoque Historia utilia, hæc Luciani Epistola continet. Primum, eundem Gamalielem apparuisse eâdem nocte Monacho cuidam, nomine Nugetio*, innocenti & simplici Viro, *ipsiq; intimasse, ut moneret Lucianum, ne quæreret corpora dictorum Sanctorum in loco illo, quem fodere cœperat; sed in aliis, ubi tandem inventa sunt. Secundum, quod Sanctorum Corporum inventionem renunciarit Lucianus Episcopo Joanni, qui tunc temporis erat in Lidda, aliàs Diospoli, Synodum quandam celebrans cum aliis Episcopis.*

Ex quibus primum illud de Monacho Nugetiò alia notatione non eget; cum de ipso nihil aliud reperiatur; solumq; à Deo id factum creditur, ut sanctus hic Monachus, prout Baronius suprà *notat, testis etiam esset tanti Miraculi, ut in ore duorum vel trium, staret hoc verbum, & in fidelium documentum, ne faciles sint in hujusmodi rerum credulitate, quæ fide dignorum testimoniis comprobatæ non apparent.*

8 *Quod verò spectat ad Lyddensem illam, seu Diospolensem Synodum, cui Joannes hac occasione assistens scribitur, ea fuit, in qua, ut testantur D. Hieronymus* Epist. 79. ad Alipium & Augustin. *D. Augustinus* lib. 2. retractat. cap. 47. & contra Julian. lib. 1. cap. 5. ac *Prosper* lib. de ingratis. *Pelagius infamis Monachus coactus est suas hæreses condemnare. Erant autem hujus hominis errores sequentes. Primus,* Adam sive peccasset, sive non peccasset, mortuus esset. *Secundus,* peccatum Adæ solum læsit ipsum, non alios. *Tertius,* infantes nuper nati, in illo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem. *Quartus* &c. *Quamvis autem hæc omnia Pelagius ipse anathematizaverit, cæterum versutus in dolo id egit; quamprimum enim ex eo Concilio evasit, ea & similia dogmata iterum docere præsumpsit. Unde etsi judicium Palæstinum fallere potuerit, nontamen fefellit Romanam Ecclesiam aut Papam. Sic ex D. August.* lib. 2. de pecc. orig. cap. 8. & 9 *colligunt moderni.*

9 *Ad Historiæ tamen, à qua digressionem fecimus, filum regredientes. Postquam Lucianus desideratas thecas Reliquiarum Sacrarum reperit, Joannemq; Antistitem ea de re monuisset; ipse, assumptus duobus aliis Episcopis, Eleutherio Sebastiensi & Eleutherio de Hierico, ad locum ipsarum pervenit, ipsisq; recognitis, ac piè veneratis (eo etiam quod miraculis*

culis

culis earum inventio à Deo confirmabatur) B. Stephani Reliquias in sanctam Ecclesiam Sion Hymnis, & Canticis deportari fecit. Alia ad hujusmodi casum concernentia, seu spectantia, præsertim in diversis translationibus Reliquiarum ejusdem Stephani & prima omnium ad partes Occidentales per Orosium Hispanum, clarissimum Virum, eò tempore Jerosolymis agentem, habet Lector ex authoribus relatis, Baronio præsertim, tum suprà, *tum* in Notis ad Martyrologium Romanum die 3. Augusti, *& Francisco Bivario* in Notis ad Flavium dexterum circa hoc tempus; *Nos enim propriora investigamus.*

10 *Ex quibus illud unum est, quod, cum Pelagius, in ea Palæstina Synodo, eas, quibus infamabatur, hæreses condemnasset, atque propterea ab Episcopis, qui ibi adstiterant ad communionem acceptus, & absolutus esset, Joannes noster Jerosolymitanus (inquit Baronius suprà* §. accidit) quod diceretur amicus Pelagii factus esse, apud Occidentales malè audire cœperit. *Sed quomodo id probat? Ex eo sanè, quia D. Augustinus in Epistol.* 252. *ab eo expostulet ejusdem Synodi Palæstinæ acta, & ibi dicat, ipsum Pelagium dilectum fuisse multum ab eodem Joanne. Quis tamen non videt, levi fundamento id assertum? Quod enim à Joanne acta contra Pelagium postulasset Augustinus, potius arguit eum Pelagio adversarium existimasse; si enim ipsius amicum crederet, contra ipsum gesta non utique ab eo, sed ab alio obtinere quæsivisset. Deindè, quod dicat, Pelagium à Joanne valdè dilectum esse, cur non arguet Patriarchæ charitatem, erga hæreticos etiam, ut ipsos ad meliorem traheret frugem, eò præsertim hâc occasione debitam, quod Pelagius, ut Joannis subditus, Jerosolymis tunc ageret? Quam etiam ostenderant tredecim alii Episcopi, qui ei Synodo affuerant, & Pelagium absolverant, existimantes, sicut Joannes, quod corde & animo, & non fictè solum, hæreses retractaverat. Imò idem Augustinus,* qui in Epist. 106. ad Paulinum, *seu* Bonifacium *etiam fatetur se, & eum, ad quem scribebat eam Epistolam, dilexisse Pelagium; quia* nobis (*inquit*) rectæ fidei videbatur; *quidni ergo id faceret Joannes cum versipelli homine? Ex hac porrò Augustini Epistola clarè innotescit, ejusdem Joannis innocentiam immeritò à Baronio labefactatam fuisse; quia ibidem Augustinus commendat ut efficacia, ea S. Paginæ testimonia, quibus Joannes Pelagium impugnaverat. Unde ergo locus, ut credatur ejus errori consensisse, quem efficaciter expugnasse commendatur? Accedit quod in ea Epistola, cui inhæret Baronius, & quam ab Augustino credit scriptam Joanni, ipsemet Augustinus profitetur ejusdem Joannis sinceram fidem, dum de subdolo Pelagio loquens, dixit, ipsum non sentire,* quod vos, *inquit*, qui Catholicâ regulâ sapitis; *Joannes ergo apud Augustinum* Catholicâ regulâ, *& non sicut Pelagius, sapiebat. Item ibidem hortatur ipsum, ut contra Pelagium agat* docendo, & pro ejus salute, quæ in Christo esse debet, orando. *Quorsum hæc peteret, ab ejusdem Pelagianismi consorte? Interpellandus etiam Dom. Baronius, si Jerosolymorum Antistes Joannes* malè audire cœpit apud Occidentales, *apud quos Occidentales? Quando? quô pactô? Aut ex quo Authore id hauserit? Mera ergo D. Baronii ista suspicio veritati contraria videtur.*

11 *Ad magis propria sub hoc tempore Carmelitæ vocamur. Ad funus nempè nostri relati Joannis, Jerosolymitani Antistitis, qui, juxta plurium computum sub anno* 416. *spiritum Deo reddidit. Ejus porrò mortem inter Sanctorum pretiosas connumerari debere, quæ dicemus,*

cemus, satis, superque ostendere videntur; præmissâ tamen, & reservatâ S. Sedis Apostolicæ Romanæ reverentiâ, cujus è Vaticano responsa in simili causa spectanda fore ex cap. 1. de Reliq. & Venerat. Sanctor. Catholici cuncti expectare debemus. Eo etiam, quod S. Tribunal Censorum fidei Hispaniæ titulum Sancti (etsi sine præjudicio personæ) illi non concedendum decrevit Matriti sub anno 1639. Prætermissis ergo testimonis Papæ Anastasii, D. Augustini, Paulini, & aliorum, qui ipsum honorifico sanctitatis, vel simili adhuc vita superstitem, decorarunt titulô, quæ in præcedenti tomo suis locis habet Lector; ac Luciani etiam relati, qui in ea sua Epistola de inventione Reliquiarum S. Stephani Joannem vicibus repetitis Sanctum compellat: dumtaxat modò ii testes proferendi, qui post ipsius obitum eodem, vel æquivalenti cognomine, ipsum cohonestarunt. Primus est Romanus Pontifex Zozimus, qui Anno 417. sequenti in Epistola ad Aurelium Carthaginensem Episcopum, aliosque Africanos, quæ extat apud Baronium ann. 417. §. postquam, sic ad intentum: Ecce Epistolam Jerosolymitani Episcopi Praylii, qui in locum quondam Sancti Joannis Episcopus est ordinatus. Ecce etiam Sanctitatis cognomen Joanni à Papa concessum, ipsius post obitum. Secundus est hæreticorum malleus Augustinus, qui sui non oblitus, nec similium, quæ dixerat de eodem Joanne lib. 2. contra litteras Petiliani Donatistæ, eadem repetit eumdem Sanctitatis præconio celebrans, non semel aut iterum, sed sæpius in lib. de gestis Pelagii, cap. 14. & 30. præsertim. Ut videat Lector, quàm abs re non nemo putaverit, Joannem de Pelagianismo fuisse suspectum Augustino; quomodò enim de Pelagianismo suspectum Sanctum vocaret, & contra Pelagianos pro patrono susciperet? Succedit proximus Lemicæ Galleciarum in Hispania Episcopus Idacius, seu Hydatius, qui in suo Chronico ipsum insignem & Sanctum pluries vocat. Afferri etiam in testem potest Cassianus, qui eâdem ætate scribens, in præfat. ad 12. libros de Institutis Cœnobiorum, etsi tacitò nomine Joannis, eum cum Basilio & Hieronymo inter viros vita notabiles & sermone, scientiaque præclaros conjungit, prout singulari eruditione probat VVastelius lib. 1. Vindiciar. Joann. sect. 1. art. 4. §. 4. Clarius loquitur, inter Græcos ejus sæculi, notissimus author Theodoretus, Cyrensis Episcopus, lib. 5. histor. Ecclesiast. cap. 35. & 38. eum admiratione dignum, & admirabilem cognominans. Quod & imitatur Cassiodorus in histor. Ecclesiast. Tripartit. lib. 10. cap. 25. Et expressiùs Joannes ille, Cyprius Presbyter, Author vitæ Sancti Epiphanii, nostrum Joannem vocans Sanctum in omnibus. Ado Archiepiscopus Viennensis in Martyrologio ad tertium nonas Augusti eum bis beatum compellans. Nicephorus Calixtus in Histor. Ecclesiast. lib. 14. cap. 30. à quo (quod majus est) divinus prædicatur. Petrus Equilinus in Cathalogo Sanctor. lib. 11. cap. 8. eum inter Divos recensens. Joannes Gillemanus in Tabula Episcopat. & Episcopor. Sanctor. Eccles. de Patriarchis agens, & eum inter ipsos, & confessores accensens. Guillebitanus Eremita Vallis S. Antonii Brugensis in lib. Episcopat. & Episcopor. Eccles. Dei, pariter eum inter Divos connumerans. Et, ut ab Authorum colluvie abstineamus (quorum plurimos in libello supplici, Religionis nostræ nomine, à RR. PP. nostris Discalceatis sub anno 1631. pro hac causa diligentissimè elaborato, ac Catholicæ Majestati Philippi IV. Hispaniarum Monarchæ oblato, studiosus reperiet,) specialiter connumerandi Agiologi, seu tabularum com-

communium, Martyrologiorum, seu Menologiorum Scriptores, qui ipsum inter Sanctos, vel beatos annumerant. Hi sunt Ado Viennensis, quem jam retulimus. Petrus Galesinus in Martyrologio Romano pro die 12. Januarii, & *Joannes Molanus* in additionibus ad Usuardi Martyrologium eâdem die. *Adjice & atiqua Ordinis Kalendaria, in quibus pro fratrum suorum usu, ex capitulorum Generalium decretis, præsertim Romani in Conventu S. Martini in Montibus, anno* 1564. *Præside S. Carolo Borromæo, ejusdem Ordinis Protectore, idem Joannes inter Divos alios censetur.*

12 *Ex his porrò præfati Patres, quos proximè adduximus, in libello illo supplici seu memoriali, Catholico Regi Matriti oblato, conati sunt ostendere, Joannem nostrum, ne dum* Sancti, *vel* Beati *titulo dignè cohonestari; sed &, inter Divos quoque ab Ecclesia canonizatos, unum censeri debere. Cum enim à Zosimo Papa, D. Augustino sæpiùs, Luciano Presbytero (quem etiam alii inter Sanctos annumerant) Idacio Episcopo, & Joanne Authore vitæ S. Epiphanii; Adonis, Galesini & Molani Martyrologiis, quæ modò retulimus; Breviariis quoque plurimarum Religionum & Ecclesiarum Hispaniæ, Germaniæ & Galliæ, quæ supra num.* 1. *attulimus, innumerisque aliis Authoribus, quos ne prolixi simus, solum confusim adduximus,* Sanctus *vel* Beatus *nuncupetur (adeò ut uno verbo Dici possit, quod à quinto sæculo, in quo diem clausit extremum, usque ad novissimum, in quo Desiderius Erasmus, Marianus Victorius, glossas, seu notas edentes ad opera D. Hieronymi, neque tamen supra modum periti Ecclesiasticarum rerum, primi nomen ipsius commacularunt, semper ut Sanctus habitus fuerit, non obstantibus controversiis ipsius cum Hieronymo, & Epiphanio, videtur illi negari non posse genus illud Canonizationis, antiquum satis in Ecclesia, quod vel Episcoporum consensu, vel Christiani populi receptâ traditione fiebat, prout optimæ notæ Theologi VValdensis noster, Cardinalis Bellarminus, & alii doctissimi suis scriptis consignarunt. Verumtamen, modestiæ, humilitatis, & obedientiæ versus S. Sedem Apost. limitibus tenti, id non asserimus, & rei tantæ judicium ipsius examini & sententiæ omninò relinquendum censemus, sicut in causis Luciferi Calaritani, Joannis Cassiani, Fausti Regiensis, & quorumdam aliorum prudentiores efficiunt. Contenti dumtaxat, secundum historiæ leges, ea retulisse, quæ eandem Sanctam Sedem excitare possunt, ut veluti communis mater læsæ famæ perantiqui* Patris & *Doctoris, ac Ecclesiæ Jerosolymorum Præsulis (prout speramus) consulere dignetur. Interim nos, neque* Sanctum, *neque* Beatum *canonizatum, aut beatificatum appellamus, aut appellandum censemus.*

13 *Unum verumtamen non prætermittendum, quod in relato libello supplici, ad Catholicam Majestatem nuncupato, tactum quoque fuit; miraculis etiam patratis celebrem Joannem fuisse, proindeq; nihil desiderari, ut, sanctæ Ecclesiæ judicio accedente, veluti* Sanctus, *seu* Beatus *coli possit. De ipso enim (licet in Chronologiæ tempore decipiatur) sic habet* lib. 2. de laudibus Carmelitarum *Joannes Trithemius insignis Benedictinus Abbas.* Vivus & mortuus infinitis fertur claruisse miraculis. *Arnoldus Bostius* lib. 5. Speculi historial. cap. 67. hæc: Sanctus Patriarcha Joannes, post curationem duorum paralyticorum & illuminationem unius cæci, plenus dierum & sanctitate, naturæ debitum solvens viam universæ carnis, orans & psallens ingressus est. *Et infra:* Corpus

autem ejus in Ecclesia Jerosolymitana honore congruô sepelitur, multis clarens miraculis, nam in morte sua claudis multis gressum restituit. *Ante ipsum Joannes Grossus Generalis Ordinis* in Viridario clavi 3. *hæc dixerat de eodem:* iste Sanctus fuit 44. Episcopus, post B. Jacobum Apostolum in Ecclesia Jerosolymitana, ubi ejus corpus multis clarens miraculis requiescit. *Palæonydorus autem* lib. 2. cap. 6. sic: Plenus sanctitate, post paralyticorum curationem, cæcorum illuminationem solvens debitum viam transivit universæ carnis. *Petrus autem Lucius* in compendio Histor. cap. 10. *Eadem, quæ Trithemius refert. Et Joannes de Leidem, qui in eo memoriali adducitur, ea, quæ Bostius. Cuncta hæc tamen Sacrosanctæ Ecclesiæ trutinæ subjecta sunto, ad ipsam namque ipsorum judicium infallibile spectat. Et interim nos miraculis claruisse non asserimus, Vaticana oracula expectantes. Idem esto de spiritu Prophetiæ, quô etiam claruisse habet VVastelius* tom. 2. Vindiciarum lib. 2. sect. 9. art. 1. & lib. 3. in Coronide libri art. 4. sect. ult.

14 *Quamvis autem ex ipsius elucubrationibus, pro hæreditate veluti suis Concarmelitis derelicta, usque ad novissima hæc tempora solum numeretur liber ille de* Institutione Monachorum, *de quo plura in præcedentibus; & ille alius contra* obtrectatores sui studii, *de quo meminit Gennadius* de viris illustribus, *nihilominus sunt, qui putare videntur, librum secundum de* Vitis Patrum, *qui in volumine illo*, Vitæ Patrum *cognominato, inseritur, nostro Joanni adjudicandum fore. Rem tamen incertam Heribertus Rosweydus* in vitas Patrum Prologomen. 4. §. 6. *autumat. Ut ut res hæc sit, Petrus VVastelius noster* in lib. 2. Vindic. *graviter & operosè ostendit, plura ejusdem Joannis legitima monumenta in aliena castra migrasse, præsertim inter opera D. Joannis Chrysostomi; nomen enim Joannis, titulus Episcopi & ipsorum vetustas & Synchronologia in causa fuit erroris Compilatorum, ut unum pro alio librorum authorem fuisse existimarent. Hæc porrò opera sunt* opus imperfectum in Matthæum *apud S. Joannem Chrysostomum*, Homiliæ plures in Marcum, Lucam, Joannem, ac Matthæum; item Commentaria in Marcum & Lucam, *quæ apud S. Thomam, & Anonymum Græcum in suis catenis exscribuntur. Præterea* Homiliæ aliquot in Psalmos, & in patientiam Job. *Insuper* Homiliæ aliæ in diversa novi Testamenti. *Maximè* libri in stratagemata Job. *Ac* sermo de Pseudoprophetis, falsisque Doctoribus. *Pro iis ergo vindicandis elaborantem VVastelium Lector adeat; nec pigebit virum doctum audire. Nos autem hac in re judicium suspendimus.*

15 *Laborat insuper egregiè idem VVastelius* eodem tomo 2. lib. 3. sect. 5. per totam, *falsitatis, ac fuci comprobando, librum quendam Paulo Orosio, laudatissimo viro Hispano, affictum* de arbitrii libertate contra Pelagium, *in quo plura author contra nostrum Jerosolymitanum Joannem oblatrat. Ostendit namque hujus libri larvatum authorem, non catholicum illum Orosium fuisse, sed impium aliquem ignotum, Novatianismi, Nestorianismi, & similium hæresum sectatorem; ac proindè mirum non esse, quod contra Joannem stomachatus insurgeret. Piè insuper laborat sect. ult. ejus lib. 3. Ostendendo litteras quasdam Innocentii Papæ, nihil adversari Joanni, quod ille ante ipsas defunctus fuerit, succedente ipsi Praylio: ac proindè nihil contra Joannis fidem ex relatis Epistolis hauriri posse. Quod clarius innotescet, si occasionem, quæ fuit*

has

has litteras scribendi, in medium afferamus. Eò diligentiùs, quod ea proximè tangit nostræ Monasticæ historiæ cursum.

16 *Meminerit Lector ex dictis superiori tomo, S. Paulam viduam, illustrissimam Urbis & Orbis fœminam, Sanctimonialium Monasterium juxta præsepe Domini in Bethlehem sub cura & regimine magni Doctoris Hieronymi, erexisse. Agebant hoc tempore in eo virgines plures, & inter eas Eustochium Paulæ filia, & Paula alia junior, monasticam vitam. Agebat etiam in eadem patria versipellis ille, & versutus Pelagius, sub ovina Monachi pelle Lupus rapax, & qui suâ astutiâ Joannem & tredecim alios Episcopos Diospolitanæ Synodi fefellerat, ore damnans pestifera dogmata, quæ pectore condebat. Ut enim rectè Clemens Reynerus Benedictinus in lib. cui titulus* Apostolatus Benedictinor. in Anglia Tract. 1. sect. 1. §. 18. *inquit:* Pelagius ex primis Monachis Britannicis apud Palæstinam quasi inter sui schematis Monachos, fuit in pretio. *Aliqui ergo refractarii ipsius fautores, vel in D. Hieronymi odium, qui scriptis acerrimis fraudulentum scorpium exagitabat, diabolicè animati, contra, vel circa præfatum Monasterium, direptiones, cædes, incendia, & similia extremæ dementiæ facinora perpetrare ausi sunt. Tunc Hieronymus, & Virgines illæ generosæ ad Innocentium Summum Pontificem per litteras recurrerunt, de perpetrato facinore justam querimoniam proponentes. Audiit, & litteras ad Joannem Episcopum, & D. Hieronymum de ea re scripsit, ex quibus Dom. Baronius* sub ann. 416. §. dilectissimo, & §. suspicio, *contendit elici, vehementem suspicionem esse, quod ipsius Joannis nutu, qui etiam Pelagium absolverat, Pelagiani similia crimina perpetraverint. Cæterum, nec levem suspicionem indè oriri posse, multis demonstrari potest. Primò, si Joannes in causa fuisset, utique vel Moniales ipsæ, vel saltem Hieronymus assuetus multò minora, eorumque authores propalare, tanti criminis eum causatorem fuisse, ad Innocentium scripsissent, quod non fecerunt, ut ex ipsis litteris liquidò constat. Secundò nihil in illis* de conniventia, nutu & opera *Joannis; quorsum ergo hæc illi appingenda? Tertiò, ea in Bethlehem patrata fuerunt, non Jerosolymis, ubi Joannes agebat. Quartò, quid si forsan ipse in amplissimæ Diœcesis visitatione eo tempore versaretur? Quid quintò, si talia non crederet perpetranda à Monacho, qui specietenùs & simulatè Sanctus videbatur, nec ab ipsius familiaribus ejusdem eminentiæ probitatis larvâ coopertis? Ad hæc sextò, si tantum facinus Episcopus vel conniventia solum perpetraverat, cur Papa Innocentius in faciem ipsi delictum non exprobrat? Cur eum* fratrem dilectissimum *in Epistola, quam ad eum scribit, quæ 24. numero est, vocat? & in ea, quam ad Hieronymum* fratrem meum. *Et, quod rem totam claudit, cur Zosimus Papa sequenti anno eundem Joannem* Sanctum *appellavit? prout appellasse diximus* sup. num. 9. *Est quidem verum, quod Innocentius in ea Epistola justissimò odiò in superbissimam Pelagii hæresim, doloreque in damna ab innocentissimis virginibus Monialibus perpessa, excitatus; ac ut illis pro posse in præteritis solamen, & in futuris opem afferet, monet Episcopum officii ejus fuisse, gregi suo advigilare, ne similia contingerent, negligentiam aliqualem ipsius (etsi, ut in ea fatetur non benè informatus) reprehendens; ac dicens:* Oportuit tamen germanitatem tuam & gregi illius solicitiùs providere. *Ubi si expendatur illud solicitius, indicatur satis, Joannem non solicitudini, sed majori solicitudini defuisse. Et hoc, ut inquit idem Innocentius inferius.* Quæ ad

nos opinione magis, quam accusatione manifestâ, delata sunt. *Imò, & in hoc audiret Papa Episcopum, si jam non ultimum diem clausisset, prout reverà contigit. Corruat igitur vehemens illa (apud Dom. Baronium solum) suspicio de Pelagianismo Joannis concepta.*

17 *Liceat tandem pro recapitulatione videlicet eorum, quæ pro Joannis Jerosolymitani Antistis sincera fide vindicanda, sub S. Matris Ecclesiæ trutina, lima, ac correctione, tam in hoc, quam in præcedenti secundo tomo horum Annalium diximus, veluti reconveniendo Em. Baronium, quem in hac Joannis causa antagonistam habemus, in medium proferre,* quæ ipse in præcapitulationibus ad Martyrologium Romanum cap. 7. post medium habet. *Probare namque contendens, quòd epistola Chromatii & Heliodori Episcoporum ad D. Hieronymum, & alia ejusdem Hieronymi ad ipsos, non sint ipsorum, sed ab aliquo impostore conficta, & ipsis attributa, inquit:* Quod insuper tam in dicta Epistola Episcoporum, quàm in ea, quæ ad eosdem, Hieronymi nomine, reddita habetur, Eusebius Episcopus Cæsareæ sanctitatis elogiò commendatur, pro monstro quidem habetur. Etenim, etsi olim Sanctitatis titulus communior esse videretur, ut non solum (ut hodiè) illis tribueretur Christianis, qui vitâ functi in cœlo regnant cum Christo, sed & quibuscumque laudabilioris vitæ fidelibus: Datum tamen aliquandò homini hæretico, nemo dicere jure poterit. *Ex quo tale pro Joanne nostro vindicando conficere possumus argumentum, ni fallimur (ut Logici ajunt) ad hominem, & efficacissimum.* Titulus Sancti, vel Sanctitas nunquam homini hæretico datus fuit: *quæ est Major Baronii.* Titulus Sancti, seu Sanctitatis datus est Joanni Jerosolymitano, tum viventi, tum vita functo ab Anastasio Papa, Zosimo Papa, S. Augustino, S. Paulino, Luciano Presbytero, Idacio Episcopo Lamecensi, *qui omnes ipsum cognoverunt, imò à S. Gamaliele in cœlis cum Christo regnante (omittimus Martyrologia, Catalogos Sanctorum, & officia Ecclesiastica, ac innumeros posteriores) ut constat ex adductis hoc tomo, & præcedenti.* Ergo nunquam fuit hæreticus. *Vincat ergo veritas à nobis pro posse vindicata, dum aliud, ut diximus, S. Sedes Romana non decreverit sentiendum:* vide *Appendicis Apologeticæ* suppositum 4.

COROLLARIA.

18 COlliges primò ex præmissis contra eos, qui simulant, non esse gravis momenti causam, quam contra P. M. Lupum prosequimur, dicentem *in Scholiis & Notis ad Canones V. Concilii* cap. 6. *qui hodiè pro Joanne Jerosolymitano Apologias in Ecclesiam spargunt, lavant Æthiopem, compescendique sunt, ut ingenia libertina & noxia, nisi brevi etiam pro Martino Luthero & Joanne Calvino velimus Apologias videre.* Tanti momenti esse, ac si dixisset

19 Primò interiorem doctrinam librorum Joannis 44. Patriarchæ Jerosolymitani non minùs notari posse, quàm interiorem doctrinam librorum Martini Lutheri & Joannis Calvini; cum tamen, nec ipse, nec SS. Epiphanius, Hieronymus, Em. Baronius, aut quispiam Antagonistarum ejus, interiorem doctrinam librorum ejusdem in particulari puncto damnati erroris notarit unquàm, uti sequitur ex dictis *num.* 1. & in *Appendice Apologeti-*

ea §.1. Atqui P. M. Lupus putaret se contra nos gravissimi momenti causam prosequi, si dixissemus, suorum *Scholiorum & Notarum ad Concilia* interiorem doctrinam non minus notari posse, quàm interiorem doctrinam librorum Martini Lutheri & Joannis Calvini: ergo causa, quam contra P. M. Lupum prosequimur, est gravissimi momenti. Minor & consequentia patent: major verò evidenter sequitur ex præmissis verbis ejusdem P. M. Lupi.

20 Secundò. Joannem 44. Patriarcham Jerosolymitanum haud magis in revelatione reliquiarum S. Sthephani vocatum VERE *Sanctum*, quàm Martinus Lutherus & Joannes Calvinus fuerint VERE *Sancti*: & obindè inventionem reliquiarum S. Stephani, quam tota Ecclesia celebrat, ratione revelationis de illis Luciano factæ, uti sequitur ex dictis *num.* 3. 4. 5. *&* 6. non magis esse veram, quàm Joannes 44. Patriarcha Jerosolymitanus, in ea vocatus *Sanctus*, fuerit Martino Luthero & Joanne Calvinò VERE sanctior: atqui P. Lupus putaret contra nos gravissimi momenti causam prosequi, si dixissemus revelationem super inventione Reliquiarum S. Sthephani, & inventionem ipsam non magis esse VERAM, quàm is, qui in illa est vocatus *Sanctus*, fuerit Martino Luthero & Joanne Calvino sanctior: ergo &c. minor & consequentia patent: major verò evidenter sequitur ex præmissis verbis ejusdem P. M. Lupi.

21 Tertiò. Non magis Joannis 44. Patriarchæ Jerosolymitani vitam & mortem inter Sanctorum (vide limitationem infra *num.* 46.) pretiosas connumerari debere, vel posse, prout debere, vel posse, sequitur ex dictis *num.* 11. *&* 12. quàm vitam & mortem Martini Lutheri & Joannis Calvini; nec minus horum, quàm Joannis 44. Atqui P. M. Lupus putaret se contra nos gravissimi momenti causam prosequi, si dixissemus, juxta Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum & aliorum *num.* 11. *&* 12. citatorum testimonia, vitam & mortem Martini Lutheri & Joannis Calvini inter Sanctorum pretiosas connumerari debere, vel posse: ergo &c. minor & consequentia patent: major verò evidenter sequitur ex præmissis verbis ejusdem P. M. Lupi.

22 Quartò. Non minùs Martinum Lutherum & Joannem Calvinum vivos & mortuos claruisse miraculis, sic ut nihil desideretur, ut, Sanctæ Ecclesiæ judiciò accedente, velut Sancti seu Beati coli possint, quàm Joannem 44. Patriarcham Jerosolymitanum, uti sequitur ex dictis *num.* 13. Atqui P. M. Lupus putaret se contra nos gravissimi momenti causam prosequi, si dixissemus, Martinum Lutherum & Joannem Calvinum vivos & mortuos claruisse miraculis, sic ut nihil desideretur, ut, sanctæ Ecclesiæ judiciò accedente, velut Sancti seu Beati coli possint: ergo &c. minor & consequentia patent: major sequitur ex verbis ejusdem P. M. Lupi.

23 Id generis absurditates non paucas gravissimi momenti ex nostra *Appendice Apologetica* facilè deducere poteris: sed allatæ sufficiunt, ut quisque sapiens videre possit, quantum, non sine veræ & Romanæ Ecclesiæ notabili injuria, gaudium P. M. Lupus, Doctor Lovaniensis, causavit Lutheranis & Calvinistis, ubique dispersis, Martinum Lutherum & Joannem Calvinum ad statum viri, testimoniis

Pontificum, SS. Patrum Augustini & aliorum (etiam Hieronymi post reconciliationem, uti in *Appendice Apologetica* probavimus) Ecclesiarum perticularium, chronicorum & Martyrologiorum passim, miraculorum &c. suprà relatis, ante & post mortem *Sancti*, attollendo, vel hunc ad statum Martini Lutheri & Joannis Calvini deprimendo. Quæ & præmissa, an irretractata dissimulari possint, sapientissimis Facultatis Theologicæ Universitatis Lovaniensis & aliis Doctoribus, ac S. Sedi judicandum submitto. Intereà

24 Colliges secundò: totum Carmelitarum Ordinem, qui sub Joannis 44. Patriarchæ Jerosolymitani libro *de Institutione Monachorum*, tanquam Regula aliqua, octingentis circiter annis militavit, ab eo sui Originis, sui Fundatoris Eliæ, Deiparæ Matris Immaculatæ Conceptionis, &c. traditionum præclaras exarationes accepit, non solum honestè & sanctè posse, sed attentis præmissis, D. Thoma *Opusculo* 19. *cap.* 14. *&* 16. Item 2. 2. *q.* 72. *art.* 2. & aliis, omninò teneri, præcitatam P. M. Lupi atrocem nimis calumniam refellere, & ipsum secundum suam noxam ad retractandum compellere: sive nè Ordo Carmelitarum sub altero Martino Luthero & Joanne Calvino aliquandò militasse censeatur: sive nè potissimæ illius Ordinis traditiones quamplurimis Pontificum & SS. Patrum testimoniis confirmatæ, ut vidimus in altero Opere *de Visione Eliæ*, &c. scriptô primum exaratæ à viro diabolico, prout fuere Martinus Lutherus & Joannes Calvinus, habeantur, & vilescant; ac sic unus è quatuor Mendicantibus celeberrimis Ordinibus, totus cum summo hæreticorum applausu, & totius Ecclesiæ scandalo, splendorē suum & commendationem amittat. Possem quidem efficaciter probare, quàm impertinenter P. M. Lupus ex Joannis 44. comparatione cum Luthero convitiandi occasionem dederit; sed aliud suadet Augustinus (cujus ipse gloriatur esse filius) lib. 3. contra Petilianum cap. 1. *Si & ego tibi vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud quam duo maledici essemus, ut ii qui nos legerent, alii detestatos abjicerent sanâ gravitate, alii suaviter haurirent malevolâ voluntate? Ego quandò cuique, vel dicendo, vel scribendo, respondeo, etiam contumeliosis criminationibus lacessitus, quantum mihi Dominus donat, frænatis atque coercitis vanæ indignationis aculeis, auditori, lectorivè, consulens, non ago, ut efficiar homini convitiando superior, sed errorem convincendo salubrior.* Mihi sufficit, si P. M. Lupus

25 Reflectat primò. S. Hieronymum Joannis 44. Patriarchæ Jerosolymitani unicum cum S. Epiphanio, ad tempus, Antagonistam, Joannem 44. de hæresi nunquam culpasse, uti in *Appendice Apologetica* probavimus, his verbis S. Hieronymi de Joanne 44. loquentis, *non eras tam stultus, ut apertè defenderes hæresim, quam sciebas Ecclesiæ displicere.* Det P. M. Lupus unum S. Hieronymum, aut Doctorem S. Hieronymo similem, qui de Martino Luthero aut Joanne Calvino dixerit, *non eras tam stultus, ut apertè defenderes hæresim, quam sciebas Ecclesiæ displicere.*

26 Reflectat secundò. Eundem sanctum Hieronymum tandem suum excessum contra Joannem 44. Patriarcham suum agnovisse, ei reconciliatum fuisse, & se illi *tanquam omnibus Sanctis* (undè ipsum

sum *Sanctum* post reconciliationem agnovit) subjecisse, uti constat ex S. Hieronymi *Epistola* 62. ad monitoriam Theophili, tunc Patriarchæ Alexandrini (apud quem, tanquam, post Romanum, Patriarcham primum, & in istis partibus Summi Pontificis Vicarium de Hieronymo conquestus erat Joannes 44.) in qua S. Hieronymus jam convictus, aut saltem meliùs instructus, de Joanne 44. ad Theophilum sic scribit, *Quapropter, quod in principio Epistolæ dixi, etiam nunc repeto: Nos velle pacem Christi, optare concordiam, & te rogare, ut illos moneas pacem non extorquere, sed velle. Sit præteritarum nostrarum dolore* (nota pœnitentiam) *contentus, veterata vulnera, saltem novâ oblitteret charitate. Sit talis, qualis ante fuit, quandò nos suo arbitrio diligebat. Verba ei de alieno stomacho non fluant. Faciat, quod vult, & non quod velle compellitur. Aut quasi Pontifex cunctis æqualiter imperet, aut quasi imitator Apostoli universorum saluti ex æquo serviat. Si talem se præbuerit* [se autem talem præbuisse ostendimus in *Appendice Apologetica*; tum ex eo quod S. Hieronymus, aliquot annis post, ad mortem S. Paulæ Matris Eustochii Virginis, in Monasterio, quod regebat, decedentis, ipsum invitarit, ut patet ex Epistola S. Hieronymi 67. *ad Eustochium Virginem* in fine, *aderant Jerosolymarum* (utique Joannes 44.) *& aliarum Urbium Episcopi*; tum ex eo, quod nec *mu* postmodum contra Joannem scripserit] *ultrò præbemus manus, extendimus brachia, amicos & parentes habeat; & sentiat in Christo, sicut omnibus Sanctis* (nota) *ità & sibi nos esse subjectos.* Proferat P. M. Lupus unum Martini Lutheri aut Joannis Calvini Antagonistam S. Hieronymo similem, qui de contumeliis in alterutrum ipsorum conjectis pœnitentiam egerit, & dixit, *faciat, quod vult, quasi Pontifex cunctis æqualiter imperet, quasi imitator Apostoli Universorum saluti ex æquo serviat, ultrò præbemus manus, extendimus brachia, amicos & parentes* (id est obedientes) *habeat, & sentiat in Christo, sicut omnibus Sanctis* (Sanctinè Lutherus & Calvinus) *ità & sibi nos esse subjectos.* Certè talem non proferet, nisi probet, ipsum Martini Lutheri & Joannis Calvini hæreses justificasse, & manibus ac brachiis amplexatum fuisse Lutheranismum & Calvinismum, instar Hieronymi directiones Joannis Patriarchæ sui: sed ille erit multum S. Hieronymo absimilis, dum probabitur talis, ut patet.

27 Reflectat tertio. S. Hieronymum *tomo* 9. (vel alium pro Hieronymo) post factam cum Joanne concordiam referre Anastasii Papæ *an. Christi* 402. sequentem ad Joannem 44. Epistolam, quæ extat tomo primo Epistolarum Rom. Pont f. *Pro tanto igitur præconio, quod in merita mea effusissimè contulisti, ut amori tuo gratias ago, ità splendorem tuæ Sanctitatis, & eas, quas in Domino habes virtutes, subindè quodammodò parvitatis nostræ favorabilis sermo prosequitur; tam eminenter vir omnium præstantissime, laudum tuarum fulges nitore conspicuus, ut par esse meritis sermo non possit. Porrò autem tantò titulorum tuorum rapior incitamentò, ut etiam, quod impetrare nequeo, audere non desinam. Jam hoc de laudibus est tuis, quod me tantum de cœlestis animi istius serenitate laudasti. Tui enim Episcopatus ordo perspicuus per universum Orbem velut radians, etiam ad nos splendoris sui detulit charitatem. In me quippe totum amicitiæ tribuis, examini nihil relinquis. Aut si jure me laudas,*

das, tu quoque similiter relaudandus non es? Obsecro igitur ob utrumque, ut memetipsum laudare jam desinas. Duplex enim causa me hoc poscere constringit, ne consacerdotis tui sensibus, aut dolorem falsa laus ingerat, aut pudorem vera succedat, &c. Adferat P. M. Lupus talem unius Pontificis ad Martinum Lutherum aut Joannem Calvinum Epistolam, vel simile de Martino Luthero aut Joanne Calvino unius Summi Pontificis Encomium, & tunc pro Martino Luthero & Joanne Calvino, uti nos pro Joanne 44. Patriarcha Jerosolymitano Apologias scribat, etenim quod ipse nobis, ipsi nos respondere non dedignabimur. Igitur sit

MONITUM CHRISTIANUM

Ad P. M. Christianum Lupum *Ord. Erem. S. Augustini.*

28 AD calcem, eruditissime Lector, Operis nostri ex Typographia Engelberti Gymnici, Impressoris Antverpiensis, nuperrimè evulgati, cui titulus, *Magni Prophetæ Eliæ, Sacri Ordinis Carmelitarum, Fundatoris, Visio de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione, à Carmelitis omnium primò culta ac propugnata, & ab Ecclesia jam proximè definibili; insertis proindè Resolutionibus variis Apologeticis de necessitate pacti ad peccatum originale; veræ & perfectæ, quoad substantiam, Monasticæ Religionis Primatu in Elia; Summi Pontificis per se, & extra Concilium generale, etiam in quæstionibus facti fidem & mores salutares concernentis, infallibilitate; & Joannis 44. Patriarchæ Jerosolymitani ab Hæreticorum erroribus libera fide.* Adjeci *Appendicem Apologeticam* pro Joanne 44. contra hanc P. M. Christiani Lupi Ord. Erem. S. Augustini calumniam, *qui hodiè pro Tertulliano, Origine, Lucifero Sardorum Episcopo, Joanne Jerosolymitano, Apologias in Ecclesiam spargunt, lavant Æthiopes, compescendique sunt, ut ingenia libertina & noxia, nisi brevi etiam pro Martino Luthero & Joanne Calvino velimus Apologias videre.* Quâ parte Joannem nostrum Patriarcham Jerosolymitanum tangit, atrocissimam, nec solum toti Carmelitarum Ordini summè injuriosam, sed omni prudentum judicio intolerabilem. Appendicem nostram vidit, legit, & tacet, totus præceps in provocando, totus tardus in respondendo aut retractando, legem, ut ajunt, in malum amplexus Pilati, *quod scripsi, scripsi, non est Doctoris retractare sententiam*, &c. Sed contra

29 Audiat obsecro P. M. Lupus sanctum Patrem suum Augustinum *Epist.* 48. in fine. *Quid adhuc dubitas tenere, quod sentis; nisi quia id, quod nunc sentis, vel aliquandò non sensisse, vel aliud defendisse confunderis; & dum erubescis corrigere errorem, non erubescis permanere in errore, quod utique potius erubescendum fuit? Hoc est illud, quod Scriptura non tacuit*, est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gratiam & gloriam. *Confusio adducit peccatum, cum erubescit quisque pravam mutare sententiam,*

tiam, ne aut inconstans putetur, aut diu errasse seipsô judice teneatur. Ità descendunt in infernum viventes, id est suam perditionem sentientes, quos Dathan, & Abiron, & Chore hiatu terræ absorpti, tanto ante futuros figuraverunt. Confusio autem adducit gratiam & gloriam, cum erubescit quisque de propria iniquitate, & pœnitendo in melius commutatur: quod te facere piget illâ perniciosâ confusione superatum, ne tibi ab hominibus, nescientibus quid loquantur, objiciatur illa Apostolica sententia; si enim quæ destruxi, hæc eadem iterum ædifico, prævaricatorem me ipsum constituo. Quæ, si dici posset, etiam in eos, qui veritatem correcti prædicant, quam perversi oppugnabant, in ipsum Paulum primitus diceretur, in quo Ecclesiæ Christi magnificabant Deum, audientes, quod Euangelizaret fidem, quam aliquandò vastabat. Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocumque seu magno, seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse transire.

30 Profectò aut P. M. Lupus Operis veritate Augustinianus non est, aut Augustinum sequi debet suos retractantem errores, præsertim cum sub initium Epistolæ 7. sic loquatur. Si aliquid, vel incautius, vel indoctius à me positum est, quod non solum ab aliis, qui videre id possunt, meritò reprehendatur; verum etiam à me ipso, quia & ego saltem postea videre debeo, si proficio: nec mirandum est, nec dolendum, sed potius ignoscendum atque gratulandum; non quia erratum est; sed quia improbatum. Nam nimis perversè seipsum amat, qui & alios vult errare, ut error suus lateat. Quantò enim melius & utilius, ubi ipse erravit, alii non errant, quorum admonitu errore careat. Quod si noluerit, saltem comites erroris non habeat. Si enim mihi Deus, quod volo, præstiterit, ut omnium librorum meorum quæcumque mihi rectissimè displicent, opere aliquò ad hoc ipsum institutò colligam, atque demonstrem: tunc videbunt omnes homines, quàm non sim acceptor personæ meæ. Et infrà. Romani maximus Author Tullius eloquii, nullum unquam verbum, inquit, quod revocare vellet, emisit. Quæ quidem laus, quamvis præclarissima videatur, tamen credibilior est de nimium fatuo, quàm de sapiente perfecto. Nam & illi, quos vulgò moriones vocant, quantò magis à sensu communi dissonant, magisq; absurdi & insulsi sunt, tantò magis nullum verbum emittunt, quod revocare velint; quia dicti mali, vel stulti, vel incommodi, pœnitere, utique cordatorum est. Sed si in bonam partem accipiatur, ut quempiam talem fuisse credamus, qui cum sapienter omnia loqueretur, nullum unquam verbum, quod revocare vellet, emisit: hoc potius de hominibus Dei, qui Spiritu sancto acti, loquuti sunt, quàm de illo, quem sic Cicero laudat, saluberrimâ pietate credendum est. Ab hac ego excellentia tam longè absum (attendat P. M. Lupus, S. Pater ejus est, qui loquitur) ut sit nullum verbum, quod revocare vellem, protulero, fatuo sum quàm sapienti similior. Illius quippè scripta summâ sunt authoritate dignissima, qui nullum verbum, non quod revocare vellet, sed quod revocare deberet, emisit. Hoc quisquis nondum est assequutus, secundas habeat partes modestiæ, quia primas non potuit habere sapientiæ, quia non valuit omnia non pœnitenda diligenter dixisse, pœniteat, quæ cognoverit dicenda non fuisse.

31 Numquid fortè P. M. Lupus sapientior est Ænea Sylvio (aliàs Pio II.)? dum S. P. sui Augustini exemplum detrectat, quod ille sequitur, in Epistola ad Academiam Coloniensem de expunctione libri Dialogorum, à se inscripti scribens. Cogimur

B. Augustinum imitari, qui cum aliqua in suis voluminibus erronea inseruisset, retractationes edidit. Humilis, & probatissimi vir ingenii, qui suas ineptias verecundè confiteri ac corrigere, quàm impudenter defendere maluit. Idem & nos faciemus. Confitebimur ingenuè ignorantias nostras. Deindè in *eadem*, Julianum Cardinalem Cæsarium sic alloquitur. *At tu, qui (ut ais) me Doctore Basileensibus credere adductus es, errantem olim sectatus es, cur modò non sequeris recta monentem?*

32 Si dicas te P. M. Lupum audire clamantem: ista in Doctoribus sanctis sunt miranda potius, quam imitanda: alioqui ratio naturalis dictat, boni publici interesse, ut Doctor unus Facultatis Theologicæ Lovaniensis, unius è totius Ecclesiæ celeberrimis, famam alterius, improvidè violatam, propriæ postponat.

33 Fingis omninò: tum quia hic prætextus nimium vanus est, ut ab eo vir sapiens justam prætendat istiusmodi irretractationis excusationem: tum quia evinceret P. M. Lupum à S. Augustini Patris sui procul abesse humilitate & perfectione, dum in re justissima eum filius ipse vel solum imitari renueret. Verumtamen si Patrem sanctum, aliósve Sanctos & non sanctos divisim Doctores, *quinquaginta* v. g. *Orientales Episcopos*, de quibus Augustinus lib. 3. contra Cresconium c. 3. *Leporium*, de quo Cassianus lib. 1. de Incarnatione cap. 4. *Bedam* in retractatione. Comentarii in acta Apostolorum & cæterorum plures suorum errorum retractatores renuat imitari, audiat saltem Ethnicos sapientes. Aristotelem 7. Ethic. cap. 2. *Si continentia*, id est constantia, *facit, ut in omni opinione persistamus, etiam in falsa, prava est.* Ciceronem lib. 1. Epist. penult. ad Centulum. *Neque enim inconstantis puto, sententiam*, oppositâ veritate detectâ, *tanquam aliquod navigium*, apertô in adversum ventô, in alteram partem *ex Republicæ tempestate moderari.* Senecam lib. 4. de beneficiis cap. 36. *Demens est, qui perstat in errore.* Cap. autem 38. *Non est levitas à cognito & damnato errore discedere, & ingenuè fatendum est*, aliud putavi, deceptus sum. *Hæc vero superbæ stultitiæ perseverantia est*, quod semel dixi, qualecumque est, fixum ratumque sit. *Non est turpe, cum re mutare consilium.* Siracidem cap. 4. *Non contradicas verbo veritatis ullô pactô, & de mendacio inevidentionis tuæ confundere.* Et alios.

34 Omitto Jurisperitos, quibus nihil consultius, quàm propriam, detectô errore, mutare sententiam: taceo Medicos, quibus nihil expertius, quàm quod impium sit & inhumanum morbi veritatem ab alio deprehensam, ne expertus magis habeatur, impugnare, & solam falsò apprehensam velle curare. Nam jura & Jurisperitos sufficienter in *Appendice Apologetica* citavi: ex ipsius Apologia *contra Marpurgenses*, sive doctrina contra Medicos de ovo fœcundo, in nostra Physica errorem intuli & probavi: in Quæstione sua Quodlibetica *de Origine Eremitarum & Canonicorum Regularium S. Augustini*, Eremitas Augustini primogenitos scribit, Canonicos Regulares verò tantum secundògenitos, imò etiam alienigenas prætendit: Reverendissimus P. Petrus à S. Trudone Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis Wimdesemensis, modernus Generalis, in *suo examine testamenti S. Augustini*, ab Eximio D. Jacobo Pontano Censore approbato totam istam præten-

tentionem refellit, & econtrà, Canonicos Regulares Augustini primogenitos probat, Eremitas verò dicit ab Augustino *omninò fuisse alienos, incognitos, atque extraneos, adeoq; nec filios ante Pontificiam adoptionem, sed ad septingentos, & amplius annos, post S. Augustini obitum, ab alio aut aliis Patribus, scilicet, vel B. Joanne Bono, vel S. Guillielmo, aut utrisque, aut aliis primogenitos.* In his omnibus, ut dixi, totus præceps in provocando, totus tardus in respondendo & retractando, aliud defensorium non quærit, quàm illud Pilati, *quod scripsi, scripsi; non est Doctoris retractare sententiam,* &c. quasi verò sola pro veritate stare debeat Doctoris scriptura; non sic tamē sanctus Pater ejus Augustinus *n.*28. & 29. Non sic Pontifices *n.* 31. supra & 39. infra. Non sic vel ipsi etiam Ethnici *n.* 33. citati. Imò nec sic sapientum ullus, qui nihil in se ab homine alienum putat.

Igitur ad rationis naturalis dictamen, quod prætenditur, transeamus. *Ratio naturalis dictat boni publici interesse, ut Doctor unus Facultatis Theologicæ Lovaniensis, unius è totius Ecclesiæ celeberrimis famam alterius, improvidè violatam, propriæ postponat.* Certè rationabiliorem esse credo P. M. Lupum, quàm ut tam injustum de natura rationali dictamen præsumere possit: alioqui non est, qui ridendo non exclamaret, O sancta humilitas! quàm non novit S. P. ejus Augustinus, cum Epist. 7. dicat, *nimis perversè seipsum amat, qui & alios vult errare, ut error suus lateat.* Si honores, gradus aut dignitates ambis, erroris retractatio eos potius promovet, quàm obsit; siquidem S. Augustinus Cardinalatum aut Pontificatum sapientissima errorum suorum retractatione non impedivit, quem humillimus non ambivit: sed retractando, nè alioqui instar Origenis perpetuò foret infamis, sibi æternum Decus peperit, quô utroque se dignum fecit; quia ut rectè Em. Card. Paleotus Consult. p. 5. q. 6. *qui compertâ veritate mutat consilium, probat se ministrum fidelem, qui non suo honori serviat, sed in bonum publicum ex animo feratur.*

36 Addet verosimiliter P. M. Lupus, se secutum sententiam probabilem Em. Baronii & aliorum Recentiorum post ipsum, qui nec suum dogma retractarunt, nec ad retractandū obligati sunt; eò quòd sequendo opinionem sibi in conscientia visam probabilem, bona fide processerunt: propter quod ipse spargere dicitur (quod non credo) suæ Facultatis Doctores ipsum à respondendo & retractando legitimè excusatum judicasse.

37 Sed contra primò (præterquàm quod P. M. Lupo S. Pater ejus Augustinus non dicat, *tene te ad Em. Baronium & alios Recentiores.* Sed: *tene te ad legem Dei, & non sequaris prævaricatores ejus; non enim secundum illorum sensum, sed secundum illius veritatem judicaberis:* scriptum enim est Exodi 23. *In judicando plurimorum sententiæ non acquiesces, ut à vero devies.* Imò, uti sapientissimè D. Sinnichius Saulis Exregis nu. 357. *Neque enim in schola Pythagoræ degimus; sed in schola Christi, qui nequaquam dixisse perhibetur,* ego sum probabilitas, *sed* ego sum veritas.) Probabit quidem P. M. Lupus, Em. Baronium habuisse Joannem 44. Patriarcham Jerosolymitanū de Origenismo suspectum, imò & Origenistam, juxta Epiphanii & Hieronymi suppositas, vel saltem à se malè

intellectas litteras, uti in *Appendice Apologetica* luculenter ostendimus: sed Patriarcham istum fuisse in Origenismo mortuum, & talem, pro quo hodiè non magis, quàm, ait, pro Martino Luthero & Joanne Calvino, Apologia componi possit, neque in Baronio, cum evidenter contradicat scribens in præcapit. ad Martyrolog. Rom. cap. 7. *Et si olim Sanctitatis titulus communior esse videretur, ut non solum (ut hodiè) illis tribueretur Christianis, qui vita functi in cœlo regnant cum Christo, sed & quibuscumque laudabilioris vitæ fidelibus; datum tamen aliquando homini hæretico, nemo dicere jure poterit.* Vide Append. Apologet. *n.* 50. *&* 51. Neque in Catholicorum ullo, neque in Luthero, Calvino, aut his quolibet infamiore alio, legit: nec probabit unquam se in eo secutum sententiam probabilem, nisi sibi soli proprium, contra Summos Pontifices, SS. Patres, Martyrologistas, Chronocistas, celeberrimos Doctores, Historicos & alios, de quibus, tam supra *in Præsupposito*, tum etiam aliàs in *Appendice Apologetica*, figmentum sit sententia probabilis: quod est remotissimum à mente Facultatis Theologiæ Lovaniensis, quæ ut supra *dub.* 8. vidimus, hanc propositionem: *Authoritas unius Doctoris probi & docti reddit opinionem probabilem.* hac censura notavit, *perniciosa est, & innumeras absurditates invehens in omni doctrina materiæ moralis.* Igitur incredibilis est illa, quam de sua Facultate prætexere dicitur P. M. Lupus, excusatio; essetque evidens signum, quod se de calumnia convictum sentiret, & ad respondendum non sufficientem. Quidquid tamen de ista excusatione sit, audiat P. M. Lupus D. Sinnichium, istius Facultatis Doctorem eximium, loco citato ex Lactantio commonentem, *nè trahamur authoritate cujusquam; sed veritati potius retractando faveamus & accedamus: nullus hic temeritatis locus est: in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit.*

38 Contra secundò. Demus gratis, ità sensisse Em. Baronium, tamen sententiam ejus tantum distare à judiciali, aut etiam extrajudiciali justa, quantum noctem à meridie, efficaciter in præcitata *Appendice* ostendimus. De judiciali tamen sic loquitur Innocentius III. *cap. qualiter & quandò* de accusationibus. *Ne inde nascantur injuriæ, unde jura nascuntur, mandamus, quatenus ad conscientiæ vestræ judicium recurrentes, si contra præscriptum ordinem tanquam homines excessistis, non pudeat vos errorem vestrum corrigere, qui positi estis, ut aliorum corrigatis errores, quoniam apud Judicem districtum, in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Concilium Eliberinum juxta Ivonem *p.* 12. *cap.* 8. & Gratianum 2. 2. *q.* 4. *c.* definitio. *Definitio incauta, laudabiliter solvenda est: nec est prævaricatio, sed temeritatis emendatio.* Et hæc ex cap. loci 35. cap. 9. *suum namque errorem cuiq; corrigere licet; atque ideò, quæ à quolibet illicitè committuntur, sive à prædecessoribus* (nota) *admissa inveniuntur, in melius revocari oportet.* Quæ cap. *quod quis* immediatè sequenti confirmantur, *quod quis commisit illicitè, aut à prædecessoribus suis* (nota) *invenit admissum, si proprium periculum vult vitare, damnabit: Nos enim in nullo volumus severitatem ultionis exercere, sed qui in causis Dei vel contumaciam, vel aliquo excessu deliquerit, aut ipse, quod perperam fecit, abolere noluerit, in se quidquid in alio non resecue-*

secue-

secuerit, inveniet. Igitur non credo, mi P. M. Lupe, sapientissimam facultatem Theologicam Lovaniensem hæc jura nihili fecisse, ut te à respondendo & retractando excusaret; nec credam, nisi stoicos & stolidos in celeberrimis facultatibus Theologicis redivivos, aut istiusmodi genii Doctorum chimericam revolutionem, efficaciter probaveris: sed tunc dicam cum sermocinante ad Concilium Rhemense *serm.* inserto in *Operibus* D. Bernardi, *Aliam Synodum pronuntio vobis*, *ubi Dominus Deus sedebit in judicio*, & tunc *liber proferetur*, *in quo totum continetur*, *unde mundus judicetur.*

39 Contra tertiò. Ità reipsâ senserit Em. Baronius: numquid temerè diceret P. Magister Lupus Em. Baronii sententiam esse Summorum Pontificum sententia immutabiliorem, aut licèt ipsi mutent, Baronii equidem fuisse, & fore, si viveret, immutabilem? Absit, dicet, ut Em. Baronium de tali mentis immutabilitate culpem: igitur absit, ipse se de tali culpabilem faciat, volens suam esse immutabilem: & benè perpendat cap. *Joannes Chrysostomus* dist. 50. *Joannes Chrysostomus à duabus Synodis orthodoxorum Episcoporum fuit dijudicatus, sed iterum fuit restitutus. Marcellus Episcopus Ancyræ Galatiæ depositus fuit, sed postmodum proprium recepit Episcopatum. Asclepius dijudicatus à Synodo, Ecclesiam suam posteà recepit. Lucius Episcopus Adrianopolites damnatus à Papa Julio, recepit Ecclesiam sui Episcopatus. Cyrillus Episcopus Jerosolymitanus depositus fuit, posteà reconciliatus est Ecclesiæ suæ. Simili modo Polychronium ejusdem Ecclesiæ Jerosolymitanæ Pontificem Sixtus Papa damnavit, & iterum ipse eum reconciliavit. Innocentius Papa Photinum Episcopum damnavit, sed posteà eum in proprium locum restituit Ecclesiæ suæ. Misenum Episcopum à Felice Papa damnatum Gelasius Papa successor illius reconciliavit, & Ecclesiæ suæ restituit. Leontius, dum esset Presbyter, depositus fuit, sed posteà in Antiochia Patriarcha extitit. Gregorius verò quartus Papa Theodosium, quem Eugenius ejus antecessor Presbyterii honore privaverat Sanctæ Ecclesiæ Signinæ consecravit Episcopum. Ibas namque Episcopus dijudicatus fuit, sed Sancta Synodus canonica suam illi restituit Ecclesiam. Rothadum verò Episcopum Sanctæ Suessionensis Ecclesiæ à Synodo, cui Carolus inter fuit, condemnatum, & Sophronium Placentinum Episcopum meritò reprobatum, Nicolaus Papa ambos reconciliavit.* Et cum Em. Baronio istos Summos Pontifices in sententiæ extracathedralis mutatione imitetur: nam Baronius eos pro suo munere imitatus est intuitu Eliberini Concilii, ut vidimus in *Appendice Apologetica num.* 117. Intuitu Luciferiani *ibid. nu.* 118. Item intuitu S. Fausti Regiensis, quem ad annum 490. ità variis maculatum erroribus descripsit, ut ejus prænomen *Sancti* eraserit: sic tamen, ut posteà ab aliis melius instructus, *Faustum* pro *Sancto* habuerit, & sententiam, quam prius contra ipsum ex subreptione tulerat, retractarit. Impediisset nè Facultas Theologica Lovaniensis, nè P. M. Lupus faceret, quod, non solum Em. Baronius, sed & Summi Pontifices, S. Augustinus & alii Patres piè & sanctè fecerunt? Non credo, non credo.

40 Contra quartò. Processerit bonâ fide contra Joannem 44. Em. Baronius, eâdem fide processerint alii post ipsum, eò quòd allatas pro Joannis 44. vera fide, & ab Origenismo immunitate, in Opere

de Visione Eliæ & adjecta *Appendice Apologetica Supposito* 4. *num.* 50. *&* 51. pro ejus sanctitate ante & post mortem in *præsupposito* supra, authoritates & rationes nondum vidisse poterant: attamen P. M. Lupus bonæ fidei Doctor haberi non potest in calumnia, qualis de Joanne 44. Patriarcha Jerosolymitano ab ullo catholico, aut etiam hæretico, inventa nunquam, & Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum, Martyrologistarum, & celeberrimorum Doctorum dictis, quæ videre potuit in *vindiciis Eximii P. M. VVastelii*, Bruxellæ ferè in ipsius conspectu impressis, reprobata semper. Esto tamē P. M. Lupus bonâ fide eam protulisset, quin, detectô errore, fit malæ fidei, nisi revocet, cum possit, solus stoâ & stolâ negabit obstinatus: nam ut rectè Salvianus in Epistola ad Aprum & Verum, *Incidere in falsæ opinionis errorem, priusquam vera cognoscas, imperiti animi est & simplicis; perseverare verò in eo postquam agnoveris, contumaciæ.* Cui Pius II. in Epist. ad Academiam Coloniensem tribuit superborum ruinam, ut sequitur: *mortem quidam, prius sibi consciverint, quàm videri velint, aliquandò, malè sensisse. Et nonnulli, ne vel ad horam videantur errasse, semper errant; & dum vel minimam tolerare honoris jacturam nequeunt, totum abjiciunt, & perpetuâ notantur infamiâ, & in pessimas prolabuntur hæreses; qui ne appareant inconstantes, pertinaces efficiuntur: superbissimi hoc agunt, qui videri Dii, non homines volunt, quales Constantiæ combusti sunt nostra ætate in magno Conventu, Hieronymus & Joannes Hæresiarchæ.* Et Gerso in suo Trilogo. *Quosdam videre est, qui tantâ animositate, suis aut cæptis, aut consultis inhærent, ut nullis ad oppositum rationibus, nulla incommodorum experientiâ flecti possint. Malunt omnia secum ruere, omnia frangi, vel turbari, quàm pedem retrò flectere à via sua, etiam invia, & ob hoc jam non via; quoniam progressui obstare reperiuntur, vel spinarum, hoc est vitiôrum sepes horridæ; vel fassatorum, hoc est cordium profunditas incognita, vel latrunculorum malignitas, vel comitum mutua impugnatio, vel viarum districtus humiles, quos cervicosa turgidaque præsumptio nequit prætergredi, quia nequit humiliari. Irascuntur denique tales odiô immortali contra omnes, quot viderint, vel audierint, non dicam adversari sibi, sed non plenis vocibus & totis assentiri sententiis.*

41 Quia tamen contingere potest: quod P. M. Lupus sit ad objecta de *Ovo fœcundo*, probationes de Eremitarum, ut ajunt S. Augustini, *secundò-genitura* aut etiam *alienigenitura*, & ad *Appendicem nostram Apologeticam pro Joanne* 44. *Patriarcha Jerosolymitano* responsurus, dum naturæ ovi, Historiæ sui & nostri Ordinis, uti suis *in Synodorum Generalium decreta Scholiis & Notis*, satis studuerit. Sit

MONITUM SECUNDUM.

42 ATtendat benè P. M. Lupus, quod *Appendici Apologeticæ pro Joanne* 44. *contra calumniam suam* non satisfaciet, nisi enervia ostendat *Corollaria* ex præsupposito supra: & efficaciter probet,

43 Primò. Epistolas Epiphanii ad Joannem 44. & Hieronymi ad Pammachium adversus Joannem 44. (ex quibus tota Em. Baronii de Joanne 44. hallucinatio,

P. M. Lupi calumnia desumi debet) esse utriusque absque notabili alteratione & corruptione originales: nam illas, aut esse Epiphanio & Hieronymo suppositas, aut saltem in se & suis Argumentis alteratas & corruptas, ostendimus *Append. Apolog. Praeamb.* 1. *&* 2.

44 Secundò. Epistolis istis pro originalibus haberi permissis, eas aliquem determinatum errorem Joannis 44. tunc ab Ecclesia damnatum continere, & non solam Joannis de Origenismo, nondum ab Ecclesia damnato, suspicionem malè fundatam, & ab Hieronymo ac Epiphanio merè quaesitam, ob justam indignationem Joannis 44. super ordinatione Pauliniani, fratris S. Hieronymi, ab Epiphanio in Dioecesi Joannis 44. & non sua, contra Sacros Canones, uti ostendimus *Append. Apolog. Praeamb.* 3. *Suppos.* 5. 6. Et posteà *Exam.* §. 1. facta.

45 Tertiò. Joannem 44. aliquem in suis operibus scripsisse, aut docuisse errorem, ab Ecclesia, antequam illum scriberet, aut doceret, damnatum. Concilium aliquod, aut etiam Conciliabulum, ante aut post mortem Joannis 44. determinatum errorem examinasse ut Joannis 44. vel damnasse tanquam ipsius. Joannem 44. in Patriarchatu fuisse de sinistra fide ab aliquo se superiore monitum, aut correctum, &c.

46 Quartò. Joannem non fuisse in vita & post mortem pro sancto habitum, à Summis Pontificibus, & sanctis Patribus, in receptissima revelatione, Chronicis & Martyrologiis, à viris piis ac doctissimis, ut patet ex *Praesupposito* suprà, usque ad fraudem Erasmi Roterodami, quâ *Epistolae* Hieronymi ad *Pammachium* addidit pro titulo *adversus errores Joannis* 44. Et Em. Baronii hallucinationem, quâ ex Epistolis Epiphanii & Hieronymi, jam titulô Erasmi praeoccupatus, malè intellectis, in Joannem offensionis lapidem posuit. Dixi pro *sancto habitum*, puta, hîc & alibi semper, sub limitatione data *n.* 12. *&* 17. supra.

47 Quintò. Omnes istos Pontifices, sanctos Patres, & alios in *Praesupposito* citatos, lavisse Aethiopem, eô sensu, quô, P. M. Lupe, Origenem vocas *Aethiopem* cap. 1. dissert. *de V. Synodo:* quatenus 1. *post atroces in Deum blasphemias in ipso martyrii articulo Christum abnegavit, &c.* 2. quatenus *totius Orbis in Origenis odia exarsit.* 3. quatenus *omnis, tam orientis, quàm occidentis Catholicorum Synodus, pari sententiâ & spiritu, Origenem haereticum denunciavit.* 4. quatenus *Quiricius Monachus Origenem cum Nestorio, Eutichete, Dioscoro, aliisq; Haeresiarchis in inferno ardentem vidit.* Subdens *quarè ejus Apologum agere, est Aethiopem* tam infami nigredine pictum *lavare*, & sic de Joanne 44. Patriarcha Jerosolymitano: nam sic habes locô supra citatô, *qui hodiè pro Origene & Joanne Jerosolymitano Apologias in Ecclesiam spargunt, lavant Aethiopes*, puta, à te statim allatâ infami nigredine pictos.

48 Sexto. Se eâdem, imò majori, temeritate non dixisse, *qui hodiè pro Origene & Joanne Jerosolymitano Apologias in Ecclesiam spargunt, lavant Aethiopes*, quâ temerè de Lucifero Sardorum Episcopo (licèt hujus defensione justissimam Joannis causam turbare nolimus) uti de Origene dixit ibidem: *qui hodiè pro Origene & Lucifero Episcopo Apologias in Ecclesiam spargunt, lavant Aethiopes.* Nam *Append. Apolog.* §. 3.

num.

num. 118. ostendimus, Spondanum Mauseolensem Sanctorum Cathalogo *Luciferum Sardorum Episcopum* adscribere. Pro quo videsis Apologiam F. Ambrosii Machin *in defensione* B. Luciferi *p.* 2. & 3. Constantini Cajetani *in Assertione sanctitatis B. Luciferi.* Theophili Raynaudi tom. 12. *Miscellorum Sacrorum* cap. 7. *contra ictum calumniæ*, ubi ejus criminationibus dispulsis, tandem concludit, *nam quod sanctè obierit, perantiqua ejus veneratio* (longè celebriorem & majorem de Joanne Patriarcha statim notauimus) *erectis templis testata apud Sardos facit indubitatum: nec novum est, ut aliqui sancti, materiali saltem errore, aliquamdiu sorduerint, & tamen ante obitum resipuerint, & sanctè excesserint.* Sed clarius tom. 11. *Criticorum Sacrorum* partitione 1. Erotemate 9. nu. 150. *Sed nullum hujus rei exemplum inveniri luculentius possit, eo, quod suppeditat S. Lucifer Calaritanus. Illum S. Hieronymus* in Catalogo, & *S. Athanasius, à constantia & generositate Christiana valdè celebrat: specialiterq́, S. Athanasius perlectis libris ejus contra Constantium, ait se perspexisse in eis,* imaginem Apostolicam, fiduciam Propheticam, magisterium veritatis, doctrinam veræ fidei, viam cœlestem, Martyrii gloriam, triumphos adversum hæresim, traditionem integram Patrum, regulam rectam Ecclesiastici Ordinis. *Hos libros scripserat Lucifer contra Constantium Imperatorem Arrianum, rerum tunc potentem;* pro S. Athanasio, duos; de Regibus apostaticis, unum; de non conveniendo cum hæreticis, alterum; de eo, quod moriendum sit pro Dei filio, item unum, &c. Infrà autem *Et fuisse Luciferum sanctitate eximium, Cœlitumque honoribus apud Sardos meritò honestatum, trado plenius in tractatu de calumnia.* Et è nostris R. P. Dorothei à S. Renato in Opere, cui titulus *Commentaire, Theologicque, Historicque, & Moral,* &c. pag. 561. *Baronius a Traité d'Heresie saint Faust Evesque de Riez, à l'an* 490. *& a esté obligé de se retracter à l'an* 520. *Il n'avoit pas mieux examiné les vertus de S. Lucifer Evesque de Cagliari, qu'il a fait mourir schismaticque à l'an* 362. *mais les merveilles arrivées depuis lors qu'on trouva son Tombeau & ses Reliques, firent une convaincante Apologie pour ce grand personage.* Ex quibus satis liquet P. M. Lupi, non solum imprudentem nimis fuisse Luciferi Sardorum Episcopi & Joannis Jerosolymitani, cum Origene, imò cum Luthero & Calvino, compositionem, sed & istorum judicio pro Lucifero & aliorum supra in Præsupposito citatorum pro Joanne 44. blasphemiam, saltem materialem, quæ nobis *Appendice Apologeticâ* respondendi necessitatem injecit; nam ut verbis Ruffini *sub initium libri contra S. Hieronymum* utar *compellor contra votum meum & propositum* (nam aliàs amicissimus mihi est P. M. Lupus, ut jam aliquoties protestatus sum) *respondere, ne fortè reticendo videar* in Sanctis *crimen agnoscere, quamvis Christiano cætera crimina depellere exemplo Domini, gloriosum sit; sed tamen hoc in fide,* imò in compositione Sanctorum, cum Origene, Luthero & Calvino, in infernoardentibus, *si fiat, maximum scandalum generat.*

49 Septimò. Summorum Pontificum Zozimi & Anastasii, SS. Patrum Augustini, Paulini, Luciani, Idacii, Prosperi, imò Hieronymi post suam cum Joanne reconciliationem, & aliorum in *Præsupposito* citatorum *ingenia fuisse libertina & noxia*, dum Apologiæ pro Joanne 44. Patriar-

triarcha Jerosolymitano materiam amplissimam & indubitatam subministrarunt, & hoc sensu pro illo in Ecclesia Apologias sparserunt.

50 Octavo. Posse æqualia Pontificum, SS. Patrum, Revelationum, Chronicorum & Martyrologiorum, virorum piorum ac doctissimorum, in vera Dei Ecclesia colligi testimonia pro Martino Luthero & Joanne Calvino, ex quibus Apologia pro his justa componatur, illis, quæ in *Præsupposito* collegimus pro Joanne 44. Patriarcha Jerosol. alioqui ex Apologiis pro hoc nullum esset periculum brevi videndi Apologias pro illis, uti P.M. Lupus prætendit, his verbis, *nisi brevi, &c.* quia impediret testimoniorũ inæqualitas.

51 Nonò. Summos Pontifices, Sanctos Patres, revelationem receptissimam, Chronica, Martyrologia, viros pios ac doctissimos, &c. de quibus in *Præsupposito*, habuisse pro *Sancto* Joannem 44. Patriarcham Jerosolymitanum, tam immeritum, & sanctitatis titulo tam indignum, ac est Martinus Lutherus & Joannes Calvinus, prout importare videntur hæc verba, *nisi brevi etiam pro Martino Luthero & Joanne Calvino velimus Apologias videre.* Dixi *pro Sancto*, limita uti *n.* 46.

52 Decimo. Joannem fuisse aliquandò de Origenismo vel simili errore suspectum, sufficere ad formandum judicium de obstinatione & impœnitentia ejus finali, qualis de Origene, Luthero & Calvino præsumitur, & hôc datô, ad judicandum obstinatos & impœnitentes esse mortuos, illos omnes, qui non solum de suspicione, uti Joannes Jerosolymitanus, sed de hæresi formali aliquandò accusati sunt, videlicet (teste Theophilo Raynaudo, *Miscellorum Sacrorum* cap. 5. *contra ictum calumniæ*) Gregorium Thaumat. qui de *Sabellianismo.* Dionysium Alexand. qui de *Arianismo.* S. Lucianum Martyr. qui de *Arianismo.* S. Miletium, qui de *Sabellianismo.* S. Victorem, qui de *Homousionismo.* S. Basilium, qui de *violata Christiana fide, Tritheismo & Arianismo.* Gregorium Nyssen. qui de *Origenismo.* Gregorium Nazianz. qui de *Christi in duos filios distractione.* S. Epiphanium qui de *Iconomachismo.* Hieronymum, qui de *Sabellianismo & Manichæismo*, quô nomine apud Siricium Papam malè audivit. Cyrillum Alexand. qui de *Apollinarismo.* S. Fulgentium, qui de *Photinismo.* S. Anselmum, qui de *Tritheismo.* Augustinum, qui de *istorum multis*, uti ex Lyræo *Appendicis Apologeticæ num.* 126. vidimus, & sic de pluribus aliis, quibus istæ hæreses sunt tributæ. Judicare autem omnes illos obindè obstinatos & impœnitentes mortuos, supremæ temeritatis & blasphemiæ esset. Verum quidem est, quod hæreses illæ satis evincantur istis affictæ per hæreticorum calumniam, quam in causa Joannis 44. SS. Epiphanio & Hieronymo affricare nefas putamus. Sed nihil impedit, nè dicamus, Epiphanii & Hieronymi Epistolas in puncto *suspicionis de Origenismo*, etiam per hæreticorum fraudem alteratas & corruptas fuisse: nec facilius P. M. Lupus istam calumniam, quàm ego hanc fraudem, probabit; tum quia illæ eædem litteræ in eo, quod continent Epiphanii Iconomachiam, ob scissum ab eo velum, in quo imago Christi vel alicujus sancti picta erat, ad venerationem foribus templi appensam, juxta Em. Bellarminum *lib. de imag. cap.* 9. *ad* 5. Epiphanium Diaconum

in 7. Synodo art. 6. tom. 5. & Theophilum Raynaudum *locô suprà citatô* sint ab aliquo Iconomacho alteratæ & corruptæ; tum ob plures alias rationes in *Appendice Apologetica* fusiùs deductas. Quô positô, ejusdem supremæ temeritatis ac blasphemiæ erit P. M. Lupo dicere, Joannem 44. Patriarcham Jerosolymitanum esse instar Origenis, Lutheri & Calvini obstinatum & impœnitentem mortuum, ac de tot Sanctis præfatis, & quidem inter eos S. Patre suo Augustino detrahere.

53 Vidit indubiè P. M. Lupus ex Opere nostro *De Visione Eliæ* & *Appendice nostra Apologetica pro Joanne* 44. *adversus ipsius calumniam*, ei ad calcem juncta, se non posse cum honore, (saltem tam citò ac calumniam præcipitavit) satisfacere, & ideò, ut fertur, ne respondendo non satisfaciat, aut retractando infametur, pro excusatione prætendit, eximios Doctores Theologicæ Facultatis Lovaniensis dissuasisse *Responsum* & *Retractationem*; eô quod res tanti momenti non videretur, ut ad alterutrum statim obligaret: sed hanc excusationem esse vanam, & prudentum judiciô haberi debere suppositam, satis evincunt præmissa: nec ipse reverà, adeò in proprio errore cœcus est, ut non videat, quod licèt convitia & calumniæ in tantos Viros, & hinc integrum Ordinem, quæ linguâ proferuntur, non ità noxia sint, & plerumque statim aura dissipet; ea tamen quæ scribuntur & libris imprimuntur eò graviùs illos, quos læsere injuriâ, premant authoritate & scripturâ, quòd diutiùs durant: nec eos tantùm, sed & suos Scriptores, dum suæ improbitatis monimentum produnt posteris, perpetuò in ipsos tanquam improbos convitiatores retorquendum. Utinam hos morte æternâ aliquandò non premant: quandoquidem nisi legitimè retractentur, cum possint, sint perennis fons virulentiæ continuò in ipsam injustam famæ detentionem & mortem æternam voluntariè salientis; *non enim remittitur peccatum, nisi*, dum potest, *restituatur ablatum* juxta Augustinum Epist. 54. relata *Regula* 4. *de Regulis juris in 6.* Vide eumdem n. 29. & D. Sinnichium ex Lactantio supra *n.* 37. Item cap. *fraternitatis de frigidis & maleficiatis*, in quo Innocentius III. sententiam injustam, ab Altissidiorensi Episcopo latam, etsi per errorem probabilem, errore detectô, retractari jubet; proculdubiò ne injuria, quæ alioqui erat materialis tantum, jam detectô errore evaderet formalis.

54 Si tamen non obstantibus præmissis P. M. Lupus, nec respondere, nec suam præcipitem calumniam retractare velit, in præsenti causa, tuæ humanitati, AMANTISSIME LECTOR sufficiet, ut spero, illud S. Augustini *lib. de Baptismo* pro S. Marcellino & aliis *contra Petilianum cap.* 16. (quod P. M. Lupo facillimè accommodari potest) *Quid ergo jam opus est*, inquit, *ut Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis insectatus est* (quid ergo jam opus est, ut Joannis Patriarchæ Jerosolymitani & Luciferi Sardorum Episcopi, quos incredibili calumnia P. M. Lupus insectatus est) *objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & presbyteri ejus, Melchiades, Marcellus & Sylvester traditionis codicum divinorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur* (Joannes Patriarcha Jerosolymitanus & Lucifer Sardorum Episcopus errorum, Æthiopismi, & expurgabilitatis Origenis, Martini Lutheri & Joannis

nis Calvini à P. M. Lupo arguuntur.) *Sed numquid ideò etiam convincuntur, aut convicti aliquâ documentorum firmitate monftrantur? Ipfe facrilegos fuiffe dicit, ego innocentes fuiffe refpondeo. Quid laborem probare defenfionem meam, cum ille* (quod de P.M. Lupo in noftro cafu omninò verificatur) *nec tenuiter probare conatus fit accufationem fuam? fi eft ulla humanitas in rebus humanis, puto nos juftius poffe reprehendi, fi ignotos homines, quos criminantur inimici, nec eorum crimen ullâ teftificatione demonftrant* (fic enim Joannem Patriarcham Jerofolymitanum & Luciferum Sardorum Epifcopum criminatur P. M. Lupus, nec eorum crimen, quale in Luthero & Calvino tota Ecclefia Romana agnofcit, imò nec aliud, in quo impœnitentes deceffèrint, ullâ teftificatione demonftrat) *nocentes potius, quàm innocentes crediderimus. Quia fi fortè fe aliter veritas habet, ipfi certè humanitati debitum redditur, cum homo de homine, nihil malè temerè fufpicatur, nec cuiquam criminanti facilè credit, quandò fine tefte ac fine ullo crimen objiciens, maledicus potius convitiator, quam veridicus accufator extiterit.* Et aliundè, ut rectè S. Bafilius in cap. 7. Efaiæ, *Talis planè eft natura hominum iftorum, qui fuòpte ingeniò amarulenti funt, qui adverfus Spiritum Sanctum digladiantur, ac pugnant, fuâmet malignitate tantò affliguntur attrocius, quàm quicumque per eorum indignationem offenduntur.* Viderint tamen inquit S. Cyprianus Epift. 42. *Qui vel furori fuo, vel libidini fervientes, & Divinæ legis ac fanctitatis immemores, jactitare interim geftiunt, quæ probare non poffunt; & cum innocentiam deftruere atque expugnare non valeant, fatis habent fama mendaci & falfo rumore maculas infpergere. Certè quod Præpofitis & Sacerdotibus congruit, danda opera eft, ut talia cum à quibufdam fcribuntur, per nos refpuantur. Ubi enim erit, quod difcimus, ac docemus,* & labia tua ne loquantur infidiosè. *Item alibi.* Os tuum abundavit malitia, & lingua tua complectebatur infidias, fedens adverfus fratrem tuum detrahebas, & adverfus filium matris tuæ ponebas fcandalum. *Item quod Apoftolus dicit*, Omnis fermo malus de ore veftro non procedat, fed bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. *Porrò hæc fieri debere oftendimus, fi quandò talia quorumdam calumniosâ temeritate confcripta funt, legi apud nos non patimur.*

CONCLUSIO MONITI CHRISIANI.

EX præmiffis Corollariis à *num.* 18. *ad* 28. verificatur contra P. M. Lupum fententia Ifidori lib. 2. *Quia fcripta medullitus non indagantur, in erroris labyrinthum nonnulli intricando impingunt, cum ante judicant, quàm intelligant, ante culpant, quàm iterando lecta perquirant.* Nam quæ præfuppofuimus Corollariis à num. 2. ad 18. *medullitus non indagavit*: quæ in Epiftolis S. Epiphanii ad Joannem 44. Patriarcham Jerofolymitanum, & S. Hieronymi ad Pammachium adverfus eumdem Joannem (ex quibus totius hallucinationis origo,) *antè judicavit, quàm intellexerit*, uti in *Appendice Apologetica ad Opus de Vifione Eliæ* fusè & efficaciter probavimus: & Joannem 44. comparando cum Origene, Martino Luthero & Joanne Calvino, *ante cul-*

pavit, *quàm iterando lecta* in Em. Baronio & aliis *perquisierit:* imò nè vel in unico, non solum Christiano, sed & Christianorum hoste impiissimo, talem de Joanne 44. Patriarcha Jerosolymitano cum istis hæresiarchis comparationem legit, uti firmiter credo, & credam quamdiu illum non citarit, qui simile quidpiam effutiverit.

Ex dictis *num.* 34. sequitur: P.M.Lupum contra Joannem 44. & nostrum Ordinem totum eâdem, aut potius simili ultione scripsisse, quâ aliàs Em. Baronius contra eumdem scripsit, teste P. Mathia à S. Joanne *lib.* cui titulus *Histoire Panegyrique de l'Ordre de nostre Dame du Mont Carmel p.* 1. *cap.* 6. à quodam Carmelita, non contemnendæ eruditionis, offensus in puncto doctrinali, sive etiam Historia voluminis 1. suorum Annalium. Sed sicuti præfatus Pater pluribus tomis dilucidè ostendit ultionem istam fuisse in Em. Baronio historicæ veritati inimicam; ita speramus nos hîc, & in *Appendice Apologetica* ostendisse, similem ultionem esse in P. M. Lupo sapientia aliàs commendabili indignam, ejusque *Scholia & notas ad Concilia* non parum reddere de insufficienti indagine & veritate suspecta: quod cavisset, si S. Hieronymi Monitum ad Rusticum, *nè ad scribendum citò prosilias*, *& levi ducaris insaniâ*, *multò tempore disce*, *quod doceas*, audiisset: imò etiam abstinuisset ab eo, quod de Joanne 44. Patriarcha effutivit potius, quàm docuit, si in obviis *Vindiciis* P. M. Wastelii, *Annalibus* P.M. Lezanæ, *Historia Panegyrica* Matthiæ à S. Joanne, *Commentario &c.* P. Dorothei à S. Renato, *Vinea Carmeli* P. Danielis à Virgine Maria, & aliis in *Præsupposito* citatis, *multò tempore didicisset* oppositum ejus, ad quod *scribendum* nimis *citò prosiliit*; quia equidem non plus sua ipsi ultio proderit, quàm Em. Baronio scripsisse contra Ordinem profuerit, de quô accipe ex P. Dorotheo in *Commentario* præcitato pag. 560. *Baronius l'An* 1595. *dedia au Pape Clement VIII. le sixiesme tome de ses Annales*, *dans lequel il traitte l'Ordre du Mont Carmel avec tant dindignité. Ce Souverain Pontife fit bien veoir dés la premiere occasion*, *qui se presenta*, *combien peu il estimoit un sentiment si temeraire. Il donna l'An* 1600. *le* 3. *de Novemb. la Bulle*, *qui commence* in Apost. dignitatis, *dans laquelle il use de ces termes*, Sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisæi aliorumque Sanctorum Patrum, quorum hæredes sunt, vestigiis insistentes. *Il donna encor l'An* 1604. *le* 13. *de Juillet la Bulle*, *qui commence* Dominici gregis, *dans laquelle sont ces mots*, Patris vestri Prophetæ Sanctissimi Eliæ, vestri Instituti Authoris, alumnos & imitatores vos ostenditis. *Et puis il escrivit le* 15. *d'Octob. du mesme An la lettre au Roy de Perse*, *pour les Carmes Missionaires*, *dans laquelle entre autre chose*, *il dit*, ut autem tu aliqua de eorum Instituto intelligas, pauca quædam tibi significanda duximus, ex quibus cætera facilè conjicias. Habuerunt olim Religionis hujus professores, sicut à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris memoriæ proditum est, sui Instituti Authores Sanctos Prophetas Eliam & Elisæum omnibus nationibus & gentibus notos *&c.*

Ex Addito à *num.* 36. *ad* 41. manifestum est (præter Ex. D. Sinnichium *ibid.* citatum) Martinum Damiensem Episcopum *lib. de viris Cardinalium cap.* 1. meritò dixisse, *non te moveat dicentis authoritas:*

nec

nec quis, sed quid dicat intendito: quia dicens plerumque, in eo, quod dicit, figulus est authoritatis nullius, ut patet ex comparatione Joannis 44. & Luciferi cum Origene, Martino Luthero & Joanne Calvino, quam P. M. Lupus absque ullius, etiam impiissimi, authoritate fecit, & dixit. Verum quidem est, quod Salvianus Episcopus Massiliensis in *Epistola ad Solonium* scribat, *tam imbecilla sunt judicia hujus temporis, ac penè tam nulla, ut ii, qui legunt, non tam considerent, quid legant, quàm cujus legant: nec tam dictionis vim atque virtutem, quàm dictatoris cogitent dignitatem.* Sed hoc jam *num.* 54. præoccupatum est, & id ipsum est, quod corrigendum monet Damiensis statim citatus; nec in P. M. Lupo retractandi obligationem minuit, sed auget omninò, ut vidimus *num.* 53.

Ex Monito 2. à *num.* 42. *ad* 53. summariè habes puncta ad quæ, & Corollaria *Præsuppositi*, P. M. Lupi Cathegoricum Responsū expectamus, aut alioqui pseudodogmatis ejus de Joanne 44. Patriarcha Jerosolymitano famosi necessariam retractationem. Illa specificanda duximus, ne à mente nostra aberrans in aliis frustrà laboret, aut in principali victus, alibi nodum accessorii in scirpo quærat; unam fortè hinc inde authoritatem malè citatam carpat, debilius aliquod fundamentum, fortioribus, quibus dejicitur, intactis totus impugnet, aut de quadam nostra exerratione futili, à qua controversiæ veritas & decisio nullatenus pendent, trophæum faciat, & sic parum aut nihil ad intentum *Moniti* hujus *Christiani* finem respondeat: quod ut prudenter vitet, ex Em. Baronio *in Annot. Martyrol. ad* 9. *Octob.* notet, *quod si ob unum errorem, vel alterum, in vitis Sanctorum inventum, cætera, quæ remanent, fide carere dixerimus: profectò omnes ferè Sanctorum vitas in maximum discrimen inducimus; cum penè in omnibus aliquid notari possit, quod corrigendum videatur, sitque canonicarum tantummodò scripturarum singularis prærogativa, ut in eis cuncta vera, inconcussa, certaq; narrentur.* Vale igitur, mi P. M. Lupe, & hoc *Monitum Christianum* ad unius Patriarchæ vivi & mortui in communi opinione sanctitatis defensionem, totiusque Ordinis nostri emaculationem necessariam, Boni consule, ac responde, aut S. Patrem tuum Augustinum in retractando sanctè & religiosè & justè & sapienter imitare, nè si non restituas ablatum, cum possis, in æternum, quod absit, tuum non remittatur peccatum.

FACVLTAS
REVERENDI ADMODUM
PATRIS PROVINCIALIS.

FR. DANIEL A VIRGINE MARIA humilis Prior Provincialis Fratrum B. MARIÆ Virginis de Monte Carmelo Provinciæ Flandro-Belgicæ.

Permittimus insuper *Apologemati Retorto* adjici *Monitum Christianum*, &c. Quô nervosè demonstratur obligatio R. Admodùm Patris Magistri Christiani Lupi Ordinis Eremitarum S. Augustini ad abstergendam gravem calumniam, appictam Joanni 44. Antistiti Jerosolymitano, nostro quondam Legislatori, & consequenter toti Ordini nostro, qui per octo ferè sæcula (videlicet ab anno Christi 412. ad 1205.) istius Joannis Librum inscriptum *De Institutione Monachorum*, &c. pro Regula habuit, & seruavit: illud enim legi ex speciali commissione Reverendissimi Patris Generalis, nec quidpiam Catholicæ Fidei aut bonis moribus dissonum deprehendi. Datum in Carmelo nostro Gandavensi die 30. Julii 1665.

Fr. DANIEL A VIRG. MARIA,
Provincialis, qui suprà.

APPRO-

APPROBATIO
PROFESSORUM ORDINIS.

MOnitum *Christianum* R. Adm. Patris Francisci Bonæ Spei, Provinciæ nostræ Flandro-Belgicæ Exprovincialis ad R. P. M. Christianum Lupum Ord. Erem. S. Augustini, non solum ad oculum monstrat injuriam gravem, quam ipse Joanni Patriarchæ Jerosolymitano ac toti Ordini nostro intulit; sed & ipsum, ac omnem Doctorem verè Christianum, debere sententiam talis injuriæ causam, alioqui perenniter noxiam, retractare, solidè demonstrat: ideoque præmisso Apologemati in D. Caramuelem, quem ad latus tangit, retorto, justè ac Fidei & bonis moribus congruè adjicietur. Datum Lovanii & Mechliniæ sub finem Julii 1665.

F. MICHAEL à S. AUGUSTINO, Prior
Carmeli Mechliniensis, & Exprov.

Fr. JACOBUS à S. ANTONIO, Lovanii
S. Theol. Prof. Ord. Carm.

APPROBATIO
ORDINARIA.

MOnitum Christianum Apologemati retorto adjici & adimprimi potest, utpotè quod vel ideò inscribi potest Christianum, quia in eo fit admonitio ad hoc, quod est Christianum: sicuti enim errare est humanum; ita quoque errorem, qui aliquando contingere potest viris etiam magnis, corrigere, aut non esse errorem commissum ostendere, doctum decet Christianum. Actum Antverpiæ 14. *Augusti* 1665.

JOANNES DE CAPUA, Canonicus
Antverp. & Lib. Censor.


CB